
3 1761 07833924 9

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta
aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R.P.D. EMANUELE DE GREGORIO

Prodierunt in Causis sub annum 1802.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis,
ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus
apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LXVIII.


TRIPLICI


INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCCIII.

Apud Lazarinum Rev. Cameræ Apost. Typographum


LIBRARY
SEP 10 1968
UNIVERSITY OF TORONTO



INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM
Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1802. per Diœceses dispositus.

A

B

C

E

F

G

H

I

L

M

N

P

R

S

T

V

FINIS

Die Sabbathi 23. Januarii 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EUGUBINA UNIONIS. *Sess.24.cap.15 de Reform.*

An, & quomodo facienda sit unio in casu &c.

Negative in omnibus.

CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ. Anno 1527. Cecilia Manni postremo testamento hæredem scripsit Cappellam Societatis SSmi Sacramenti, quæ extat in Collegiata, modo Cathedrali Ecclesia SS. Gervasii, & Prothasii Civiatis Plebis. Jussit, ut usumfructum suæ hæreditatis consequeretur Cappellanus, & juspatronatus activum pro voce *una voce* petineret Priori Ecclesiæ S. Gervasi, pro altera vero *voce* suis Consanguineis, & eorum descendentibus, quibus preterea concessit passivam vocationem in hæc verba: *quando aliquis suorum attinentium voluerit esse Præsbiter, debeatur ipse eligere pro Cappellano; qui quidem Cappellanus debeat esse Sacerdos, & non habeat alia Beneficia in dicta Ecclesia.* Sed antequam Cappellania erigeretur illa *Vox*, quæ Consanguineis data est, cessa fuit Confraternitati SSmi Corporis Christi. Orta enim lite inter Thomam, & Christophorum Manni Consanguineos dictæ Ceciliæ, & Societatem super erectione dictæ Cappellaniæ, ea composita fuit ex transactione stipulata an. 1549. qua Manni Juspatronatus activum sibi ex testamento quæsito renunciarunt Societati Corporis Christi, & pro ea Decano ceterisque Sodalibus. Quæ vero altera *Vox* ad Priorem Ecclesiæ S. Gervasi spectatbat, evanuit, *Sess.14.cap.13 de Reform.*

L

M

N

P

R

S

T

V

FINIS

Die Sabbathi 23. Januarii 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EUGUBINA UNIONIS.

An, & quomodo facienda sit unio in casu &c. *Sess.24.cap.15 de Reform.*

Negative in omnibus.

CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ. Anno 1527. Cecilia Manni postremo testamento hæredem scripsit Cappellam Societatis SSmi Sacramenti, quæ extat in Collegiata, modo Cathedrali Ecclesia SS. Gervasii, & Prothasii Civiatis Plebis. Jussit, ut usumfructum suæ hæreditatis consequeretur Cappellanns, & juspatronatus activum pro voce *una voce* petineret Priori Ecclesiæ S. Gervasi, pro altera vero *voce* suis Consanguineis, & eorum descendentibus, quibus preterea concessit passivam vocationem in hæc verba: *quando aliquis suorum attinentium voluerit esse Præsbiter, debeatur ipse eligere pro Cappellano; qui quidem Cappellanus debeat esse Sacerdos, & non habeat alia Beneficia in dicta Ecclesia.* Sed antequam Cappellania erigeretur illa *Vox*, quæ Consanguineis data est, cessa fuit Confraternitati SSmi Corporis Christi. Orta enim lite inter Thomam, & Christophorum Manni Consanguineos dictæ Ceciliæ, & Societatem super erectione dictæ Cappellaniæ, ea composita fuit ex transactione stipulata an. 1549. qua Manni Juspatronatus activum sibi ex testamento quæsito renunciarunt Soeietati Corporis Christi, & pro ea Decano ceterisque Sodalibus. Quæ vero altera *Vox* ad Priorem Ecclesiæ S. Gervasi spectatbat, evanuit, *Sess.14.cap.13 de Reform.*

nuit, cum Civitas Plebis a Diœcesi Clusina, cui subiiciebatur, dismembrata fuerit, & in separatum Episcopatum erecta. Nam tum Collegiata una cum Prioris Dignitate suppressa, Cathedralis honore decorata fuit.

At inter antiquitatis tenebras post duo interiecta Sæcula pleræque delitescunt nominationes Cappellanorum, ut certo resciri nequeat a quibus jus nominandi Cappellanos exercitum sit. Ex monumentis tamen, quæ supersunt, hoc constat, quod primus Cappellanus *Anno* 1551. præsentatus fuit a Priore S. Gervasi, a Decano ceterisque Confratribus Sodalitii Corporis Christi, & a Christopharo Manni. Post suppressam vero Collegiatam, & Prioris Dignitatem fere semper expletæ fuerunt posteriores nominationes ab iis, qui se consanguineos Ceciliæ Manni predicabant, & a Confratribus Sodalitii. Anno tandem 1783. electus fuit Cappellanus ab Archidiacono Cathedralis, putans se in locum suppressi Prioris Ecclesiæ SS. Gervasi, & Protbasii esse suffectum, & ab Episcopo Civitatis Plebis loco Consanguineorum Ceciliæ Manni, quos omnes defecisse ferebatur. Nuperis hisce temporibus vacavit Cappellania *Anno* 1797. Ad hanc tres præ cæteris contenderunt, Presbyter *Joseph Salvatori* tamquam nominatus a Francisco Manni, a Maria Mazzuoli, & ab Antonio, & Aloysio Ormanni, qui se e gente Mannia descendere affirmant. Huic quidem concurrenti suffragati sunt nonnulli ex Confratribus Societatis Corporis Christi privata, & non collegiali nominatione; *Sacerdos Carolus Reattelli* electus fuit a Josepho Attioli, & a Felice Cocchi Reattelli, qui uti prodeuntes a Familia Manni sibi jus nominandi vindicant. *Clericus Franciscus Sisti* licet omnino extraneus nititur Nominationi factæ ab Archidiacono, & Capitulo Civitatis Plebis. Qui omnes Sac. Congregationi supplicarunt, ut decerneret, quis potior esset ad institutionem consequendam.

Rogatus est Episcopus de sua Sententia, qui *anno* 1798. transmissis monumentis ea confirmavit, quæ superius exposita sunt. Indecisa controversia fuit ob perturbationem rerum publicarum. Post vero restitutam veterem disciplinam iterum injunctum est Episcopo, ut auditis *interesse habentibus* ad juspatronatus activum, & passivum denuo Votum suum proferret. Episcopus post sedulam expositorum investigationem concludit,

Cap-

Cappellaniam prædictam fuisse, & esse de jure Patronatus tam activo, quam passivo Familiæ Manni habito respectu tam in nominando, quam in nominato ad proximitatem vel attinentiam illorum dictæ Testatricis Ceciliæ & habeat jus nominandi Prior Ecclesiæ SS. Gervasii & Prothasii in personam tamen quomodolibet attinentem Testatrici. Tertio tandem Episcopo demandatum est, ut tempus præstitueret idoneum omnibus collitigantibus, ut jura sua deducerent in Sac. Congregatione.

Ex his unus hactenus Præsbyter Joseph Salvatori libellum exhibuit EE. VV. de more distribuendum. Institutionem hic postulat tamquam nominatus, & ab his, qui sunt vel descendunt de Familia Manni, quibus ex Fundatione addictum est jus nominandi, & Confratribus Sodalitii SSmi Corporis Christi quibus ex Transactione jus illud cessum fuit; atque idcirco ei tamquam a Patronis præsentato institutio concedenda sit, *Rota decis. 189. num. 10. coram Bichio, Decis. 1175. num. 3. cor. Molines.* Rursus institutionem poscit cum ipse sit *actu* Sacerdos consanguineitate Testatrici conjunctus, nec alia habeat in Ecclesia SS. Gervasii Beneficia. Cum vero Testatrix jusserit = *quando aliquis suorum attinentium voluerit esse præsbyter debeatur ipse eligere Cappellanus; qui quidem Cappellanus debeat esse Sacerdos, & non habeat alia Beneficia in dicta Ecclesia*; jam ex his affirmat se unice qualificatum ex fundatione, qui proinde licet Patronorum nominatione destitueretur; nihilominus esset instituendus tamquam ab ipsa Fundatrice vocatus, ut tradit *Card. de Luca de Jurepatronat. Discurs. 18. num. 3. Rocca Disput. Select. 11. num. 23., & 23. Rota in Recen. decis. 251. num. fin. part. 10.*

Verumtamen non probatur, quod Franciscus Manni, Maria Mazzuoli, Antonius, & Aloysius Ormanni, qui Presbyterum Salvatori nominarunt, descendant ex consanguineis Fundatricis, quibus una jurispatronatus vox relicta fuit. Rursus ipse non bene ostendit se esse *attinentem* Fundatrici, aut descendentem ex familia Manni per fides Baptismatis, sed tantum *inductive* ex quo uti consanguineus obtinuerit *locum* in Seminario, quem consequuntur ii de Familia Manni. Tandem constat, quod Presbyter Salvatori in Ecclesia SS. Gervasii & Prothasii aliud possidet Beneficium sub invocatione SSmi Salvatoris tenuis licet reditus in annuis scutis novem. Quare ei obstare videtur, quomi

nus hanc Cappellaniam consequatur, lex fundationis qua cautum ut Cappellanus *non habeat alia Beneficia in dicta Ecclesia*.

Quamquam vero Sacerdos Reatteli, & Clericus Sisti nondum adhuc sua jura deduxerint, attamen præ munere adnotandum videtur, quod *Reattello* eadem, quæ *Salvatori* obstare possunt. Neque enim legitime probat requisitum consanguineitatis, aut descendentiæ à Fundatrice sive in se ipso concurrens, sive in iis qui eum nominarunt, & rursus ipse occupat aliud beneficium in Ecclesia SS. Garvasii, & Prothasii. Quamvis vero Clericus Sisti sit nominatus ab Archidiacono, qui in postrema vacatione præsentavit, & in institutione concedenda maxime attendatur ultimus Status, *Lotter. de Re Beneficiar. Lib.* 1. *quæst.* 34. *num.* 1., *Piton. de Controvers. Patron. Allegat.* 17. *num.*5., *Rot. dec.*224. *num.* 2. *coram Emerix*. Parvi tamen hęc facienda videntur, cum ultimus status attendatur *in possessorio*, non vero cum de bono jure Patronorum quæritur ut tradit *Rota in Melphicten. Beneficii* 5. *Decembris* 1712. §. *Minus cor. Lancetta*. In fundatione quidem jus nominandi tribuitur Priori Ecclesiæ SS. Gervasii & Prothasii; An vero Archidiaconus suffectus sit suppresso Priori probatum hactenus non est. Præterea Clericus *Sisti* extraneus nec præferendus videtur iis de Familia, & Presbyteris quibus tum Fundatrix, tum juris dispositio prælationem tribuit, *Vivian. de Iure patronat. part.*2. *lib.*12. *num.* 25. *Amostaz de Causis Piis Lib.*3. *Cap.*9. *num.* 48., *Piton. de Controvers. Patron. Allegat.*85. *num.*13.

Ex quibus decernendum.

An & cui sit danda institutio in casu &c.

Affirmative favore Salvatori.

*Sess.*22.*cap.*6. *de Reform.*

LUNEN. SARZANEN. UNIONIS, ET TRANSLATIONES. Sacellum SS*mæ* Annunciatæ dicatum in Cathedrali Ecclesia S. Andreæ Civitatis Sarzanæ ære suo Cecchinius de Nobilibus extruxit, illudque Anno

no 1371. Beneficio, seù Officio Missae quotidianae dita vit, assignatis quibusdam Stabilibus in sustentationem Rectoris, & reservata post ejus obitum nominatione Sacerdotis *Consilio Generali Artium*, seù Comunitati Sarzanae, nec non institutione Capitulo ejusdem Ecclesiae. Adest in ea Civitate Hospitale expositis excipiendis, curandisque infirmis erectus. Cum illud prae angustia temporum jacturam redituum tulerit, cumque major in dies infirmorum copia ad illud accedat; hinc vacato nuper, per obitum Rectoris, Beneficio S. Andreae, Publici Representantes, velut Patroni unionem flagitant dicti Benefici favore illius Nosocomii, & quotidiani Oneris translationem ad ejusdem Oratorium.

Absente Episcopo retulit Vicarius Generalis, quod Benefici Bona juxta Peritorum fidem reddunt quotannis scuta 102. monetae romanae, quodque detractis oneribus, quorum impensam statuit in annuis scutis 34., supersunt scuta annua Septuaginta duo. Praeter Oratores patronos unioni assertiri quoque ait Cathedralis Capitulum S. Andreae, in cujus Ecclesia erectum est Beneficium *ea adiecta lege, quod fiant solitae expensae pro manutentione Altaris, quodque omnibus diebus celebretur Sacrum ad formam fundationis, & quod in solemnioribus functionibus seù Festivitatibus B. M. Virginis Missa celebretur non in Oratorio Hospitalis, sed in dicto Altari Ecclesiae S. Andreae*. Nullos porro esse monet passivè vocatos, quibus ex unione praejudicium iuferatur; atque Hoapitalis indigentiam ex eo confirmat, quod habito decennali calculo illius reditus in annuis scutis 848. 50. ab exitu superantur scutorum quotannis 1010., quam reditnum deficientiam auget fructiferum aes alienum contractum in scutis 525. cum annuo faenore scutorum 21. Ex his ideo concludit = *censerem posse concedi unionem Beneficii favore Hospitalis, & translationem Missarum sub dictis conditionibus appositis à Capitulo Lunen. Sarzanen. in assensu praestito*, cum in dicta Ecclesia aliae quatuor Missae quotidianae supersint. His acceptis Litteris rescrìptum est ad diem 8. Augusti proximi prçteriti *Audiatur Episcopus in Curia*, qui narrata per suum Vicarinm Generalem, ejusque votum comendat.

P-n

Pugnant in hac specie inter se Justitia, & Charitas; prima vetat unionem, ne fraudetur voluntas fundatoris, qui Beneficium instituit in substentationem Sacerdotis juxta regulam Text. *in can. ultima voluntas caus.* 13. *quæst.* 2.; altera jubet pauperibus expositis, ægrotisque opem ferre, qua de re a SS. Patribus, sacrisque Conciliis Hospitalium pium opus valde comendatum teste *Thomassin. de vet. & nov. Eccles. Disciplin. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 89. & 91. Agitur autem de simplici beneficio, ad quod nulli sunt passivè vocati, ita ut ab unione jus alterius non adimatur. Probata vicissim videtur indigentia sarsinatensis Nosocomii, cujus introitum excedit exitus in annuis circiter scutis biscentum, idque ob auctum vicissitudine temporum numerum pauperum Infirmorum. Ad hanc levandam indigentiam, qui activa pollent nominatione publici Representantes, & Capitulum, cujus est institutio, ultro unioni assentiuntur. Quamobrem ea presto sunt extrema, scilicet justa causa, & consensus Interesse habentium, quæ Indultis hujusmodi viam sternunt. Reque vera Sac. hæc Congregatio his concurrentibus alias favore hospitalium ipsa Missarum & Dotium onera suspendit in *Pharaonen. suppressionis onerum*, & *absolutionis* 9. *Julii* 1796., & alia quoque hujusmodi pia legata univit in *Alatrina Visitationis SS. Liminum* 10. *Julii* 1790.

Translationi obstat quidem expressa Fundatoris voluntas, ejusque pietas erga designatum Altare, quod propriis sumptibus extruxit, quibus in terminis ea difficilius concedi solet, ut definivit Sac. Congregatio *in Casalen.* 15. *Decembris* 1797. Verum notat Vicarius Generalis, quod Fundatoris Cadaver in Ecclesia S. Andreæ tumulatum non fuit, quę circumstantia plurimum confert ad gratiam hujusmodi, juxta decreta edita in *Firmana* 3. *Augusti* 1782., & *in Ariminen. demolitionis*, & *translationis Missarum* 16. *Februarii* 1788.; & præterea notari posset, quod celebratio quotidianæ Missæ in privato Nosocomii Sacello cum necessaria sit ad spirituale Infirmorum solatium; hinc si onus beneficio adnexum juxta præces fuerit translatum, prodesset quoque in levamen indigentiæ, ex quo ab impensa hujus Missæ Administratores hospitalis eximerentur. Concessa autem gratia sub conditionibus a capitulo pro-

po-

positis cultui S. Titularis satis foret consultum. Deliberandum itaque.

An & quomodo sit locus unioni, & translationi Missarum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium, & cum conditionibus a Capitulo pręscriptis.

ROMANA SUPPLEMENTI, ET REDUCTIONIS: Postremis Tabulis anni 1758. Franciscus Juvarra Messinensis post nonnulla legata usumfructum suę Hæreditatis reliquit Benedictæ Sorori. Scripsit vero *Erede proprietaria ... l'infrascritta Opera Pia* jubens, ut defuncta Usufructuaria tres erigerentur Cappellaniæ: *Una* in Ara S. Philippi Neri in Ecclesia S. Mariæ in Vallicella: *Altera* in Ecclesia Sodalitii S. Mariæ, & Josephi seu *degli Agonizanti*: *Tertia* tandem ad Altare S. Josephi in Templo S. Mariæ Pacis. Singulis injunxit onus = *della Messa quotidiana da celebrarsi, o per loro stessi, o per altri*; Singulis adscripsit annuum reditum = *di scudi settantadue, che viene a corrispondere alla ragione di Giulj due il giorno* = Qua de re in fundum Cappellaniarum assignanda voluit tot Loca Montium, = *che rendano l'assegna della rispettiva somma annua alle predette Caepellaniæ colla riserva dei frutti al Cappellano pro tempora netta anche dalla imposizione imposta sopra i Luoghi di Monte* = Quidquid vero superesset post exequutam Locorum Montium assignationem jussit, ut facto Deposito cederet = *in credito dell' Opera Pia di me Francesco Iuvarra a disposizione di quelli, che avranno la Nomina degl' infrascritti Sussidj Dotali*. Ex hoc enim hæreditatis residuo quotannis distribuenda voluit Subsidia Dotalia in summa saltem scutorum quadraginta in singulum subsidium *dai Guardiani pro tempore della Venerabile Archiconfraternita di S. Maria di Costantinopoli in Roma* = prępipiens ut darentur = *a Zitelle oneste figlie di Messinesi, o discendenti di essi abitanti in Roma, ed in mancanza di queste a favore delle Zitelle più povere Siciliani, o discendenti da' Padri Messinesi, o Siciliani*.

Sess.25.cap.4. de Reform.

Ut Testator jussit, ita factum est. Nam in singulas Cappel-

pellanias translata fuerunt Loca Montium 24. 41.cent. quę dabant annua *Scuta* 72. ab oneribus immunia. Quidquid reliquum fuit ex Hæreditate Juvarra cessit solvendis Legatis, & Subsidiis dotalibus, quorum tria in singulos annos distribuuntur in *Scutis* 40. Mox cum inter publica rerum discrimina cessaverint fructus Locorum Montium, Cappellani a Sac. Congregatione deprecati sunt vel supplementum deficientibus Cappellaniarum reditibus ex aliis Bonis hæreditariis Juvarra, quæ nunc a Sodalitio S. Mariæ *di Costantinopoli* Urbis administrantur, vel implorant sin minus reductionem Missarum usque dum integros percipiant fructus Locorum Montium. Quod si petitum supplementum magis arrideat, tunc postulant, ut a Sodalitio solvantur, quæ pro sacris Utensilibus quisque Cappellanus in singulas Ecclesias rependit.

Emus Protector antequam exquisitum a S. Congregatione Votum proferret *Rationes* hæreditarias Juvarra confici jussit, & *Confratres* audivit. Constat ab exhibitis Computis, quod ex Hæreditate Juvarra coalescunt in Sodalitatem annua *Scuta* 153. 88. ½ non calculatis tamen fructibus Locorum Montium 88. 84. centes., qui inexacti adhuc manent. Contra vero Sodalitium quotannis erogare tenetur summam *scutorum* 229. tum in persolvenda Legata, tum in distribuenda Subsidia, tum in expensas pro administratione necessarias. Ex quibus patet, quod Rationes annui *impensi* longe excedant illas *accepti*. Quamquam vero plura sint inexacta Debitorum nomina ad *scuta* 3355. 44. ½, quæ inter recensendi sunt fructus Locorum Montium, quorum tribus, & ultra ab hinc annis jam cessavit exactio in *Scutis* 893. 88. ½, tamen haud modicum est æs alienum in suma *Scutorum* 1632. 10., quæ a Sodalitio debentur sive Legatariis, sive Puellis jam dotatis, sive demum Ministris stipendio conductis. Inter has pii Operis angustias Societatis Moderatores etiam, atque etiam obsistunt, ne Cappellanis ullum detur supplementum. Eis vicissim favet Emus Protector fretus *demonstrativæ* Cappellaniarum fundationi ita, ut pium opus supplere teneatur quidquid deficiat Cappellanis ad annua scuta septuaginta duo nedum quoad præteritum, scilicet post suspensam exactionem LL. Montium, quo tempore Cappellani Missis 70. in totum satisfecerunt, sed etiam in futurum, Votumque suum

con-

concludit = *Censerem Cappellanos rectè agere posse, ut Opus Pium Missarum Æleemosinas toto tempore suspensionis Locorum Montium ex viribus hæreditariis suppleat.*

Quęstio redit omnis ad investigandam Francisci Juvarra voluntatem. Nam si compertum erit, ipsum *taxativè* designasse Fundum Locorum Montium, unde Æleemosina Missarum percipi deberet, tum inutilis est actio Cappellanorum ad supplementum obtinendum. Sin vero *demonstrativè* tantum Fundator meminit de fundo Locorum Montium, vehemens certè ex hoc oritur conjectura, quod Testator integrum neque umquam imminutum voluerit numerum Missarum. Quidquid vero deesset ex fundo *demonstrato* supplendum foret a Sodalitio S. Mariæ Constantinopolis, quod dum præest Operi Pio a Testatore instituto vices ipsa hæredis repręsentat; ut ex *Text. in Leg. Quidem ff. de Legat.*, *Leg. Non aliter ff. de legat. 3. docet Mantica de Conject. lib. 12. tit. 6. num. 24. 25.*, *Menoc Præsump. 147. num. 48.*, *Castill. Controv. jur. lib. 4. Cap. 54. n. 20.*, *Rota dec. 456. num. 34.*, *& seq. coram Merlino*, *& S. Congregatio in Ferrarien. Reductionis Missarum 29. Nov. 1788.* Cappellani quidem contendunt *demonstrativè* tantum designasse Testatorem fundum Locorum Montium, idque arguunt ex Regula, quod ejus dispositio incipiat ab onere, indeque pergat ad Fundi destinationem: Nam Franciscus Juvarra jussit, = *che si erigano tre Cappellanie . . . . coll' obbligo della Messa quotidiana . . . . di scudi 72., che viene a corrispondere alla ragione di Paoli due al giorno . . . . Per fondo poi delle sudette Cappellanie . . . . che si assegnino tanti de' miei Luoghi di Monte &c.* Quare dum onus Missæ quotidianæ præcedit assignationem Locorum Montium, certe quidem videtur, quod Fundus stet *demonstrativè*, nec hæres solutus sit ab obligatione præstandi quidquid deficit ad oneris implementum juxta Theoricam *Felini in Cap. super Litteris de Rescript.*, quam optime illustrat *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. Cap. ult. §. 32.*

Eoque magis hæc obtinere contendunt Cappellani, quia Fundator inter demandata Pia Opera Cappellanias prædilexit. Nam Institutio Subsidiorum dotalium tum locum habere debebat, si post erectas Cappellanias *avanzasse qualche somma, o Capitale fruttifero* = unde de-

ducunt conjecturam voluntatis, ut perèmpto Fundo pro Cappellaniis *demonstrato*, nihilominus ab Opere Pio necessarium præstandum sit supplementum tribus Cappellanis pro quotidiana celebratione. Hæc autem Conjectura voluntatis fulcitur ex juris præsumptione, qua semper censetur, Fundatorem potius aliorum onerum, quam Missarum voluisse Reductionem, nisi voluntas aperte contraria sit onerum Reductioni, ut tradit *Fagn. in Cap. ex parte* 34. *de Constit. num.*29., & passim tenuit S. Congregatio, & præcipue *in Derthonen. Reductionis Onerum* 19. *Maii* 1797., & *in Senogallien. Reductionis Missarum* 23. *Aprilis* 1796.

At Moderatores Operi Pii negant se teneri sive *ex jure*, sive *ex facto* ad supplementum si fundus Cappellaniarum deterior evaserit. Non quidem *ex jure*, cum Regula de fundo *demonstrative* assignato obtineat, vel quando fuit legata quantitas, vel genus, vel species, quæ remanet penes Hæredem, cui injuncta est cura celebrationis Missarum, vel tandem si rem legatam tradidit hæres legatario, non ut præcepto Testatoris pareret, sed, ut sponte se ab omni onere eximeret, ut docet *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib.*13. *Cap. ult.* §. 33. allegans ad rem Resolutiones S. Congregationis *in Lucana* 15. *Decembris* 1685., & *in Firmana Reductionis Missarum* 24. *Augusti* 1686. Dum itaque Franciscus Juvarra per separatam orationem jussit = *per fondo poi delle sudette Cappellanie si assegnino tanti de' miei Luoghi di Monte, che rendano l'assegna della rispettiva somma annua delle predette Cappellanie colla riserva dei frutti al Cappellano pro tempore*; = Si rursus imperavit = *la traslazione dei medesimi in Credito delle sudette Cappellanie erigende colla riserva dei frutti a favore dei Cappellani* = Si tandem nullo Testamenti loco injunctum legitur Hæredi, ut ipse ex fructibus Locorum Montium celebrationem Missarum curet, videtur sane, quod non legata fuerit quantitas, aut res in genere, sed certus Locorum Montium fundus, quem consignavit Hæres non ut a se repelleret curam celebrationis Missarum, sed ut præcepto Testatoris obtemperaret. Ex quibus duo consequi videntur. Primum, quod consignata re legata liberatur Hæres si casu contingat, ut res ipsa oneri impar evadat, ut concludit *Bened. XIV. de Synod.*

nod. Diœc. loc. cit. §. 23. Alterum, quod deteriorato fundo Missarum celebrationi *taxative* addicto, supplendum non sit ab alio fundo pro reliquis piis oneribus relicto, cum in casu, quo certus fundus pro Missis, itidem certus pro aliis piis operibus sit destinatus; tum praesumitur, Fundatorem voluisse potius Missarum, quam cæterorum onerum reductionem, ut distinguit *Pasqualig. deSacrificio novæ Legis quæst.* 1191., & Sac. Congregatio *in Aquen. Reductionis* 19. *Novembris* 1792. *& in Urbanien.* 30. *Augusti* 1788.

Ex facto vero se immunes putant Moderatores Operis Pii a quocumque supplemento cum Vires hereditatis prorsus deficiant. Nam ex initis rationibus patet, quod ab Hereditate quotannis redeunt *scuta* 133.88.½, & pro Legatariis, & Ministris impendenda sunt annua *scuta* 120. Cum vero his detractis expensis ex annuo reditu vix supersint *scuta* 40., certè quidem hæc satis esse non possunt nec pro distribuendis subsidiis dotalibus, nec pro supplemento Cappellaniarum. Nomina vero Debitorum licet attingant summam scutorum 3355. 44.½, sunt tamen nonnulla difficilis exactionis, & præ cæteris fructus Locorum Montium in præteritum decursi ad scuta 893. 88.½ Tandem Sodalitium multo ære alieno obruitur, & pro legatis & pro stipendio Ministrorum, & pro subsidiis dotalibus jam promissis, & nondum adhuc solutis. Etiamsi vero inter hanc indigentiam non versaretur hereditas, ad supplendum tamen Cappellaniarum fundum, subsidia dotalia vel penitus detrahi, vel in parte imminui deberent, quorum favore militare videtur Fundatoris quædam prædilectio erga certas Puellas concives Messinenses, & Siculas, quas contemplavit.

Quod si ab EE. PP. probetur Cappellanorum Instantia pro supplemento, tum ipsi decidendum postulant, a quibus solvenda sint annua *scuta sex*, quæ a singulis præstantur respectivis Ecclesiis pro utensilibus. Ab erectione Cappellaniarum semper soluta fuere a Cappellanis, quin umquam aliquid in hanc Causam ab hærede reposcerint. Modo contendunt ex voluntate Fundatoris, hos sumptus ab Hæreditate præstandos esse ex quo assignanda erant Loca Montium = *che rendano l'assegna della rispettiva somma annua alla predetta Cappellania netta anche dall'imposizione imposta*

sopra li Luoghi di Monte = adeoque inferunt, quod annua assignatio in scutis 72. in singulas Cappellanias immunis esse debeat ab omni onere. Judicent ergo Emi Patres, an exemptio = *dall' imposizione sopra i Luoghi di Monte*, trahenda quoque sit ad impensam SS. Utensilium. Hoc onus hactenus tulerunt Cappellani, quæ observantia ad dubiam quoque fundationem interpretandam plurimum conferret, *Cap. Cum dilectus* 8. *de consuetud.*, *Gibert. in jus can. in prolegom. parte* 1. *tit.*18. *cap.*2. *pag.*118. *tom.* 1.

Sin vero, quæ in *jure*, & in *facto* Moderatores Operis Pii deducunt obesse putent EE. PP. quominus Cappelleni supplementum consequantur, inquirendum erit *in secundo Dubio* num eisdem Cappellanis indulgenda sit reductio Missarum. Notissima est regula, ut ex inculpata redituum deficentia reducantur onera, ut tradit *Monacell. formul. legal.* 19. *tit.*20. *parte prima num.*25. Maximè vero quoties vel fundus pro legato Missarum sit *taxative* assignatus ita, ut hæres supplere non debeat, vel si *demonstrativè*, heredis inopia actionem excludat, ut Sac. Congregatio decrevit in *Iserníen.* 26. *Novembris* 1723., *in Sancti Severini* 13. *Junii* 1725., *in Tranen.* 22. *Novembris* 1738., & *in Casalen. Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. . Modus autem indulgendæ reductionis hoc in casu ab EE. Vestris statuendus erit. Nam hactenus Loca Montium nullum dedere reditum; & nonnisi partialis nunc imminet solutio in duplici quinta parte antiqui fœnoris. Ita ergo annuendum videretur imploratæ reductioni, ut scilicet Cappellani juxta ratem exigendorum fructuum totidem Missas celebrare teneantur computata æleemosina obolorum viginti pro qualibet Missa, quam eis Fundator attribuit, Nec silentio prætereundum, quod cessata exactione Locorum Montium Cappellani Missas septuaginta celebrasse demonstrant tum in Ecclesia *degli Agonizanti*, tum, & in alia Ecclesia S. Mariæ in Vallicella; quæ cum Sacra fecerint absque ullo stipendio, num compensare possint cum futura celebratione Eminentiæ Vestræ deliberabunt. Pro Missis equidem indebitè celebratis quandoque compensationi annuit Sac. Congregatio ut *in Romana Missarum* 31. *Julii* 1717. *lib.*67. *decret. pag.*303.

Pro duplici igitur, quæ oritur controversia, duplex quoque proponitur Dubium.

I. *An*

I. *An, & quomodo ab hereditate Javarra præstandum sit supplementum pro celebratione Missarum, & SS. Utensilibus in casu &c.*

Et quatenus Negative.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Affirmative celebratis pro rata redditum ad rationem obolorum viginti, comprehensis Sacris Utensilibus, & quoad compensationem Lectum.

SENOGALLIEN. SERVITII CHORI. In Civitate Montis Bodii nuperis hisce temporibus ex pluribus simplicibus Beneficiis erecta est Collegiata Ecclesia. Qui antea erant Beneficiati, facti sunt Canonici & Mansionarii. Reducta fuerunt Missarum onera cuique Beneficio inhærentia, & præterea injunctum est Chorale servitium = *per tertiariam tantum exceptis tamen Adventus Domini, & Quadragesimæ temporibus, aliisque de præcepto Ecclesiæ fæstis diebus solemnioribus mobilibus, in quibus universum Capitulum ac Canonici, & Mansionarii, & eorum singuli ad deserviendum adstringantur*, ut constitutum legitur *in Bulla erectionis a S. M. Pii VI. data an.* 1795. Quamquam vero per triennium fere post fundationem, ita Capitulares omnes Chori servitium præstiterint, ut duo ex tribus partibus per viginti dies in singulos menses Choro adessent, & reliqua tertia pars vacaret, attamen postea in diversas abierunt Sententias; cum *alii* putassent, ita servitium *per tertiariam* interpretandum esse, ut per viginti dies singulorum mensium vacationes competerent; *alii* per quindecim; *nonnulli* tandem per decem tantum, quemadmodum usque dum observatum fuerat.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Emus Episcopus Senogalliensis, ut dissidentes chorales ad uniforme servitium revocaret *attenta praxi Collegiatarum & Cathedralium de partibus* die 16. Junii 1800. *per modum provisionis tantum* decrevit, *servitium Cho-*

ri

ri a Canonicis & Mansionariis præstandum esse per tertiariam sic interpretatam, qualiter a die erectionis integro fere tr ennio ipsis arrisit, ita scilicet, ut quilibet illorum per turnum unoquoque mense vacet per decem dies, & per viginti Choro inserviat, & sic duo ex tribus Canonicorum & Mansionariorum partibus Choro semper assistat, servata in reliquis lege pro tempore Quadragesimæ, Adventus, & aliorum solemniorum dierum per litteras Apostolicas præscripta = Reclamantibus Capitularibus ab hoc Decreto, eorumque precibus ad eumdem Emum Episcopum ablegatis, hæc ipse retulit= *Interea, meditantem me EE. VV. super supplici libello ad vos porrecto instructas reddere ex improviso abrupit oblata quædam Capitularis resolutio, quam hic adnexam do, cum qua unanimi consensu omnes, se servituros & per mediariam vacaturos spoponderunt. Quam resolutionem, ut ego approbarem omnes inter se reconciliati petierunt. Verum cum id ad vos pertinere judicarem, quo hujus resolutionis majus pondus evaserit, ad EE. VV. me refero.*

Quotidianum Chori servitium, quod ex veteri Ecclesiæ disciplina obtinebat *Can. ultim. distinct.* 92., & *Benedict. XIV. Instit.* 107. §. 1., cum fraudari cepisset ex particularibus Ecclesiarum Constitutionibus, Sac. Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 22. *de Reform.* ita moderandum censuit, ut nemini liceret = *vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres Menses ab Ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius Servitii tempus requirunt*; Quæ sane Concilii dispositio ita Sac. hæc Congregatio interpretari consuevit, ut liceret Canonicis abesse per trimestre, nisi Constitutiones Ecclesię longius præscripsissent servitium ut *in Mutinen. anni* 1573. *Lib.* 1. *Decret. pag.* 1. Semper vero eas reprobavit Constitutiones, aut Consuetudines, quibus vacandi venia ultra trimestre daretur, teste *Fagnano in Cap. ad Audientiam a num.* 8. *ad* 16. *de Cleric. non resedentibus* & præcipue *in Urgellen. Statuti* 8. *Martii* 1750. in cujus Folio ad propositum referuntur precedentes Resolutiones.

Quibus in jure præmissis ab EE. VV. statuenda erit quæ interessentia veniat sub Appellatione = *serviti per tertiariam* =, quod *in Bulla erectionis* injunctum est. Allegant Oratores exempla Capitulorum *Saxiferrati*,

Pa

Fani, *Anconæ*, *Maceratæ* & *Basilicæ Liberianæ Urbis* Sed ponderandum, num hæc conferant ad propositum. In Capitulo *Fani*, & *Saxoferrati* inserviunt Canonici *per mediariam* alternis hebdomadis. In Cathedrali vero *Anconæ* obtinent vacationes trimestres conciliares, & in Cathedrali *Maceratensi*, licet a Choro abesse possint per quatuor menses, numquam tamen servitium præstant *per tertiariam*. ProdestOratoribus unum exemplum Basilicæ *Liberianæ* Urbis, in qua tertia pars Capitularium Choro interest per decem dies in singulos menses. Verum parum conferre videtur Capitularibus Monris Bodii, tum quia controversiæ hujusmodi vel ex peculiarbus Constitutionibus vel ab observantia in finitimis Ecclesiis vigenti, dirimi solent, tum qiua quædam peculiaris ratio (quæ in Civitate Montis Bodii non concurrit) inducere potuit hujusmodi Chori servitium. Nam Basilica Liberiana in Exquilino posita longe distat ab iis, qui frequentiorem Urbis partem habitant. Quare locorum distantia forte in causa fuit, quamobrem ex indulto Apostolico vacationes ultra trimestre darentur.

In præsenti vero controversia, cum in Bullis Apostolicis expressum non sit quid significet *servitium per tertiariam*, illud accipiendum videtur secundum *Dispositionem juris*, ut scilicet tale præstetur servitium, quo Capitulares ultra trimestre a choro non absint. Decendiale vero Servitium in singulos menses longe prætergrederetur trimestres vacationes, etiamsi Capitulares ad choralem frequentiam compellantur Quadragesimæ, & Adventus tempore, & aliis solemnioribus diebus. Ideo magis congruum videtur Juris dispositioni, si servitium *per tertiariam* ita fuerit interpretatum, ut duo ex tribus Capitularium partes inserviant per viginti dies, & tertia vacet per decem in singulos menses. Præterea Capitulares Montis Bodii facto suo probarunt hunc servitii modum. Nam ab erectione Colleggiatæ per triennium choro interfuerunt per viginti dies mensium singulorum. In ambiguis autem plurimi facienda est observantia Fundationi pedissequa, ut tradit *Rota in Spoletana Iurispatronatus* 2. *Aprilis* 1784. §.6. *coram clar. mem. Card. Lancellotto*.

Ab interpretatione, quæ Emis Vestris arriserit, & petitum pendet indultum inserviendi per dies quindecim in

in singulos menses. Nam si ex Bulla erectionis teneantur Capitulares ad interessendum per decem dies tantum in singulos menses, tum certe expetita *mediaria*; cum sit gravius servitii genus ipsis petentibus non esset prohibenda. Quod si vicissim Servitium injunctum esset ad dies viginti, profecto Servitium *ad mediariam* esset levius & nonnisi ex justa causa relaxandum. Causae, quae probatae fuerunt a Sacra Congregatione ad minuendam chori frequentiam pręcipuę sunt: aeris inclementia, tenuitas Praebendarum, exiguus choralium numerus, ut videre est *in Isernien.* 26. *Junii* 1723., *& in S. Severinae* 13. *Julii* 1723. *in Tranen.* 22. *Novembris* 1738. Videant EE. PP. num justa sit causa, quod Collegiata erecta fuerit ex pluribus simplicibus Beneficiis, quae onera Missarum habent adnexa, itaut Capitularibus, qui erant Beneficiati, Choralis officiatura superaccesserit. Quicumque vero Servitii modus statuatur adjicienda erit limitatio, ut nempe = *Capitulares tempore Adventus & Quadragesimae, omnibus diebus fęstis & Solemnioribus Nativitatis & Resurrectionis D. N. J. C., Pentecostes, & SSmi Corporis Christi, & per totam Octavam ejusdem, ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter servire teneantur*, ut ex Decreto Sacrae Congregationis lato *in Tarraconen.* 23. *Martii* 1765., quod semper in praxi servari consuevit, ut patet *ex Bituntina Servitii Chori* 15. *Septembrts* 1770.

Hinc oritur Dubium.

An, & quomodo sit praestandum Servitium Chori in casu &c.

Iterum proponatur.

Ses.25. cap.12. de Reform.

CALLIEN. DECIMARUM ET FUNERIS. Ab Immemorabili Decimae usuveniunt in omnibus Paraeciis, praesertim ruralibus Dięcesis Calliensis, nedum *Praediales*, sed etiam *Personales*, & *Sacramentales*. Illas praestat proprio Parocho quisque fundorum Possessor. Has in modio tritici septuaginta librarum singulae Familiae pensitant illis Ecclesiis, quae dum Fontem Baptisimalem habent, supra ceteras jura Matrici

tatis potiuntur,& in exactione decimę exercent in propinquas aliquot, & finitimas Paræcias, proindeque quisque sive dives, sive pauper, sive possideat, sive secus degens intra limites Ecclesiæ baptisimalis decimam illam solvere tenetur. In nonnullis vero Paræciis onus quoque inest Parochianis præstandi loco funeris eamdem frumenti mensuram,cum Pater,aut Mater Familias occumbit. Utrumque onus grave nunc est, cum rerum pretia excreverint. Ut enim olim septuaginta libræ tritici ingravescente etiam annona Juliis quinque ad summum venibant, nunc scutis duobus vix comparari possunt. Hinc pręces Parochiani ad Sacram hanc Congregationem dedere, ut miserta eorum ægestatem indulgeat, decimas rependi posse in pecunia certo, statutoque pretio Librarum septuaginta tritici in obulis 66. 3. $\frac{1}{2}$, quod inter maximum, infimumque pretium juxta Peritorum fidem, medium tenet, relicto debitoribus arbitrio solvendi frumentum quotiescumque ipsis libuerit.

Similem consuetudinem Vicarius Apostolicus vigentem refert in nonnullis quoque finitimis Dięcesibus; auditisque de *Præcibus* Parochis, omnes huic petitioni repugnare affirmat = *Alter enim paupertatem beneficii prætendit, alter veretur, ne quid Ecclesiæ suæ juribus detrimentum importet; alter vetustatem conclamat, novitatem respuit; quisque eorum asseverat sese pauperes hujusce decimæ debendæ reos semper absolvisse. Singuli timent, ne si aliqua lex prodeat, quæ pauperes vel eximat, vel minus debitores efficiat, omnes sesę pauperes jactent. Illud insuper accedit, quamlibet fere ex hisce Ecclesiis Baptismalibus ab antiquo rependerę solere singulis annis vel Episcopo, vel Canonicis certam quamdam frumenti quantitatem pensionis titulo. Itaque invisam hanc decimam baptismalem, vel omnino tolli assentiuntur,modo sibi liceat eadem pecunia obolorum 66. 3.* $\frac{1}{2}$ *debitum pensionariis frumentum tradere* = Quoad vero onus funeris prosequitur = *nescio qua de causa non ad universam Diœcesim sese protendat, sed inter aliquas dumtaxat Parœcias sese contineat consuetudo, ne potius dicam corruptela isthæc. Parochi de hoc negotio per me rogati levius quidem insistunt, sed tamen insistunt. Agitur enim de antiquo, ideoque non contemnendo Ecclesiæ jure.* Ex quibus Parochorum juribus anceps hæret Vicarius Capitularis, ne votum suum

proferat, Nam ex altera parte videt = *gravissimum hisce diebus, & fere impossibile onus esse pauperibus, qui nihil possident* = ex altera animadvertit = *difficile omnino esse, legem de hac re statuere, quæ Pauperibus consulat, quæ ditioribus invidiam non moveat, quæ turbas non excitet, quæ ordinem non intercipiat.*

Parochianorum precibus obstat juris dispositio *in Cap. Tua Nobis*, & *Cap. Ex parte de Decimis*, ex qua decimæ a Parochianis in specie solvi debent; tum etiam immemorabilis, ex qua decimas hujusmodi semper in modio tritici Librarum septuaginta persolutæ fuere. In hac vero Decimarum materia Consuetudo præcipue spectari solet ad controversias dirimendas juxta censuram *Text. in Cap.*18. *Cum sint*, *& in Cap.*20. *de Decimis*, Uude reprobanda videretur solutio decimarum in pecunia, ut in similibus terminis tradit *Rota in Chelmen. Decimarum* 3. *Martii* 1733. §.3. *coram bon. mem. Canilliac*, & definivit *Sac. Congregatio in Constantien. Decimarum* 7. *Julii* 1781. *ad I. Dub.* Contra ponderandum est, quod in novo testamento apud *Matth. Cap.X. num.*10., *Luc.VIII.* 3. X. 7. hoc tantum Fidelibus injungitur, ut iis, qui Ecclesiæ ministrant, vitæ subsidia parent. Ad Ecclesiam autem pertinet modum pro temporum vicissitudine constituere, quo alimenta hujusmodi præstare debeant. Quare ex doctrina *D. Thomæ* 2. 2. *quæst.*87. *num.*1. constat apud omnes Canonistas, quod Ecclesia = *pensatis opportunitatibus temporum, & personarum possit aliam partem determinare*, ut tradunt *Covarruvias va. iar. Resolut. lib.*1. *cap.*17. *num.*2., *Guttierez. Canonic. Quæstion. cap.*21. *num.*9., *Engel. in Jus Can. Decret. lib.*3. *tit.*30. *num.*2., *Pirhing. eod. lib. & tit. nu.*7., *Reiffestuel. eod. lib. & tit. num.*9.

Hinc præ oculis habeant EE. PP. ægestatem Parochianorum, temporum angustiam, auctum rerum pretium, simulque judicent, num hæc sint idoneæ causæ, cur Decimæ, quæ in generibus præstari consueverunt ad certum, statumque pretium sint cohibendæ. Aliaquando Sacra Congregatio probavit, ut Decimæ in specie debitæ ex concordia commutarentur in quantitatem ad minimum pretium *in Auximana Concordiæ super Decimis* 17. *Septembris* 1796. Quod si aliquid indulgendum erit ægentibus Parochianis, tum sane videtur æqua conditio a Parochis proposita, ut sibi liceat eadem

dem constituta ratione *obulorum* 66. 3. ½ in singulas septuaginta libras frumenti, rependere debitas ex hisce decimis pensiones, quas Episcopo, & Capitulo solvere tenentur.

Quod vero pertinet ad illam quantitatem frumenti, quae in nonnullis Paraeciis pro funere defuncti Patris, & Matris solvitur, notandum est pro funere & Sepultura nihil de jure repeti posse *Cap. Non satis*, *Cap. Cum in Ecclesia, & Cap. Cum Abolendae de Simon.* retinendam tamen esse inductam Consuetudinem aliquid solvendi in hanc causam, ut firmat *Benedict. XIV. Instit.* 103. *num.* 38. Sed cavendum ne in praesenti casu potius *Corruptela*, quam legitima consuetudo dicenda sit. Idcirco enim Quarta funeraria vel Portio Canonica ex jure probatur, ut Parochi habeant mercedem laborum *Cap. Nos instituta* 1. *Cap. Relatum* 2. *de Sepulturis*, *& Clement. Dudum de Sepulturis*, eademque portio obtinet pro laboribus Parochi in administrandis defuncto Sacramentis *Cap.* 2. *de Sepulturis in* 6., & *Rot. decis.* 480. *num.* 9. *coram Merlin.* Cum autem in Diœcesi Calliensi persolvantur *Decimae Sacramentales*, & *Praediales*, quae etiam obtinent pro administratione Sacramentorum; videtur sane quod exactio funeris sapiat abusum, cum in eamdem administrationis Sacramentorum causam duplicatam mercedem Parochi exigerent.

Dubium proponitur.

An, & quomodo sit locus praestationi Decimarum & Funeris in casu &c.

Affirmative ad primam partem juxta solitum; quo vero ad secundam partem dilata, & ad mentem.

URBEVETANA REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Duo prae caeteris Cappellaniae institutae reperiuntur in Ecclesiae *S. Mariae Novae* Oppidi Ficullis ad Altare *SS̄mi Sacramenti*. Primam, constat, fundatam fuisse ab anno 1693. a Joanne Paulo Vannuzzi, cum onere Missarum trium in singulas hebdomadas. Pro dote assignavit is *quinque* prędiola & *undecim* census, quorum sortes in unum collectae praeseferebant summam *scut.* 138., & fructus dabant in scutis octo in singula

centum, & annos. Jus nominandi Capp
tum amovibiles concessum est Joseph
ejusque filiis, & descendentibus. Ann
byter Franciscus Antonius Corradini
cum hanc Cappellaniam teneret ab Epi
tano reductionem obtinuit ad nonaginta
ob deterioratas Terrulas, deperditumqu
sorte scutornm 12. 50. imminutosque p
ad annua scuta 13. 72.; De altera ver
nil certi probatur. Fertur tamen fundata
therina Binarelli Uxore Pauli Vannuz
Missarum viginti sex, & dote trium peti
ex quibus redibant annua scuta 1. 60.
Censuum, unius in sorte *scut.* 12. 50., al
qui dabant quotannis *scut.* 1. 80.

Ex hac Stirpe Corradinia nunc superstites s
Ugolinus, & Philippus Corradini, qui
missis oneribus satisfecerunt, licet utri
laniæ Fundi partim deperditi, partim c
sint. Nam ex quinque Terrulis pró dot
pellaniæ assignatis, tres tantum inveni
bus vix percipi possunt fructus in annu
Ex censibus vero tres supersunt in sorte
reddunt Annua *scuta* 2. 87 ½ Cum autem
pellaniæ dotales census deperiissent, &
sterilitate annuos octoginta solum obol
hæc a Corradiniis data sunt in Emphyth
tiam generationem masculinam pro a
scut. 2. 60. Verentes autem Fratres præ
suorum Majorum culpa evenerint deter
jusmodi; hinc suscepta in propriis bo
spondent, se pro prima Cappellania c
scut. 8. 52 ½, quæ summa respondet *fi*
Stabilium supradictorum quæ pro dote pr
niæ fuerunt assignata. Nullum vero Re
onus sibi assumunt quoad alteram Capp

si forte aliquam culpam habuerunt in deperitione dorum ad primam Cappellaniam spectantium, re tegrationis onus ultro susceperunt, *cui de jure no nerentur, cum impossibile omnino sit invenire, c culpa, vel dolo Terræ petia deperierint, cum pro ipsorum tenuitatem id facile potuerit evenire*. Ideò cludit in hæc verba = *Honestum judico primæ Ca laniæ Missas reducendas ad quadraginta duas infr num; secundæ vero ad novem, habito respectu pa tatis, & æleemosinæ hujusce temporis, quæ in hac cesi, comprehensis sacris Utensilibus passim comp tur in obolis viginti pro qualibet Missa*.

Petitæ autem Reductioni tria obstare videntur. Prin quod jam Reductio Missarum concessa est quoad pellaniam Vannuzzi ab Anno 1726., unde nunc cederetur *Reductio reductionis*, a qua semper al ruit Sacra Congregatio, & præcipue in *Neapol Reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1729., *& in letana Reductionis Missarum* 17. *Septembris* 1796 terum obstaculum præbet Reductioni longævu implementum quoad utramque Cappellaniam, Patroni Oratores semper celebrationem Missarur raverint, ut Emus Episcopus testatur, licet Fund pars deperiisset, ex quo longævo adimplemento di lius conceditur Missarum Reductio veluti eadem *Congregatio* decrevit in *Civitatis Castelli*, *Reducti Onerum*, 23. *Januarij* 1790., *& in Senogallien.* ctionis *Missarum* 23. *Aprilis* 1796. Et tandem qu hæreditaria, quam non diffitentur moderni Pa respectu suorum Majorum, qui pro imminutis tibus tenerentur.

Verumtamen tunc demum tenerentur hæredes ad tegrandam Cappellaniarum dotem si fundatio ess *monstrativa*, juxta auctoritates allatas in prec *Romana Supplementi*, *& Reductionis in* §. *Quest dit*. At in casu delitescit utriusque Cappellani

formul. Legal. 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25. Preterea dos utrique Cappellaniæ constituta erat in Terrulis, & Censibus exigui valoris, qui post longam temporis fugam facilius disperdi potuerunt, quin hoc socordiæ Patronorum tribui possit. Cum vero certa sit fundorum deterioratio, incerta Patronorum culpa, qui nihilominus de proprio quidquam supplent, & pro prima Cappellania prestant id, quod olim ex fundis redibat, asperum certe nimis videretur, si Oratores a petita Reductione rejecti ad integrum adimplementum Legati adigerentur, ut notat *Benedictus XIV. de Syn. diœces. lib.* 13. *Cap.* 25. *num.* 23., & Sagra Congregatio Patronis insontibus aliquid indulgendum putavit *in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728.

Quatenus EE. PP. votis Oratorum cesserint, tum statuendus erit *modus*, quo hæc ipsa Reductio fieri debeat. Hanc semper Sacra Congregatio servavit regulam, ut ante implementum, Missæ reducerentur ad rationem taxæ *perpetuæ*; post vero, *ad manualem in Fanen. reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761. Quare cum reductio petatur post adimplementum, ea facienda videtur *ad Manualem*, quæ nunc in Urbevetana Diæcesi, comprehensis sacris utensilibus, aucta est ad Obolos viginti. Advertendum tamen est, quod hac servata *Manualis* ratione pro secunda Cappellania non *novem* tantum, ut censet Emus Episcopus, sed *tresdecim Missæ* statuende viderentur, cum fructus ad eamdem Cappellaniam pertinentes *scuta* 2. 60. quotannis attingant.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus Reductioni in casu &c.

Negative in omnibus.

Sess. 22. Cap. 4. de Reform.

MATHELICEN. PROROGATIONIS, ET SANATIONIS. Cum decimum octavum ætatis annum ageret Clericus Dominicus Alexandrini Sereni ex Litteris Apostolicis Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Mathelicensi anni 1797. consequtus est ea lege, ut Sacros ordines susciperet, statim ac legitimam ætatem attigisset. Hanc legem penitus neglexit, licet a Men-

Mense Decembris 1799. pervenerit ad vigesimum secundum ætatis annum, immo nonnisi ab elapso Mense Martii prorogationem alterius anni a S. Congregatione deprecatus est, ut de sua vocatione deliberaret. Delegatæ Preces Episcopo propositæ fuerunt in Capitularibus Comitiis. Canonici in diversa obierunt. Nam ut in sua Informatione refert Episcopus = *Convocato Capitulo undecim adfuerunt Canonici, ex quibus sex precibus prædicti Can. Alexandrini per secreta suffragia sunt adversati, & quinque fuerunt juxta petita. cum vero ii qui renuerunt nullam exposuerint causam, & contra Parochus suis testimonialibus fidem faciat, eumdem Oratorem esse bonis moribus præditum videtur justa ejus petitio.*

Ex Tridentino *in Sess.* 22. *Cap.* 4. *de Reform.* cavetur, ut qui in Cathedralibus, & Collegiatis Canonicatum obtinent cum ad legitimam ætatem pervenerint, eos suscipiant Ordines, qui Præbendis sunt adnexi. Quæ in casu eo amplius obtinere debent, cum in Literis Apostolicis, ex quibus Clericus Alexandrini consequutus est Canonicatum, hæc ipsa conditio interposita, ut ad SS. Ordines intenderet, statim ac per etatem liceret. Quare prorogatio, deneganda videtur tamquam juris, & Bullarum dispositioni repugnans. Accedit dissensus Capituli, quod plurimi faciendus est in iis, quæ ejus intersunt *Cap. Pastoralis de Præbend.*, & declaravit S. Congregatio *in Novarien.* 20. *Novembris* 1709.

Verumtamen Clericus Alexandrini optimis moribus ornatus, & in servitio chori assiduus, licet dispositionem optimam ad S. Ordines ostendat; attamen hanc vocationem diutius disquirendam postulat. Sacra vero Congregatio attentis circumstantiis, ut concedit dispensationem ab ætate in beneficiis, quæ Sacros Ordines habent adnexos ea lege, ut Beneficiatus iisdem initietur cum primum ad legitimam ætatem pervenerit, ut in *Cornetana diei 6. Maij* 1775., *& in Cremonen. Dispensationis 2. Decembris* 1775. ita etiam prorogationem temporis indulgere solet, quo Clericus maturiori consilio suam vocationem experiatur ut *in Pisauren. Sanationis, & Prorogationis 16. Maii elapsi anni* 1801. Parvi vero faciendus est dissensus Capituli. Nam ex undecim Canonicis, qui suffragium tulerunt sex tantum votis Oratoris repugnarunt nulla aducta ratione. Quinque vero Clerici Alexandrini præcibus suffragati sunt.

Qui-

Quibus si adjungatur votum Episcopi, qui cum Capitulo unum Corpus constituit *Cap. Quod a Predecessore de Schismaticis*, sane videtur quod res versetur in paritate Suffragiorum, ut proinde vel pro gratia in paritate sit annuendum, vel nihili faciendus sit tamquam irrationabilis dissensus ceterorum Canonicorum, quem aliquando despexit S. Congregatio ut *in Fulginaten.* 30. *Januarii* 1723.

Quoad præteritum indiget sanatione Clericus Alexandrini, & condonatione fructuum, quos injuria percepit. Nam tum ex censura SS. Canonum privatur medietate Distributionum, si in legitima ętate constitutus S. Ordines non susceperit. *Clem. ut ii qui de ætat.*, *& qualitat. Barbos. de Canon. Cap.* 16i *n.* 10. Verumtamen animadvertendum est, quod Clericus Alexandrini pervenit ad ætatem legitimam *mense Decembris* 1799. eo scilicet tempore cum non dum adhuc restituta esset vetus disciplina. Videant EE. Patres, num ex hoc, aliisque Superius deductis, aliquid Oratori indulgendum sit pro Sanatione, & condonatione fructuum quoad præteritum, injuncta tamen aliqua erogatione pecuniarum erga pauperes pro summa arbitrio Episcopi constituenda.

Dignentur itaque dirimere Dubium.

An, & quomodo sit locus sanationi, & condonationi fructuum quoad præteritum, nec non prorogationi quoad futurum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 21. *Cap.* 5. *de Reform.*

PRÆNESTINA MANSIONARIÆ. In Capitulo Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Oppidi Paleani gemini sunt Beneficiati, qui ex *Fundatione* tenentur quotidie ad Chori servitium; *ex consuetudine* vero debent adesse Sacrario, & minora officia præstare ad Ecclesiæ nitorem. Id quod cum impedimento esset ne Beneficiati assiduo Choro interessent in præjudicium Psalmodiæ; hinc occasione *Reformationis Constitutionum* Ecclesiæ Anno 1786. deliberarunt Capitulares, ut unus deputaretur Mansionarius, qui omnia Sacristiæ officia expleret cum annuo stipendio *scutorum* 36.,

quæ

quæ pro scutis triginta ex pensione scutorum quindecim cuilibet Beneficiato pro tempore imponenda colligerentur, pro reliquis vero scutis sex ex Capituli redditibus essent præstanda. Patronus quidem Collegiatæ, qui est Magnus Comestabilis Columna assentitur impositioni pensionis, reservato tamen sibi jure nominandi Mansionarium. Emus Episcopus Prænestinus probat hanc novam fundationem, quippe quæ = *auget Chori & Sacrarii servitium, & licet minuat Beneficiatorum reditus; attamen ipsis remanet congrua ultra scuta centum, & a graviori & indecoro onere eximuntur* = Ministri quoque Dateriæ Apostolicæ, de sua Sententia rogati, hoc tantum improbant, quod reservetur jus nominandi Patrono, qui nil de proprio confert, cum novum hoc Mansionariatus officium ex redditibus erigatur, qui ad Capitulum, & Beneficiatos spectant.

Quamquam servitium manuale, quod Beneficiati præstare debent Sacrario & Ecclesiæ longa invectum sit consuetudine, a qua recedi non ita facile deberet *Lotter. de Re Benefic. Lib. 2. quæst.8. num. 16.*; Attamen cum hoc grave & indecorum videatur Emo Episcopo, non absonum erit, Beneficiatos hujusmodi ab eo onere eximi. Grave namque affirmat Eminentissimus Antistes hoc servitium, quia Choro etiam interesse debent Beneficiati; unde *dum unum implent, alterum deserant necesse est. Indecorum præterea videtur duos Presbyteros Ecclesiæ servitio addictos, atque cum cæteris Canonicis in Choro psallentes verrere Ecclesiæ Sordes; pulsare Campanas, cæteraque hujusmodi officia præstare, quibus eorum dignitas, ac Sacerdotalis character vilescit.* Quod si Tridentinum *sess.21. cap.5. de Reform.* permittit = *beneficiorum uniones, ut Ecclesiarum Status, ubi Sacra Deo Officia ministrantur, ex Dignitate conservetur* = multo sane magis, æquum profecto est, ut ex fructibus Beneficiorum reservetur pensio in stipendium Mansionarii adsignanda cum præcipue in eorumdem quoque comodum cessura sit nova hæc erectio. Ad hanc præterea probandam justa concurrit causa, consensus Beneficiatorum Patroni, & Ordinarii, cum vero erigenda sit Mansionaria ex perpetua reservatione pensionis super reditibus Capituli, & Beneficiatorum, SSmi imploranda videtur auctoritas, cui reservatum est jus imponendi pensiones ut firmat *Lotter. de Re Benefic. lib.1. quæst.35. num.65.*

D Quod

Quod pertinet ad modum quo hæc fieri debeant duo ab Emis PP. statuenda sunt. *Primum* quantiratem pensionis. Beneficiati spondent, se soluturos *scuta triginta*, scilicet *scuta quindecim* in singulos, & Capitulum *scuta sex*. Probat Emus Episcopus hanc quantitatẽ ea ratione dispertitam, quæ minuit quidem reditus Beneficiatis, sed his salva est cougrua sustentatio, & augetur Chori servitium. *Alterum* constituendum est num probari possit, quam sibi reservavit Patronus, hujus Mansionaratus nominatio. Huic favet Ordinarius, & Capitulum nil negocii facessit, quominus volita reservatio Patrono concedatur. Ipse quidem nil de suo confert, neque suis juribus quidquam detrahitur. Nam stipendium novo Mansionario constituitur ex reditibus, qui ad Beneficiatos pertinent, & Patrono salva sunt jura super universo Capitulo. Absque *fundatione* vero, vel *dotatione* vetant Sac. Canones, ne cui juspatronatus quæratur *Can. Quicumque* 16. *quæst.* 17. *Cap. Cum propter de jure Patronat.*, ibique *Fagnan. num.* 6. *Lambertin. de Jure patronat. Lib.* 1. *Part.* 1. *quæst.* 5. *Artic.* 2. *num.* 1. Cæterum notandum est, novam Mansionariam erigendam fore per dismembrationem redituum Capituli & Beneficiorum, quæ olim Patronus dotavit. Ipsius autem imminui videtur jus, quoties Beneficia falcidiam præmissam in reditu ferre debent ad novam erigendam Mansionariam quæ proinde nonnisi ab ipsa dote per Patronum collata suam dimetiri videtur fundationem.

Emergit hinc Dubium.

An, & quomodo sit locus erectioni Mansionariæ ita, ut sit consulendum SSmo in casu &c.

Die

Die Sabbathi 20. Februarii 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MATHILICEN. PROROGATIONIS, ET SANATIONIS. *Sess.22.cap.4. de Reform.*

An, & quomodo sit locus sanationi, & condonationi fructuum quoad præteritum, nec non prorogationi quoad futurum in casu?

Affirmative ad primam partem, erogata aliqua pecuniarum summa in Christi pauperes arbitrio Episcopi designanda, quo vero ad secundam partem affirmative ad sex menses absque spe ulterioris prorogationis.

PRÆNESTINA MANSIONARIÆ. *Sess.21.cap.5. de Reform.*

An, & quomodo sit locus erectioni Mansionariæ ita, ut sit consulendum SSmo in casu?

Affirmative juxta votum Emi Episcopi.

ASCULANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

De commutanda voluntate Canonici Francisci Fazi actum est in Congregatione *diei* 8. *Augusti nuper elapsi anni* 1801., hinc voluntatis exequtionem postulantibus Exequtoribus Testamentariis, tùm Capitulo, & Communitate Aufidæ, illinc urgentibus commutationem voluntatis secundum Votum *Emi Episcopi* Priore Collegiatæ Carolo Cipolletti, & Canonicis Josepho Cipolletti, & Blasio Telli. Verum in Summo contradicentium certamine proposito Dubio = *An & quomodo sit locus commutationi voluntatis Canonici Fazi in casu &c.* EE. PP. rescripserunt = *Negative in omnibus applicatis pro expensis erectionis, & favore fabricæ*

 Eccle-

Ecclesiae fructibus decursis, & decurrendis usque ad nominationem faciendam anno currenti,

Hinc qui commutationi voluntatis, & voto Emi Antistitis favent impetrato novae *Audientiae Beneficio* validius instant, ut ex hereditate Canonici Fazi erigatur Praebenda Theologalis, juxta censuram Sac. Concilii Tridentini *Sess.5. cap.1. de Reform*, qua non tantum consulitur, sed expresse jubetur, ut *in Collegiatis existentibus in aliqua insigni oppido praebenda primo vacatura* = pro Canonico Theologo constituta censeatur. Ideo contendunt, quod perinde se res habeat, ac si agatur de Prebenda jam erecta, & vacante, cum sit satis ex mente Concilii Tridentini, quod nulli jus fuerit quesitum in praebenda pro Theologo assignanda, id quod obtinet sive praebenda sit vacans, sive denuo erigenda. Quare concludunt quod hanc Fatianam Praebendam deceat magis in Theologalem converti, cum agatur de Collegiata existenti in insigni Oppido. Hec namque insignis qualitas, licet pendeat ab arbitrio judicum, attamen deduci solet ex frequentia populi, ex splendore Ecclesiae, ex privilegiis Collegiatae, ex dignitate Cleri, & ex Conventibus Regularium, ut tradit *Barbos. ad Concil. Trident. Cap.1. Sess.24. de Reform.*, *Corrad. in prax. Benefic. part2. Cap. 1. num.21. & 23.* Quae omnia ut constat ex allatis documentis ita concurrunt in proposito casu, ut Oppidum Aufidae inter *insignia*, de quibus Tridentinum meminit, sit accensendum.

Quibus constitutis refellere conantur ea, quae in praeterita propositione opponebantur, ne Praebenda Fatiana pro Theologali deputari posset. Negant enim fieri commutationem voluntatis Fundatoris, sed tantum ampliationem. Nam novus Canonicus, & confessiones excipere, & Sacra conficere debet, demumque Sacras literas explicando diebus festis Evangelii simul explicationem adnectere poterit. Itaque omnia implentur fundationis onera, eo desuper addito, quod secumfert Theologi munus erudiendi Populum in Sacrae Scripturae scientia, ut Tridentinum jubet. Quamquam vero commutanda esset voluntas; attamen concurrit *necessitas*, quia ex praecepto Tridentini est erigenda Theologalis praebenda, & *utilitas*, quia per eam Fideles necessariam de rebus divinis notionem accquirent. Nam *qui nescit Scripturas, nescit Dei vir-*

virtutem ejusque sapientiam. Ignorantia enim Scripturarum ignorantia Dei est, ut ait *D. Hieronim. in Isaid*. Nihil porro referre ajunt, si hactenus hæc Prębenda deputata non sit. Quod enim hactenus fieri non licuit, non idcirco perpetuam suadet inobservantiam conciliaris decreti.

Conferant hęc EE. PP., quæ in nova allegatione, ut moris est distribuenda deducuntur a Canonicis Cipolletti, & Telli cum iis, quæ exposita sunt in Folio hujus causæ *ad prædictam diem* 8. *Augusti* 1801., & cum aliis Libellis tum distributis ab Exequtoribus testamentariis, a Capitulo, & Communitate Aufidæ, qui omnes pro *reassumptione* supplicant, & deinde dignentur deliberare.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

ROMANA. Quæsitum est in Congregatione *diei* 8. *Augusti elapsi anni* 1801. = *An & quomodo sit locus suspensioni nominationis* = octavæ Cappellaniæ ærectæ in Ecclesia S. Mariæ Transtyberim in gentilitio Sacello Familiæ Altemps; & EE. PP. rescripserunt = *Dilata & ad D. Secretarium pro prefixione termini Oratori ad reddendam rationem ab anno* 1769. *usque in presens, non retardato interim adimplemento onerum* = Quæ fuerit causa, cur modernus Dux Siticus Altemps hanc suspensionem nominationis postulaverit, EE. VV. recognoscere poterunt ex Folio hujus Causæ in *Romana* 8. *Augusti* 1801. *Sess. 27. cap. 7. de Reform.*

In termino itaque præstituto obtulit Orator redditionem rationis ab anno 1769., quo ejus defunctus Pater ex Decreto S. Visitationis in administratione hujus octavæ Cappellaniæ versatus est dum in humanis fuit, eoque defuncto filius Dux Siticus præstitit. Oblatæ rationes ablegavi Perito, ęque & honesto Ratiocinatori Joanni Sala, qui rimatis Libris, & Scripturis refert,

fert, quod Cappellanię dos consistit in locata Domo, & duobus Locis Montium, ex quibus habetur activum *Capitale* scutorum 3105. annui reditus scut. 122. 10. Contra vero *Capitalia* passiva, tum pro Canone, quo gravatur Domus erga sodalitium S. Rocchi, tum pro frugifero ęre alieno contracto ad eam instaurandam, tum pro annuis Missis 182. ex fundatione celebrandis una cum expensis in causam utensilium, attingunt summam scutorum 3303. 39., & exitum secumferunt in annuis scutis 127.. Quare status Passivus activum excedit in scutis 198. 39., & ratio annui *impensi* in scutis 127. illas *accepti* in scutis 122. 10. superat in scutis 5., & 75. Advertendum pręterea monet Peritus, quod pensiones domus relatæ fuerunt in calculum nulla habita ratione = *degli acconcimj, e sfitti*, & fructus Locorum Montium calculati ad antiquam exigendi normam scutorum 2. 95. in singulos annos, quæ imposterum non dabunt, nisi scutum 1., & 20.. Ex quibus ut annuus reditus diminuitur, ita passivus status augetur.

Hinc transit Peritus ad liquidanda nomina Debitorum, & Creditorum hujus Cappellaniæ. Illa assurgunt ad scuta 595. 11., quorum scuta 428. 21. pro inexactis Domus pensionibus in majori parte sunt *di disperata esiggenza*. Contra nomina Creditorum constituunt summam scut. 2527. 37.; ita ut licet exigerentur integra Debitorum nomina, attamen Creditores ea longe pręstarent in scutis 1936. 26. *che tutti si dovrebbero all' Eccellentissimo Signor Duca d'Altemps, il quale rappresenta in oggi, e per se stesso, e come Erede beneficiato del Signor Duca suo Genitore un Credito anche maggiore per aver supplito del proprio ai pesi della Cappellania durante l'Aministrazione, che andette soccombente per la quasi totale riedificazione della Casa*. Huic Credito addito excessu Capitalis passivi in scutis 198. 39., integrum defectum Capitalium statuit Peritus in scutis 2130. 65.

Ex quibus Orator enixius implorat suspensionem Cappellaniæ, & pręterea exhibens Compositionem a Reverenda Fabrica impetratam pro Missis ad totum mensem Junii proximi præteriti omissis, probat a posteriori mense *Julio ad mensemusque Novembris* justa mandata S. hujus Congregationis Missarum oneri sati-

tisfecisse, Reassumpto itaque Folio præteritæ propositionis, diligentur EE. PP. decernere.

An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis in casu &c.

Ad Emum Gabrielli, qui dignetur rem perpendere, & votum suum aperire firma remanente celebratione Missarum.

PATAVINA REDUCTIONIS ONERUM. Canonicus Hieronimus Bolis ex Oppido *Montaneane* Patavinæ Diæcesis anno 1727. supremas scripsit tabulas, quibus Primogenituram instituit, simulque Fideicommissum. Ex integro namque Asse quædam seposuit Livella, & pensiones, quas annuam summam Libellarum 1331. monetæ venetæ attigisse fertur, quasque subjecit Primogenituræ in Antonium Bolis Pronepotem suum, ejusque deinceps filios, & descendentes primonatos progressivæ. Id vero oneris dedit, qui erant successuri, Primogenitis *d' eleggere un Sacerdote, che abbia a celebrarmi una Messa quotidiana agl'Altari privilegiati del Duomo di questa Terra, cioè il Martedì all'Altare di S. Antonio di Padova, il Mercoledì a quello della B. V. del Rosario, il Venerdì a quello della S. Croce, e questo perpetuamente, e gl'altri giorni massime la Santa Festa à quelli altari saranno privilegiati; coll'ingiungere anche obbligo allo stesso Sacerdote della residenza del Coro, perchè abbia tanto la mattina di cadaun giorno, quanto il dopo pranzo intervenire, ed assistere alle funzioni tutte del Coro, come suole praticarsi dagl'altri Sacerdoti Mansionarì, quali hanno l'obbligo della residenza in Coro; con dover contribuire allo stesso Sacerdote, che sarà di tempo in tempo eletto Ducati cento da Lire 6$_{8}^{\circ}$, e 4. per Ducato, di trè in trè mesi con puntualità*. Post hæc Testator ordinem succedendi statuit, omnesque a se vocatos, & Substitutos esse declarat, *col carico, ed obbligo della elemosina precitata dei Ducati cento al Sacerdote eletto* = Quidquid vero supererat, separatis reditibus Primogeniturę assignatis, Fideicommisso supposuit universali, in quo instituit Joannem Bolis Ne-

Sess.25. cap.4. de Reform.

Nepotem, eoque defuncto ejus filios, & descendentes reciproce, & *in infinitum* substituit, quibus omnibus injunxit *l'obbligo della Mansioneria essendo mia intenzione, che resti instituita essa Mansioneria sino, che vi sarà della mia facoltà*.

Hanc Primogenituram nunc possidet Sacerdos Justus Antonius Bolis Canonicus Patavinæ Cathedralis, qui cum reperire non possit Sacerdotem, qui pro Ducatis centum, seu Libellis 620. quotidianum onus Missæ, & Chori præstare velit, ut hactenus factum est, ne ultra dotem Mansionariæ a Testatore assignatam aliquid supplere teneatur, deprecatus est a S. Congregatione reductionem onerum, quæ testator jussit; Simulque translationem Missarum a certis designatis altaribus ad privilegiatas aras arbitrio Mansionarii in eadem Ecclesia seligendas. Vicarius Capitularis Patavinus exposita confirmans favet Oratori. Nam = *impossibilem rem esse* (ait) *Sacerdotem invenire, qui cum emolumentis a Testatore Bolis taxatis velit sibi assumere onus Missæ quotidianæ, atque cum iis divinas laudes canere. Eleemosinam pro unoquoque Sacrificio consuetam, & ordinariam esse libellarum duarum; perrarum numerum Sacerdotum in eodem Oppido commorantium, pluresque eorum, & pene singulos, vel aliis Ecclesiasticis Beneficiis provisos, vel hac Cappellania ad victitandum non indigere, illamque fere omnes attentis paucis emolumentis recusare posse. Quo vero spectat ad residentiam in Choro magnopere optarem, ut PP. EE. ab hac Cappellanum non absolverent. Necessarium enim foret numerum Sacerdotum choro interessentium augere, non diminuere, eo quod Ecclesia Montaneane bonis, super quibus distributiones quotidianæ fundatæ erant, expoliata ornamentum illud ammisit. Ad hanc residentiam constituendam necessarium esse puto, ut Sacerdos pro eadem saltem Libellas venetas tercentas decem in singulos annos percipiat. Quod attinet ad localitatem optimum sane est, Sacerdotem Cappellanum intra eam Ecclesiam celebrare, si illius Ecclesiæ honor, & Populi commodum inspiciatur, altaris vero localitate parum referente ad Ecclesiæ, & Populi bonum*.

Ex fundatione patet, quod pro quotidiano onere missæ, & chori certa assignata fuerit quantitas in Libellis 620. in causam emolumenti, quod nunc pro temporum vicissitudine oneribus adimplendis impar evadit. Statuen-

tuendum erit igitur hoc primum ab EE. VV., utrum hæres supplere teneatur ex aliis hereditariisBonis,quantum ultra constitutam dotem satis sit, ut præscripta impleantur onera. Secus enim reductio denegari non poterit, cum solemne sit, quod reducantur onera, quoties par relictum non fuerit emolumentum, ut ad *Text. in Cap. Cum omnes de Constit.*, *Fagnan. ibidem n.* 31., *Card. Petra ad Constit.* 7. *Eugenii IV. Sect.* 2. *num.* 28. *tom.* 3., *& S. Congregatio in Viterbien. Reductionis* 8. *Maij* 1784. Negat autem Orator Bolis se teneri ad supplementum *tum* inspecta fundatione, *tum* libratis viribus hæreditariis. Nam fundator non mandavit, ut hæres Primogenitus curaret celebrationem Missæ, & servitium chori, sed, ut Sacerdotem eligeret, qui hæc onera præstaret = *con dovere contribuire al medesimo Ducati cento* .... *di tre in tre mesi con puntualità*, & alio testamenti loco = *col carico*, *ed obbligo della elemosina precitata di ducati cento al Sacerdote eletto* = Quare se omni obligatione functum affirmat, quoties certam illam quantitatem representat. Nam cum certa quantitas legata est ad aliquod onus a tertio adimplendum, tunc legatum videtur restrictum ad illam quantitatem, ita ut hæres de supplemento gravari non debeat; quemadmodum innuere videtur *Pasqualig. de Sacrificio Novæ Leg. quæst.* 1026. *n.* 3., *& Rota in dec.* 433. *per tot. cor. Cerro*. Eoque magis hoc supplementum a se reiicit Orator, quia pensatis hereditariis rationibus. apparet quod annuus census Primogenituræ in Libellis venetis 1431. detracto stipendio Cappellani, & vectigalibus diminuitur ad Libellas 449. Quare si Cappellaniæ supplendum esset in aliis Libellis 310. quot Vicarius Capitularis necessarias ducit ad obeundum chori servitium; nil aliud Primogenitus consequeretur, quam Libellas 139. ita ut inutilis omnino, & nugatoria fieret hæc Primogenitura.

Nihilominus pro supplemento ab herede prestando pugnat,tum juris *præsumptio*, tum *conjectura* voluntatis Fundatoris.Quando enimTestator certum expressitMissarũ numerum,& certa parimodo indicavit onera urget præsumptio, quod integrum voluerit numerum Missarum aliorumque onerum implementum,ita ut in id sive dos sufficiat, sive secus, semper hæres supplere teneatur *Can. Ultima Voluntas quæst.* 16. *Genuen. in Praxi quæst.* 180. *num.* 5., *Passarin. de Statu homi-*

num tom. 2. *quæst.* 187. *Artic.* 4. *num.* 984., *Rota decis.* 117. *num.* 7. *part.* 17. *Recen.* Huic præsumptioni consona videtur conjectura quæ ex voluntate Testatoris deducitur. Hic enim in una, eademque oratione ab onere incipit dispositionem, & inde pergit ad constituendum Cappellani stipendium, quo casu hæc dotis assignatio *demostrativa* videtur, atque in demonstrativis legatis obvium est, quod impar designata quantitas per heredem sit augenda juxta theoricam *Felini in Cap. super Litteris De rescriptis*, quam illustrat *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. ultim. num.* 22. Qua re certa assignata quantitas nihil detrahit obligationi, quā habet hæres implendi legatum, & potius censetur adjecta, quia tunc vel erat congrua, vel congruam existimabat Testator, quam ut restringere possit hæredis obligationem, ut definivit *S. Congregatio in Narnien.* 15. *Januarii* 1721., *& in Romana Legati Missarum* 22. *Augusti* 1795. *ad II. Dub.*

Neque aliquid indulgendum videtur Oratori, si vires hæreditariæ huic snpplemento deficere videantur. Nam rationes hereditariæ exhibitæ nullis documentis comprobantur, ita ut subverendum sit, eas ad libitum calculatas esse. Quatenus vero legitime essent ex his apparet, quod vires legato implendo sufficere possunt, cum fateatur Orator, quod pro Primogenito supersunt Libellæ 139. in annos Singulos. Quod si hæres dum qualitatem hæreditariam retinet, etiam in bonis propriis pro legato obligatur, ut passim tenuit S. Congregatio *in Camerinen. Subsidii Dotalis* 17. *Junii* 1761. *ad II. Dub.*, *& Januen. Legati* 15. *Decembris* 1787. *ad I. Dub.*; multo sane magis obstrictus videtur, dum bona hæreditaria sufficiant, licet favore Primogenituræ diminuantur. Maxime cum pro hujusmodi pio legato Testator non tantum bona particulari Primogenituræ, quam reliquum patrimonium Fideicomisso subjectum obligavit, dum expresse jussit = *essendo mia intenzione che resti instituita essa Mansioneria sino vi sarà della mia facoltà* = Aut igitur Orator possidet una cum Primogeuitura bona Fidecommissaria, & tunc ipse habet, unde suppleat; aut hæc bona in reliquos de Familia dispertita snnt, & tunc ab iis poterit supplementum petere.

Quod si EE. PP., hisce non obstantibus, indulgendam Oratori censeant reductionem, tunc statuendus erit mo-

modus quo reductio concedenda sit. Nam ordo dispositionis, & scripturæ Missarum onus servitio chori prefert, ut proinde potius hoc onus, quam Missæ reducendæ videantur, secundum Doctrinam *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. ultim. num*. 23, quam semper secuuta est S. Congregatio *in Regien. Reductionis Servitii Chori*, *& Missarum* 29. *Julii* 1775., *& in Urbanien. Reductionis Missarum* 16. *Februar.* 1788. Verum Ecclesiæ expediret, ne Servitium chori reduceretur. Nam Vicarius Capitularis necessarium existimat = *numerum Sacerdotum choro interessentium augere, non diminuere, eo quod Ecclesia Montaneanæ bonis, super quibus distributiones quotidianæ fundatæ erant, expoliata, ornamentum illud amisit* = Pro servitio autem chori necessarium esset *ut Sacerdos saltem Libellas Venetas* 310. *perciperet in singulos annos* = Quibus detractis ex annua dote Libellarum 620., residuæ essent Libellæ 310, unde celebrari possent quotannis Sacra 155., cum *eleemosina* (ut Vicarius Generalis testatur) *pro unoquoque Sacrificio consueta, & ordinaria sit Libellarum duarum*.

Quatenus vero reductio concedatur postulat Orator, ut liceat Cappellanis pro libitu in Aris privilegiatis ejusdem Ecclesiæ sacrificia offerre, quin statis diebus teneantur celebrare juxta Testatoris præceptum = *il Martedì al Altare di S. Antonio di Padova, il Mercoldì a quello della B. V. del Rosario, il Venerdì a quello della S. Croce, e questo perpetuamente, e gl'altri giorni massime la Santa Festa a quelli altari saranno privilegiati*. Quæ sane petitio translationem missarum secumfert, & sapit commutationem voluntatis, quæ cum semper difficilius conceditur, *ex Tex. in Can. Ultima Voluntas Caus.* 13. *quæst.* 2.; tum maxime, cum Fundator certum designavit altare in quod ejus præcipua ferebatur devotio, ut definivit Sac. Congregatio *in Casalen.* 15. *Decem.* 1797. Nihilominus ponderandum est, ex necessitate, & utilitate hanc translationem sæpe fuisse concessam, ut in *Neapolitana Cappellaniarum* 16. *Junii* 1731., *& in Firmana* 3. *Augusti* 1782. Non agitur autem de translatione sacrificii de una in aliam Ecclesiam, sed de simplici commutatione Altaris, qua salva remanet in substantia voluntas Testatoris, & solum venia datur Cappellanis, ut Sacrificia offerant in Altaribus privilegiatis sibi be-

nevisis ejusdem Ecclesiæ, ut facilius chori servitium obire possint. Quæ sane commutatio levioris momenti esse videtur.

Pro duplici instantia geminum proponitur dubium.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

II. *An, & quomodo, sit locus translationi Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 21. Cap. 3. Sess. 24. Cap. 13. de Reform.

FERETRANA UNIONIS, ET REDUCTIONIS. Non semel, sed sæpius petita est applicatio hæreditatis, quam in usos pios Sacrorum, Subsidii dotalis, & ælemosinarum erogandam legarunt Gratiosus, & Angelus Remigius Fratres Calbini ex Oppido Maceratæ Feltriæ: semper tamen Sac. Congregatio ab hac applicatione se præbuit alienam. Primum Franciscus Galbini superstes Testatorum Frater hæreditates hujusmodi erogandas postulavit in constructionem Suburbicariæ Ecclesiæ, & stipendium Cappellani, qui Sacrificium quotidianum pro testatoribus offerret, ut videre est *in Feretrana diei 20. Decem.* 1766., in qua ad Dubium = *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis* = Sac. Congregatio rescripsit = *Quoad dispositiones Gratiosi, & Angeli Remigii negative, & amplius: in reliquis utatur jure suo* = Nonnullis interpositis annis denuo Vicanis Maceratæ Feltriæ meditantibus eamdem Ecclesiæ constructionem, pauperes illius Oppidi insteterunt pro implemento legatorum, iterumque Sac. Congregatio rescripsit = *Episcopus utatur juris remediis quoad rectam legatorum exequtionem, firmo remanente Decreto Sacræ Congregationis anni* 1766. ut in *Feretrana Legatorum* 27. *Februarii* 1790. Tandem postquam Rector Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Arcangeli renunciatus fuit Sacerdos Dominicus Antonius Ravogli, ut repararet fatiscentes ædes parrocchiales, & angustam ampliaֹ-

pliaret Ecclesiam, frustra deprecatus est applicationem utriusque hæreditatis Galbini. Propositum namque Dubium = *An*, *& quomodo sit locus applicationi hæreditatis Galbini* = rejecit Sacra Congregatio per Rescriptum = *Negative* = ceu apparet *ex Feretrana Applicationis* 27. *Augusti* 1796.

Hisce tamen non acquiescens decretis idem ille Rector Dominicus Antonius Ravogli postulat, ut hæreditas Gratiosi Calbini uniatur reditibus Pareciæ S. Michaelis Arcangeli. Hic vero Gratiosus Calbini ita de re sua *anno* 1742. disposuit, ut si deficerent sine ulla prole, qui fuerant scripti hæredes superstites Fratres, & substituti nepotes, tum ex integro hæreditatis fructu = *un anno si facci dire tante Messe secondo la mia intenzione ed un anno si dotino le Zitelle più povere, e le più onorate di questa Parocchia di S. Michel Arcangelo di Macerata* (Feltriæ) *e si dia scudi* 25. *ducali per cadauna, e se avanzasse qualche poco di denaro, e che non bastasse per la dote di una Zitella si dispensi tutto questo denaro a Poveri di questa Terra, e che tutto ciò si faccia coll' assistenza de' Signori Rettori della Cura di S. Michele Arcangelo della sudetta Terra, e del Signor Potestà pro tempore, quali prego a voler assistere, che non sia dilapidata detta robba, e non venisse adempita la mia mente* = Hinc defectis institutis, substitutisque omnibus alternis annis subsidium dotale collatum est & superextantes reditus in æleemosynas erogati fuerunt, & vice mutua celebratæ fuerunt. Missæ 170.. Ita vero unionem proponit Rector Ravogli, ut singulis duobus annis teneatur dotem dare ad Testatoris præscriptum, & Missas celebrare juxta reductionem à Sac. Congregatione indulgendam.

Episcopus Feretranus ex fide Vicarii Foranei, qui olim Rector fuit S. Michaelis Arcangeli plura ad rem opportuna rescribit. *Censum* Paræciæ S. Michaelis Arcangeli ab Oratore oblatum remittit, in quo adnotantur annui reditus in scutis 56. 85., annua onera in scutis 36. 48. itaut Rectori supersint scuta 20. 37. Verum eidem Episcopo nimis tenuis visus est Census ipse præcipuè cum certior factus sit à Vicario foraneo quod Paræcia S. Michaelis Arcangeli = *hà un annua rendita sicuramente di sopra a sessanta scudi, con un' annuo dispendio di circa scudi trenta per cui liberi al Paroco*

ri-

rimangono scudi trenta = Negat porro Episcopus ipse ulla reperiri posse media, quibus Parocho conciliaris congrua constituatur. Hæreditatem vero Gratiosi Calbini constat ex prædio *Camertino* (ex quo secundum Peritorum extimationem inito decennali calculo redeunt annua *scuta* 25.) itidem ex alio agro, quod indivisum est cum hæreditate Remigii Calbini, & ex fructu pecoris & cujusdam parvi census, itaut introitu ascendat ad scuta 30. romana. Expensæ autem & vectigalia attingunt *scuta* 8. 89. Quare hæreditas ascendit ad *scuta* 21. 11. Alter exequutor testamentarius, scilicet Prætor Maceratæ Feltriæ, & pauperes oppidani triginta octo unioni subscribunt, & Rectori assentiuntur. Quamobrem Feretranus Antistes votum suum concludit = *Sensum meum aperiendo dicam, quod cum Parochus Orator se obliget ad dotis subsidium alternativo anno distribuendum ut Graziosus Calbini Testator jubet, unionem posse EE. VV. concedere sentirem ego, adjuncta vero pœnali lege in casu ommissionis & exarata nunc in forma probanti per ipsum Oratorem obligatione (qui cum sit inops, ni ligetur, insurgent lites & quæstiones), facienda etiam per unumquemque ex successoribus Parochis pro assecuratione adimplementi legati, & Puellarum, quibus hac unione nihil detrahitur. Mediante porro hac unione Reductio Missarum, & quidem non exigua necessario facienda erit duplici ex causa, & deficientia Sacerdotum renuentium jure merito celebrare Eleæmosina manuali; Nam in legatis perpetuis præter Romanam Taxam etiam in meis Synodalibus Sanctionibus in sesquijulio Eleæmosina statuta legitur; & multo magis si hac unione aliquid utilitatis Parocho augeri velit.*

Cum succurri nequit indigentiæ Ecclesiæ parochialis, ordinariis remediis præscriptis à Sac. Concilio Tridentino *Sess.*24. *cap.*13. *de Reform.* tum ad extraordinaria processit Sac.Congregatio, scilicet applicationis Legati Missarum ut *in Spoletana* 18. *Decembris* 1790., & subsidiorum dotalium ut *in Novarien.* 8. *Februarii* 1794. Non tamen temere horum applicatio conceditur, sed probatis requisitis, quæ pro unionibus hujusmodi peragendis præscribuntur a jure *in Cap. Exposuistis* 33. *de Præbend.* : *necessitas* scilicet, & *consensus* eorum quorum interest, ut docet *Tamburinus de jure Abbat. tom.*3. *disput.*13. *quæst.*3. *num.*1. & *seq.*

Ne-

Necessitas requirit Paræciam adeo pauperem esse, ut Parochus non habeat, unde honestè vivat. Si Census, quem Rector Ravogli exhibet, attendatur, ex hoc apparet, quod annui reditus constituuntur in scutis 56.85. & onera in scutis 36. 48. itaut subductis rationibus Parocho vix supersint scuta annua 20. Et quamquam hæc onera diminuenda videantur dempto scilicet stipendio Missarum in annuis *scutis* 10., quæ Parochialem congruam non minuunt, ut tradit *Card. de Luca de Benefic. discurs.*90. *num.*8. *Rot. coram Merlin. decis.*587. *num.*8., *coram Buratt. decis.* 418. *num.*16.; attamen aucta etiam congrua ad annua scuta 30. non æquaret taxam ducatorum centum, quam statuit Sac. Concilium *sess.*24. *cap.*13. *de Reform.* Animadvertendum tamen est quod minor aliquando ex institutione esse potest congrua, ut statuit Sacra Congregatio *in Derthonen.* 28. *Januarii* 1736. Rursus quod numquam antea Parochi reclamarunt, neque Paræcia nunquam vacans fuerit & per concursum eam obtinuerit modernus Rector Ravogli. Hæc patent ex Folio *in Feretrana Applicationis* 27. *Augusti* 1796. edito tum cum idem Ravoglius frustra postulavit applicationem utriusque hæreditatis Calbini favore fabricæ Ecclesiæ. Qui enim tunc obstiterunt huic applicationi, probarunt congruam Parochi constituendam esse in scutis annuis 55. 81. Et Sac. Congregatio dum applicationem rejecit satis videtur innuisse, quod inopia Paræciæ probata non esset, nisi mutatæ temporum circumstantiæ impares hodie suaserint reditus, quos forte congruos sub Annum 1796. reputavit Sac. hæc Congregatio.

Suspicione non vacat consensus, quem nunc præstant alter executor testamentarius & pauperes Oppidani, cum antea semper applicationi repugnassent. Non est autem prætereundum, quod tunc applicatio ita petita fuit, ut hæreditas integra in reparationem Fabricæ erogaretur; nunc vero ita postulatur, ut, & præstetur alternis annis subsidium dotale in scutis 16. 63. (tanti enim valent scuta 25. Ducalia) & Missæ celebrentur. Quare dum hæreditas Gratiosi Calbini constat ex annuis scutis 21. 10. detractis oneribus, jam eo anno quo subsidium dotale præstandum est in annuis scutis 16.63 vix supererit summa scutorum quatuor & obul. 47. in pauperes distribuenda. Nil ergo mirum videri debet, si nunc pauperes assentiantur cum de pusilla

elee-

eleæmosyna agatur, quam Parocho cedant, quæque in plures distributa nonnisi tenuissimum Pauperibus ferret subsidium.

Si applicatio indulgenda sit, ad modum pertinet, ut Parochus obligationem emittat de præstando subsidio singulis duabus annis, & alterna vice celebrandis Missis. Hactenus celebratæ fuerunt Missæ 170. quotannis. Sed Sacerdotes renuunt eas celebrare ad rationem manualis, dum pro perpetuis Legatis in Feretrana diœcesi obolis quindecim taxata est eleæmosyna. Ut autem quid utilitatis sentiat Orator forte decernenda taxa perpetuæ, cum agatur de onere perpetuo, neque adhuc constet fuisse acceptatum, ut sæpius Sacra Congregatio definivit, & præcipue *in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761. *in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782., quæ reductio eo pronius conceditur cum cedit in levamen pauperis Parœciæ, ut *in Spoletana* 18. *Decembris* 1790.

Ex his deducitur Dubium.

An & quomodo sit locus applicationi in casu &c.

Sess.25. cap.9. de Reform.

TOLENTINATEN. JURISPATRONATUS. Familia Panunzi Juspatronatus tam activum, quam passivum obtinebat Canonicalis Præbendæ erectæ in Cathedrali Ecclesia Tolentini. Utrumque hoc jus Paterfamilias Aldebrandus Panunzi gratuito titulo *di sua mera condiscendenza, ed amorevolezza* cessit *Anno* 1797. Canonico Friderico Bezzi *per se, e suoi*. Mox post obitum Aldebrandi ejus Filius, & hæres Vincentius Panunzi Annorum quatuordecim cum authoritate Tutoris, & Judicis laici, aliisque solemniis in Minorum contractibus præscriptis paternam cessionem *sub Annum* 1800. ratam habuit *in venerazione di un fatto del proprio suo Padre dichiarando non esservi in tal' atto intervenuta frode, inganno, patto illecito, o simoniaco, ma esser stato stipolato di sua mera volontà, e condiscendenza*. Cumque demum in utroque Instrumento approbatio Ordinarii fuisset reservata, Vicarius Capitularis *die* 8. *Ianuarii* elapsi Anni contractum appro-

probavit, confirmavitque *salvis juribus aliorum Patronorum, si qui sint*. His gestis resignata fuit canonicalis Præbenda ab ejus Possessore Canonico Nicolao Micciani favore ejusdem Friderici Bezzi, concessis in Litteris Apostolicis resignanti annuis scutis viginti à Bezzio solvendis nomine alimentorum. Verum cum deinde utrinque conventum fuisset, ut Miccianus ejus pensionis loco fructus Beneficii perciperet; ideo Resignans, & Resignatarius dubitantes in confidentialem simoniam incidisse ad *SSmum* recursum habuere, qui per organum Emi Datarii *sub die* 11. Martii elapsi Anni *absolutionem, rehabilitationem, & dispensationem* concessit, itemque *reservationem fructuum* pensionis loco probavit.

um exequerentur Litteræ Apostolicæ per Bezium expeditæ nova interim promota est difficultas, num scilicet Vicarius Capitularis cessionem Jurispatronatus confirmare posset: Qua de re Fridericus ad Emas Vestras recurrit, ut si minus legitime a Vicario Capitulari probata sit ea cessio, nunc vestra authoritate confirmetur. Quibus de precibus rogatus Vic. Capitularis, se penituisse respondit sancitæ confirmationis, quam a suo Cancellario oblatam subscripsit, ratus nihil eam præseferre, quod non esset approbandum. Rem tamen nunc intimius scrutans, *& audito* (sic ait) *Adolescentulo interesse habente, tria notavi. PRIMO hujusmodi cessio facta fuit coram Judice laico interposito de more Tutore, qui prius juravit utilia facere. Quid autem inutilius pauperi adolescenti, quam seipsum, totamque familiam orbare Jure Activo, & Passivo Canonicatus. SECUNDO auditus Vincentius unice interesse habens, & interrogatus de præfata cessione nonnulla asseruit, quæ quamplurimum pugnant cum iis, quæ a cessione resultant* : scilicet se in ratihabitione pro una vice tantum juspatronatus cedere voluisse donec vigesimumquintum ætatis annum attingeret. TERTIO tandem appellat Vic. Capitularis ad Simoniæ labem jam Resctipto SSmi sublatam. His expositis de Precibus EE.VV. deliberandum relinquit.

um juspatronatus sit spiritualitati adnexum, *Cap. de Iure* 16. *de jurepatronat.* in commercio hominum esse non potest, *Gloss. in Can. Piæ mentis* 26. *caus.* 16. *quæst.6.*, nec procul a Simoniæ labe vendi, aut oneroso titulo distrahi decet *Cap. Cum Sæculum* 13. *de jurepatron.*, *Concil. Trident. sess.*25. *cap.*9. *de Reform.*

Quamquam vero hæc juris dispositio non porrigatur ad Cessiones gratuitas, a quibus suspicio Simoniæ abest, attamen oportet, ut Cessiones hujusmodi authoritate Ordinarii probentur, ut cognosci possit, utrum Ecclesiæ expediat mutare Patronum, & num gratuito, vel oneroso titulo cessio proficiscatur, ut notat *Pirringh. in Ius Canon. lib.*3. *tit.*38. *num.*61. Actus vero hujusmodi confirmationis ab Episcopo emittendæ pertinet ad illos *voluntariæ Jurisdictionis*, quos Vicarius Capitularis exercere nequit, cum ipse repræsentet Episcopum in iis, quæ *ordinariæ & necessariæ*, non quæ *voluntariæ* sunt jurisdictionis, ut *ad Text. in cap. Pastoralis* §.*Præterea de Offic. Ordinarii*, docent *Gargia de Benef. par.*5. *cap.*7. *num.*38., *&* *Pellegrin. in Prax. Vicariorum cap.*2. *num.*9.

Ideo in præsenti specie parvifacienda videtur approbatio cessionis, quam edidit Vicarius Capitularis, qui ea carebat potestate; cumque de nova confirmatione ex integro disserendum sit, non inopportunum examen de validitate, & justitia cessionis Jurispatronatus, quam denuo Orator Emis Vestris probandam proponit. Ut invalidam cessionem ipsam reprehendit Vicarius Capitularis, veluti editam *coram Judice laico*, itaut dubitari posset, an locum habeat Constitutio *Martini V.*, quæ incipit *Ad Reprimendas lata ann.* 1428. *Bullar. Cherubin. tom.*1. *pag.*251., ex qua irritatur quidquid contra personas Ecclesiasticas coram Judice laico gestum est. *Injustam* vero dicit tum ratione minoris, qui nulla utili intercedente causa alienavit juspatronatus; tum respectu Ecclesiæ sive ob suspicionem Simoniæ, sive ex quo Ecclesia patronum mutare cogeretur.

Verumtamen contra ponderandum est, quod *ex allegata Constit. Martini V.* interdictum est rapere Ecclesiasticam personam ad Judicem Laicum, & quicumque secus fecerit privatur jure & actione, quam coram Judice laico deduxit, ut novissime probatum est in folio Causæ *Civitatis Castellanæ Canonicatus* 21. *Decembris nuper elapsi ann.* 1801. In re præsenti aditus est Judex laicus, ut contractum cessionis tamquam a Minore gestum adhibitis Juris comunis solemniis probaret. Nemo igitur contrahentium rapuit personam Ecclesiasticam ad Judicem Laicum, ut cum ea de jure decertaret, aut ecclesiasticam jurisdictionem despiceret, & extranea proinde videtur Martinianæ Constitutionis cen-

censura. Num autem læsus fuerit minor in contractu forte etiam non pertinet ad hodiernum examen. Nam consensus Ordinarii (qui nunc suppletur a S. Congregatione) non requiritur ad validitatem actus respectu Minoris; sed ut juspatronatus de una in aliam personam transferri possit absque Ecclesiæ præjudicio, ut docet *Fargna de jure patronat. Can.* 2. *Cas.* 4. *num.* 3. *& Piton. de Controvers. Patron. Allegat.* 40. *num.* 29. Procul autem abest Ecclesiæ præjudicium in mutatione Patroni, statimatque transfertur Juspatronatus in Familiam Bezzi, quæ ex ditioribus est in ea Diæcesi. Excluso vero Ecclesiæ damno, probanda videretur cessio utcumque minor ex ea se læsum putarit, cum non prohibeatur ipse in congruo judicio suo jure experiri, ut indemnis præstetur; quod jus posset etiam ad majorem cauthelam ejus favore vestro decreto reservari.

Quærendum tertio de suspicione Simoniæ. Irritam hæc redderet cessionem quoties probata sit. Verum ex publicis Tabulis constat, Aldebrandum Panuntium sub Annum 1797. Juripatronatus renunciasse favore Oratoris & suorum = *per sua mera condiscendenza ed amorevolezza* = constat rursus, quod pari gratuito titulo ejus Filius Vincentius contractum confirmavit in hæc verba = *dichiarando non esservi in tal atto intervenuta frode, inganno, patto illecito, o simoniaco, ma esser stato stipolato di sua mera volontà, e condiscendenza* = Si quæ vero subest suspicio Simoniæ in Resignatione Canonicatus facta favore Sacerdotis Bezzi a Canonico Miccianti, cæteroquin per Rescriptum Pontificium sublata, ea non pertinet ad cessionem juris patronatus, in qua illicita pactio, quæ Simoniam redoleat nisi probata sit, non est præsumenda. Gratuitas porro hujusmodi cessiones, quæ Simoniæ vitium non præseferunt, non semel probavit S. Congregatio, & nuper *in Fanen. Beneplaciti* 12. *Septembris* 1801.

Dignentur itaque EE. VV. dirimere Dubium.

An, & quomodo sit probanda cessio Jurispatronatus in casu &c.

Sess. 22. cap. 9. de Reform.

SENOGALLIEN. PERMUTATIONIS. Ad Aram maximam Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Montis Marciani geminæ superextant *a cornu Evangelii*, & *a cornu Epistolæ* hinc inde mansiones, seu *Coretti*, quæ in interiori parte communicant cum ædibus Archipręsbyteri Ecclesię contiguis. Hinc olim Archipræsbyteri pro libitu ex utraque mansione a domo in Ecclesiam, vel ab hac in illam accedebant. Cum vero postea Canonici sæviente hyeme chorum exercere cepissent in mansione, quæ stat *a Cornu Evangelii*, ex Decreto Episcopi apposita fuit ultra, citraque fores serra, ut transitus omnis a domo Archipræsbyteri esset interclusus ad Mansionem *a cornu Evangelii*, & tantum eidem pateret aditus ad Ecclesiam per alteram Mansionem, quæ sita est *a cornu Epistolæ*. Quod Episcopi Decretum probatum fuit per Sacram Congregationem, ut videre est *in Senogallien.* 13. *Junii* 1789. *ad II. Dubium*.

Nunc vero ex rationibus inferius deducendis Archipræsbyter Vincentius Primavera incomodam sibi noscens hibernam chori officiaturam in illa Mansione, quæ est *a cornu Evangelii*, cum Canonicis egit, ut eam transferent ad alteram Mansionem a *cornu Epistolæ*, ut sibi pateret ad Ecclesiam accessus per primam illam mansionem. Canonici quidem non repugnant, sed quasdam proponunt conditiones, sub quibus esset stipulanda hujusmodi cessio: scilicet

I.

Che il Signor Arciprete pensi egli d' ottenere a sue spese le opportune, e necessarie facoltà, dalle quali resti in perpetuo convalidata la cessione di detto Coretto.

II.

Debba in perpetuo mantenere a sue spese detto Coretto con li suoi annessi, non farvi innovazione in usi disdicenti alla venerazione, e decenza del luogo.

III.

Debba traslatare li banconi, che ora vi sono all'altro Coretto opposto.

Gli

I V.

Gli cessi immediatamente il diritto, che egli ha presentemente della communicazione in Chiesa dalle sue Camere a Levante mediante il Coretto a cornu Epistolæ, e scala a lumaca, e si obblighi di risarcire l'uscio della detta communicazione, quale resta sempre munito di cartoccio, e chiave al di dentro, qual chiave debba unicamente ritenersi dal Canonico Sacrista.

V.

Stabilisca la scala a lumaca, e finestrini del Coretto a Levante, ove brama trasferita l' Officiatura, faccia la vetrata al fenestrone tutto a sue spese.

V I.

Pensi egli, e li suoi Successori ad ovviare a tutti l'inconvenienti, che potessero mai accadere quante volte ottenga, e si prevalga del libero ingresso, ed egresso dalle sue Camere per questa Collegiata.

V I I I.

Che sia lecito d'andare, e stare in detto Coretto, e da esso passare alla Chiesa, e venire alle riferite Camere al solo Signor Arciprete, e suoi Cappellani Curati, mai però coll' altre Persone di qualunque condizione, e sesso, e neppure alle donne di sua Casa.

I X.

Che un tal uso dal Coretto non possa mai pretendersi privativo a favore del Signor Arciprete, ma debbano cumulativamente ritenerlo anche gl' altri Capitolari, per li quali il Canonico Sacrista debba ritenere la chiave, e sia lecito al Capitolo occupare parte di quel sito per cose di Chiesa, e perciò non possa mai l'Arciprete pro tempore farci la minima innovazione, o divisione, e molto meno appropriarselo in tutto, o in parte, e convertirlo in uso domestico o profano.

Che

X.

Che qualora dal Signor Arciprete s' accettino tali condizioni, debba il Capitolo trasferire l'Officiatura d' inverno nell' opposto Coretto a Cornu Epistolæ, ed il Signor Arciprete debba far apporre alla porta che communica fra quell' altre sue Stanze contigue con questo Coretto un Cartoccio al di dentro dalla porta di esso Coretto con Serratura e chiave da ritenersi perpetuamente dal Sig. Canonico Sagrista.

Archipræsbyter ultro libenterque has conditiones acceptat immo, ut in causam hujus cessionis factæ a Capitulo aliquid retribueret, usum cedere promisit quarumdam Sacrarum Supellectilium. Nam ex Decreto visitationis *anni* 1784. duo constituta sunt Sacraria, quorum alterum ad Capitulum, alterum ad Archipræsbyterum pertineret, simulque divisa est Sacra Suppellex. Cum vero super usu Supellectilium aliqua jam inter Capitulum, & Archipræsbyterum suborta esset controversia; hinc Archipræsbyter *in correspectivitatem* concessæ permutationis Capitulo cessit = *l' uso perpetuo dell' Ostensorio, Candelieri, Scalinata, Carteglorie, e Cantorino con l'obbligo, che restino le predette cose mantenute dal medesimo Capitolo, o sia Sagrestia Capitolare, purchè detta cessione resti convalidata dalla Sagra Congregazione, e che similmente dalla Sagra Congregazione venga approvato l' uso perpetuo delle predette cose* =. Rursus Archipræsbyter concessit Capitulo = *l'uso dell' Ombrellino per tutto l' anno* 1799., *e per altri quattro anni l'uso della Cappella negra, e dell' altre suppellettili, che presentemente s'usano promiscuamente colla condizione che occorrendo al Signor Arciprete pro tempore l'uso delle cose, che perpetuamente cede nel mero uso al Capitolo, resti padrone di servirsene nell' occorrenze di sue funzioni Ecclesiastiche, intendendo sempre, che alla cessione delle predette cose ad tempus debba accedere l'approvazione della S. Congregazione*.

Eminentissimus Antistes Senogallien. in sua Informatione refert, permutationem chori referendam esse ad causas *congruentiæ*, de quibus inferius redibit sermo. Addit præterea = *sciendum est Oratorem, cum varias deprehendisset Canonicorum difficultates, quasi omni depo-*

posita rei negotiatione suum ipsis patefecit animum eum esse, ut a capitularibus Supellectilibus parochiales secernerentur. Notandum siquidem est eam in hac parte retrolapsis annis firmatam fuisse methodum, ut parochiale Sacrarium a Capitulari, quibusdam adiectis legibus divisim foret considerandum. Hæc tamen sic efformata constitutio suum practice nondum sortita fuerat effectum. Hujusmodi igitur de repente facta Oratoris declaratio plurimum Canonicos piguisse visa est, eosque simul promptiores reddidisse ad Oratoris postulationi annuendum, qui suam inde declarationem temperavit ac prorsus remisit. Hinc sane orta est Capitularium sollicitudo, ut hujusmodi Oratoris remissio firma reddatur. Omnia interea patefecisse me juvat; simulque cavendum videtur, ne quid quovis casu minus decens, minusque decorum inde sequatur.

Obstare sane videtur petitæ permutationi tum juris dispositio, tum Decretum Episcopi, tum S. Congregationis resolutio. Nam subjicitur Ecclesia servituti transitus, & cum servitus sapiat alienationem cadit sub censura *Extravagant ambitiosæ*, nec induci potest nisi ex necessitate, vel utilitate Ecclesiæ ut tradit *doctus Cardinalis de Luca De Servitut. Discurs.* 18. *numer.* 8., *Corradin. in praxi Dispensat. lib.* 9. *Cap.*4. *num.*15., *Monacell. num.*1. *tit.*5. *formul.* 15. *num.* 20. Ex Decreto porro Episcopi anni 1781. lato interclusus est transitus hujusmodi ab ædibus Archipræsbyteri per Mansionem *seu Coretto* a Cornu Evangelii, quo loci Capitulum chorum exercebat. Quod Episcopi Decretum probatum fuit a S. Congregatione. Nam *in Senogallien.* 13. *Junii* 1789. cum inter cætera disputatum fuisset II. Dub.= *An communicatio domus Archipræsbyteralis cum choro ubi in hyeme officiant Canonici claudi debeat, reservata Archipræsbytero altera, quam habet, communicatione cum Ecclesia in latere opposito in casu &c.* = responsum fuit = *Affirmative juxta Decretum Emi Episcopi an.* 1781. = Accedit deinde quod si permittatur accessus ad hanc mansionem fieri poterit, ut absente Archipræsbytero fraude familiarium quid sequatur quod sit minus decens, & indecorum, ut modernus Emus Episcopus advertit.

Verumtamen observandum est, quod non agitur nunc de inducenda nova servitute. Nam Archipræsbyter gaudet transitu ab ædibus in Ecclesiam per alteram Mansionem a Cornu Æpistolæ. Quare illud inquirendum

dum est num possit cum Capitulo convenire, ut per alium locum transitus hujusmodi fiat, id quod nec servitutem nec alienationem sapere videtur. Quod enim Capitulo non nocet, & Archipræsbytero prodest denegandum non videtur juxta *Text. in L.* 2. §. *locum ff. de Religios. & sumpt. funer.* Permutatio autem chori Capitulo non nocet, cum facto periculo, æque bene exerceatur chorus hyemalis in Mansione a cornu Æpistolæ, ut ipsi Canonici in Capitularibus comitiis professi sunt. Maxime cum usum non ammittant hujus mansionis, sed cumulative retineant cum Archipresbytero ita ut huic non liceat in hac mansione quidquam innovare, & contra Capitulum possit res ad Ecclesiam pertinentes ibidem retinere.

Archipresbitero vero prodesse patet hæc hyemalis Chori permutatio ex iis rationibus quas, ut Capituli consensum obtineret, Canonicis adduxit. Scilicet, I. *Perchè dovendo egli vegliare le notti non crede coerente alla carità, che venga disturbato il suo riposo dalla Salmodia, che viene adempita da Canonici inanzi la porta della sua Stanza.* II. *Per non potere sostenere il freddo che dal Fenestrone del medesimo Coretto penetra nelle sue Stanze.* III. *Che dovendo egli per fini prudenziali entrare ed uscire ovvero introdurre, o far uscire persone dalle sue Cammere nascostamente gli è necessario il libero introito, ed esito per la Scala segreta.* IV. *Che essendo il Curato sottoposto a chiamate in tempi tempestosi non è ragionevole che abbia da far il giro per le porte della Facciata della Chiesa per prendere li Sagramenti, ovvero trovarsi obligato a passare per le Camere de Cappellani Curati, o del Predicatore.* V. *Che i Parochi primi Custodi della Chiesa debbono ad arbitrio entrare in essa per la parte interiore per far tutto ciò, che in tempo notturno può occorrere doversi fare talvolta anche segretamente.* VI. *Che avendo la Casa Parochiale un ingresso traditore è necessario avere un ingresso, ed esito dalla Chiesa Parochiale.* Ne vero quid minus decens sequatur ex hoc novo transitu Archipræsbitero concedendo jam satis consultum est per conditiones a Canonicis appositas presertim quæ numero VIII. & IX. relatæ sunt.

Quoad cessionem usus Sacrarum supellectilium, quæ ad Sacrarium Parochiale pertinent, videtur sane quod Pa-

Parochus detrimentum inferat suis Successoribus, qui contractum hujusmodi servare debebunt licet Sacra suppellex diuturno usu deterior evaserit. Susceptum nihilominus per Capitulum manutentionis onus cessionem ipsam utilem forte Pareciæ, & Archipresbiteris ostendit, & vicissim cum inita sit eadem cessio ad præcidendam imminentem ea de re controversiam, probationem mereri posset. Transactio enim quæ lites inter ecclesiasticas personas præcidit, sæpe probata fuit ab hac Sac. Congregatione & præcipue *in Faventina Transactionis* 29. *Novembris* 1795.

Dubium proponitur.

An, & quomodo probanda sit translatio Chori, & cessio Sacrarum Supellectilium in casu &c.

ACHERUNTINA, ET MATHERANEN. ONERUM MISSARUM. Quod in Oppido Milioniaci Acheruntinæ Diæcesis extat Sacellum Annunciationi Deiparæ nuncupatum, illud habet adnexum simplex Ecclesiasticum Beneficium, de quo duo tantum sunt explorata - Alterum, quod est *liberæ collationis* Archiepiscopi Acheruntini; Alterum quod ejus reditus *anno* 1767. vix attingebat summam annuam *Ducatorum novem monetæ Regni*. Nam cum Fundatio omnino delitescat inter antiquitatis tenebras, latet prorsus, quo authore Beneficium illud institutum sit, quibus oneribus gravatum, quibus legibus erectum. *Anno* 1767. ab Archiepiscopo Acheruntino Beneficium illud consecutus est Andreas Scolaro, qui reparando Sacello impendit Ducata triginta, & recuperandis Bonis studuit ita, ut erogatis Ducatis Centum pro expensis litis, tandem nonnulla Bona Beneficio spectantia vindicavit, & annuos Beneficii fructus auxit quotannis ad Ducata triginta. *Sess.25.cap.5. de Reformat.*

Cum autem totus erat in perquirendis notitiis pro recuperandis Bonis incidit in informem quamdam Copiam Inventarii (exhibiti, ut fertur in Visitatione anni 1444.) in quo notatum legitur = *Un Piezzo di Terra in la Contrada l'auqua via juxta le Terre di Ange-*

gelillo de Antonio Rosa Item ave lasciato in Testamento de precise per celebrar la Messa, quin tamen Testatoris, aut legantis nomen inveniatur adjectum. Qua ex re commotus Beneficiatus Scolaro venit in dubitationem, quod Beneficio inhæreret Missarum onus, præcipuè cum in Bulla erectionis, licet nulla mentio de Missarum onere speciatim facta sit, nihilominus hæc prostat enunciativa, *ne vacatione durante Fundatorum Animæ debitis defraudarentur suffragiis*. Ut igitur suæ conscientiæ consuleret, cum diu frueretur Beneficio nullis celebratis Missis, censuit, tot Sacrorum celebrationem committere quot uno Sacrificio in annos singulos a die captæ possessionis responderent, semperque in posterum hoc modo celebrationem præstitit. Anceps nihilominus hæret adhuc num suę obligationi faciat satis. Idcirco Eminentias Vestras rogavit, ut decernere vellent, num oneri Missarum, & pro qua annua quantitate subiiciatur, nec non pro absolutione quoad præteritum, si ignorans celebrationem neglexerit.

In summa rerùm obscuritate interrogatus Archiepiscopus, sedulo hic Tabellarium perquisivit, sed frustra; Nam testatur = *che avendo fatto ricercare diligentemente questo Arcivescovile Archivio non si sono trovate altre Carte, che le sole Visite presso a poco di due Secoli, ma non di anni successivi, in molte delle quali sino al numero di circa venti non si fà veruna menzione, nè di peso di Messe, nè di rendita, e dalle visite di dodici anni cioè del* 1653. 1672. 1676. 1680. 1682. 1684. 1686. 1754. 1764. 1766. 1770. 1796. *si enuncia il mentovato Beneficio dell' Annunziata di libera Collazione, e senza peso di Messe, e rispetto alla rendita in molte di dette visite si legge di avere alcuni Territorj, e che non manca la rendita annuale di circa sei scudi di cotesta moneta, ed in una sola si legge di avere alcune Pecore, e Vacche. Nella visita poi del* 1631. *e propriamente della Cappella sotto il titolo sudetto dopo essersi enunciato di essere di libera Collazione, si soggiunge di non essersi giammai celebrato, onde si ordina al Beneficiato di quel tempo, che facesse celebrare almeno trè Messe in ogni anno senza neppure individuarsi, se si dovea adempire a questo peso per obbligo annesso a detto Beneficio, o per mera divozione, la di cui rendita in queste Visite si fà ascendere a scu-*

scudi venti, benchè apparisca di esser prima scritti scudi sette, e poi tirati, e lineati con penna.

His notatis sic pergit *nella sola visita del 1637. si legge, che l'enunciato Beneficio dell' Annunciata abbia pesi di Messe, ma non si fa veruna menzione di numero, e senza nessuna designazione si ordina al Cappellano la celebrazione delle Messe di peso, senza però parlarsi di rendita, e questa Visita sembra, che si opponga a quella del 1631. descritta nel Paragrafo precedente, nella quale si dice semplicemente di non essersi celebrato, e che perciò si ordina al Cappellano di far celebrare tre Messe in ciascun anno senza designare neppure l'applicazione. La maggiore difficoltà nondimeno nasce dalla Visita dell'anno 1639. nella quale vedonsi visitate nel medesimo tempo due diverse Cappelle sotto lo stesso titolo della Santissima Annunziata. e si dice, che una Cappella abbia qualche rendita, ma senza verun peso di Messe, e che l'altra sotto lo stesso titolo abbia parimenti qualche rendita, ed il peso di due Messe in ciascuna Settimana, ed è da credersi, che questa differenza di Cappellanie sotto lo stesso nome, di cui non se ne fà menzione in altro luogo, nè in altra Visita, abbia dato occasione di ordinare in alcune Visite la celebrazione, ed in tutte le altre asserirne semplicemente la rendita, e che non sia soggetto il Beneficiato Cappellano a verun peso di Messe.*

Nec pretereundum censuit = *Che nella Visita del 1642. il detto Beneficio, o Cappellania sotto il medesimo titolo si dice di Patronato del Barone di Episcopia, ma devoluto, e che abbia qualche rendita col peso di Messe non celebrate senza individuare neppure il numero delle Messe, nè molto meno la quantità delle rendite, e da queste visite maggiormente si conferma ciò che ho rappresentato più prima, cioè, che sotto lo stesso titolo vi siano diversi Beneficii, e che la diversità abbia prodotto confusione, se sia, o nò tenuto a peso di Messe il presente Beneficiato, il quale colle Bolle di Collazione lo ricevè senza peso, come asserisce nella dimanda. Non vi è in Archivio altra Carta, da cui si potesse con maggior esattezza conoscere la verità. Ne ho stimato di richiedere il libro delle Messe di Miglionico, perchè le Messe per detto Beneficio, o Capellania non si sono mai celebrate dai Cappellani pro tempore come ho riferito, nè è solito di annotarsi in Tabella o in*

Libro tali Messe di Beneficj di persone particolari, assicurandole finalmente, che la limosina delle Messe manuali corre a Paoli due meno quattro bajocchi.

Ex his in facto manifestum est, quod non constat de Fundatione, ut certo resciri nequeat, utrum ex Testatoris voluntate onus Missarum fuerit Beneficio indictum. Porro *semper in Dubiis benigniora præferenda sunt leg.6., & leg.47. ff. de Regulis juris, & in obscuris minimum est sequendum cap.20. de R. J. in 6.*, Quapropter latente mente fundatoris, onera nec addi, nec minui possunt, ut post *Text. in leg. continuus §. Cum ita ff. de verb. oblig. docet Ursaya discept. E cl. 13. num.36. tom.1. & Rot. coram Molino decis. 422. num.20. & Sac. Congregatio in Nullius, seu Farfen. 22. Novembris* 1761. Defectus vero fundationis atque adjecti oneris in Bulla collationis tanti fecit Sac. Congregatio ut Missarum onus delendum putaverit in Beneficio erectò in Ecclesia S. Mariæ de Ficullis Civitatis Casertæ, licet Rector in Sac. Visitatione Anni 1573. ad menstruam Missam fuisset damnatus, ut *in Casertana relata inter Summaria Precum 28. Septembris* 1790. hinc eo magis par jus obtinere posset in proposito casu, in quo nedum Fundatio deficit, sed præterea SS. Visitationum decreta plura quodlibet onus reiiciunt, & exemptioni opitulatur observantia. Nunquam enim Beneficiati celebrationem præstiterunt, immò in antiquioribus Visitationibus nulla fit mentio Missarum oneris, & in recentioribus expressè declaratur, quod Beneficium nullam habet adnexam Celebrationem.

Sed quoniam Testatoris voluntas aliquando ex conjecturis etiam eruitur, ut monet *Textus in leg. Licet Imperator ff. de legat.* 1. idcirco controversia eo redit, ut EE. PP. inquirant, num ex argumentis, & indiciis de adjecto Missarum onere decerni queat. Ea præcæteris urget præsumptio, quod nemo emolumentum sine onere relinquat *leg.7. ff. de reg. Jur.* unde sequitur, ut ea semper sumenda sit interpretatio, cum de pia agatur Causa, quæ onus Missarum inducat teste *Bordon. de legat. piis cap.1. num.225., Polit. de legatis dissert.275. num. 26. tom.2., & Sac. Congregatio in Civitatis Plebis Oneris Missarum 19. Augusti* 1797. Præsumptioni juris adstipulatur conjectura quæ eruitur ex Inventario, quod licet informe expressam tamen

men exhibet notitiam, quod Testator ave lasciato *in Testamento de precise per celebrar le Messa.* Reque vera in actis Visitationis *anni* 1631. agitur de Cappella sub titulo *Annuntiationis Deiparæ*, & injungitur Cappellano pro tempore, ut saltem curet quotannis celebrationem trium Missarum. Hæc acta conferre possunt ad interpretationem alterius Visitationis Anni 1639., in qua duæ memorantur Cappellæ sub eodem titulo SSmæ Annunciationis, una absque ullo onere, Altera cum onere duplicis Missæ hebdomadalis. Eoque magis cum in tertia Visitatione anni 1637. relatum sit, quod Beneficium SSmæ Annunciatæ adnexum habet onus Missarum. Quod si multum defertur enunciativis emissis in actu Visitationis, *Rota decis*, 174. *num*.7. *part*.18. *rec.*, & Visitationum decreta multum conferunt ad dignoscendam qualitatem, & statum Beneficii *Rota decis*.99. *num*.13. *part*.10., concludendum videretur ex juris præsumptione, & enunciativa Inventarii, & ex relatis actis Visitationum, quod onus aliquod Missarum Beneficio hujusmodi inhæreat, cum præcipue in eamdem Sententiam Bulla collationis conspiret, qua beneficium Oratori tributum legitur *ne vacatione durante Fundatorum Animæ debitis defraudarentur suffragiis*.

Si in genere onus Missarum injunctum putabunt EE.PP. tum statuendus erit annuus numerus Missarum. Sanè tres Missæ ad summum in singulos annos celebratæ apparent, & etiam aliquando duo, & modo una perficitur. Redditus quidem annuus in Ducatis triginta plura ferre posset. Et licet Eleemosina manualis in Diæcesi Acheruntina excreverit ad obolos sexdecim, annua Ducata triginta sufficerent ad duplicem quoque Missam hebdomadalem, de qua mentio habita fuisse videtur in Sac. Visitatione Anni 1639.

Altera Oratoris Instantia respicit absolutionem quoad præteritum. Certè quidem, si compertum erit eidem iacubuisse onus celebrationis Missarum ultra annuam Missam hactenus adimpletam, jam percepit Orator fructus Beneficii, quin Sacra omnià perfecerit. Sed videant EE. VV. num excusatione, & condonatione dignus videatur, tum ob bonam fidem, in qua tamdiù versatus, onus ignoravit; tum ob expensas ab ipso factas usque ad ducata triginta in reparationem Sacelli, & in aliis Docatis centum in lites erogatis pro vin-

vindicandis Cappellaniæ Fundis. Ob bonam enim fidem semper Sac. Congregatio concessit absolutionem quoad præteritum, ut in *Placentina Missæ Conventualis* 17. *Novembris* 1779., & *in Nullius Guastallæ* 26. *Novembris* 1791. *ad Secundum Dubium*.

Duo sunt dubia.

I. *An, & in qua quantitate, sit locus celebrationi Missarum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Die Sabbathi 20. Martii 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUÆ primo loco proponitur Causa pertinet ad Folium Congregationis *diei* 21. *Novembris* 1801., secunda & tertia ad Folium 19. *Decembris* ejusdem Anni, quarta ad Folium 23. *Januarii* nuper elapsi Reliqua ex præcedenti Congregatione indecisa remanserunt.

CIVITATIS CASTELLANÆ CANONICATUS. Ad vacantem Canonicatum collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Vallerani contenderunt in hac Sac. Congregatione *diei* 21. *Novembris* elapsi Anni Præsbiteri Parochus Marcucci, & Cammillus Falaschi. Ille institutionem postulavit tamquam nominatus a Capitulo, qui juspatronatus exercet, hic vero tamquam *unicus qualificatus ex fundatione*. Neutri tamen arrisit alea judicii. Nam ad propositum Dubium = *An, & cui sit danda institutio* Emi Patres rescripserunt = *Negative & faciendam esse a Capitulo novam electionem excluso Falaschi, nisi obtineat rehabilitationem, & reintegrationem a SSmo*, Impetrato a Marcuccio *novæ Audientiæ* beneficio iterum nunc causa proponitur. *Sess.22. cap.4. de Reform.*

Solicitus interea fuit Falaschius de impetranda rehabilitatione, & reintegratione, porrectasque in id ejus preces Sanctissimus die prima Decembris proximi præteriti arbitrio Episcopi remisit cum clausula *constito sibi de bonis moribus Oratoris, de vera pœnitentia pro habito recursu ad Judices laicos, & constanti emendatione*. Quare Episcopus in executionem Rescripti Sanctissimi decretum edidit in hæc verba = *Utendo facultatibus a SSmo Domino Nostro tributis, cum nobis constet de bonis moribus Oratoris, nec ipsum esse ulla alia censura ecclesiastica innodatum quod sciamus, de compe-*

petenti ejus pœnitentia, & costanti emendatione pro recursu habito ad Judices laicos ipsum Oratorem absolvimus, & habilitamus ad consequendum Canonicatum = Hinc Falaschius sublatum putat impedimentum, quod ei obstabat pro recursu ad Judicem laicum, quominus sua jura produceret. Hinc EE. VV. rogat, ut prævio *recessu a Decisis* eidem tamquam *unice ex fundatione qualificato* institutionem concedatis. Quæ sua jura sint patet tum ex Folio hujus Causæ *Civitatis Castellanæ Canonicatus diei* 21. *Novembris* 1801. & ex Allegationibus distributis, quas EE. PP. reassumere dignabuntur; tum etiam ex libello nunc de more distribuendo. Unum nunc advertit, quod licet Juspatronatus passivum relictum fuerit descendentibus Laurentii Falaschi Notarii stipulantis, non idcirco, locum habere potest dispositio *Senatus Consulti Liboniani Cod. Tot. Tit. de iis qui sibi adscrib. in testam.*, quod irritat has dispositiones tamquam fraudis suspectas. Nam cum juspatronatus hujusmodi probatum fuerit in litteris Apostolicis erectionis Collegiatæ cessat fraudis suspicio.

Marcuccius deprecatur reassumptionem suę præteritæ Allegationis. Dubium proponitur.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis, & Capitalum deveniat ad novam electionem servatis Consiitutionibus Syeodalibus, non excluso Falaschi.

Sess. 21. cap. 5. de Reform.

PARMEN. ABBATIÆ FONTIS VIVI. Proposita hæc est Causa in Congregatione *diei* 19. *Decembris* 1801., & EE. PP. prorogata deliberatione rescripserunt = *Dilata, & audiantur Episcopi Parmen., & Burgi S. Donnini, & reproponatur in prima post Cineres* = Litteræ utrique amplissimo Antisti transmissæ fuerunt, quibus certiores facti sunt de instantia, ut si quæ haberent *hac super re deducenda jura ad Sac. Congregationem* deferrent. Ipsis autem adhuc silentibus, quamvis constet, Sac. Congregationis litteras a *die* 9. *Februarii* proximi præteriti recepisse, juxta EE. Patrum mandata repropunitur Causa sub primævis dubiis.

I. *An*

I. *An constet de jurisdictione quasi Episcopali cum Territorio separato in casu &c.*

Et quatènus Negative,

II. *An sit consulendum SSmo pro concessione Privilegii quoad Territorium separatum, nec non collationem Ordinum Minorum, Sacramenti Confirmationis, & usum Cappæ magnæ in casu &c.*

Dilata, & dentur novæ litteræ Episcopo Parmen., & Borgi S. Donnini.

FABRIANEN. CANONICATUS QUOAD FRUCTUS Canonicus Antonius Seraphini postulavit in Congregatione *diei* 19. *Decembris* 1801. fructus pendentes Anni 1800. Canonicatus Piccinini Ambrosi, quem in Cathedrali Fabrianensi possidebat, & ab ipso resignatum die 18. Maii 1800., postea consequutus est Clericus Joseph Righi. Quare proposito Dubio = *An, & cui & pro qua rata, & ad quod tempus competant fructus Anni* 1800. *Canonicatus Piccinini Ambrosii adiuncti* = vadimonium Righio deserente rescriptum est = *Affirmativè favore Seraphini usque ad diem* 18. *Maii* = Nunc vero Righius impetrato novæ Audientiæ beneficio sua jura deducit in Allegatione EE. PP. distribuenda. *Sess.* 21. *cap.* 8. de *Reform.*

Triplici ex capite sibi vindicat fructus pendentes, & nondum ab Antecessore perceptos. Nimirum ex *dispositione juris, ex observantia*, & tandem ex *facto* ipsius Seraphini sui Contradictoris. Nam fructus pendentes tamquam pars fundi pertinent ad Successorem; sive naturales, & industriales sint, sive civiles. In illis enim Antecessor amisit jus percipiendi statim ac beneficio caret, in his nondum venerat solutionis dies, cum beneficium reliquit, ut post *Text. in Cap. Relatum de Testament.*, *Cap. Præsenti de Offic. Ordin. in* 6., docet *Barbos. de Offic. & potestat. Episc. part.* 5. *allegat.* 117. *num.* 6., *Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 44. *num.* 23., *Rota in Turritana Fructuum* 5. *Decembris* 1755. §. 4. *coram Stadion.* Id quod aperte sanci-

tum est *in Constit. 7. Julii III. edita anno* 1550. quae incipit *cum Sicut* relata *in Bullario Mainardi tom.* 4. *part.* 1. Nam in ea jubetur, ut fructus nondum exacti ad Successorem spectent non ad haeredes Antecessoris; Quae Constitutio licet loquatur de fructibus civilibus extenditur ad quodcumque fructuum genus ut tradit *Sperell. decis. Fori Eccles.* 82. *num.* 11., *Antonel. de Regimine Eccles. Cap.* 9. *lib.* 3. *num.* 27., *Rota decis.* 476. *num.* 1. *cor. Coccino & dec.* 271. *tom.* 8. *n.* 1. *in Nuperrim.* Haec vero juris dispositio obtinet sive beneficium vacatum sit *per obitum*, sive *per resignationem*, quo in casu major immo ratio concurrit. Nam *per resignationem* possessor Beneficii a se omne jus abdicat, adeoque etiam renunciasse censetur juri percipiendi fructus ut observat *Card. de Luca de Benef. disc.* 84. *num.* 3:, *Lotter. de Re Beneficiar. lib.* 1. *Cap.* 44. *n.* 30., *& seq.*, *Rota decis.* 278. *num.* 3. *part.* 2. *Recent.*

Consonat juris dispositioni *Observantia* tam universalis, quam peculiaris Ecclesiae Fabrianensis. Constat enim ex pluribus adductis exemplis, fructus pendentes Successores in beneficio percepisse sive in Cathedrali sive in Collegiata Ecclesia Fabriani. Id quod tandem confirmatur *ex facto* ipsius Seraphini, qui die 27. *Februarii* 1797. hoc ipsum Canonicatum Ambrosi Piccinini consequutus est, & omnes percepit illius anni fructus pendentes, quin eos haeredibus Antecessoris pro rata temporis praestiti servitii contulerit. Haec habet Righius in sua Allegatione. Seraphinus se refert ad scripta in primo hujus Causae vadimonio distributa. His resumptis una cum Folio diei 19. Decembris 1801. deliberare dignentur Emae Vestrae.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Praevia recessu a Decisis fructus inexactos deberi Canonico Righi.

Ses. 14. cap. 13. de Reform.

CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIAE. Presbyter Joseph Salvatori ex Rescripto Sac. Congregationis diei 23. *Januarii* nuper elapsi *institutionem* obtinuit ad Cappellaniam a Caecilia Manni institutam. Frustra Clericus Franciscus Sisti ea die dilationem postulavit, ut sua jura ad assequendam Cappellaniam deduceret. Nam

Nam proposito Dubio = *An & cui sit danda institutio in casu &c.* = EE. PP. incunctanter ad dictam diem responderunt *affirmative favore Salvatori* : Ex novæ Audientiæ beneficio Clericus Sisti nunc suam orat Causam in libello distribuendo.

Producit Rem judicatam *anni* 1738. ex qua constat, Lucretiam Manni Attioli in contradictorio judicio vindicasse Patronatum hujus Cappellaniæ, cujus *jus nominandi* declaratum est spectare = *ad eam, ejusque filios hæredes, & successores* = Probat vero ex allatis documentis, quod Joseph Attioli, a quo ipse nominatus est, ab illa Lucretia descendat. Quare si ex fundatione = *Prior Ecclesiæ Sancti Gervasii, & unus suorum Consanguineorum sive descendentium suorum Consanguineorum debeat eligere Cappellanum*, concludit se nominatum ab iis, quibus jus nominandi addictum est. Nam probata est descendentia Josephi Attioli ex Consanguineis Fundatricis, & præterea contendit, quod *Prior Ecclesiæ S. Gervasii* representetur *ab Archidiacono* ejusdem Ecclesiæ, qui pari modo Clericum Sisti nominavit.

Ex his refutat, quæ Presbyter Salvatori in præterita actione deduxit, ut institutionem consequeretur. Negat enim in facto probatum esse, quod Franciscus Manni, cæterique nominantes Presbyterum Salvatori, & ipse nominatus consanguinei sint Fundatricis, vel ab ejus consanguineis descendant. Nam Arbor Genealogica nil prorsus relevat, cum documentis destituatur. Quoties vero Sacerdos Salvatori non probet se *attinentem* esse Fundatrici, nil prorsus ei prodest, si actu Sacerdos sit. Nam Fundatrix concedit prælationem suis *attinentibus*, si Presbyteri esse voluerint, quæ dictio in Clerico etiam ad Sacerdotium initiando verificari potest. Deficiente igitur probatione *attinentiæ*, Sacerdotii qualitas parum confert in Cappellania, quæ actu Sacerdotalis esse non videtur.

Hæc, quæ habet Clericus Sisti, ut *institutionem* consequatur, EE. PP. conferant cum iis, quæ in præteritis Scriptis a Præsbytero Salvatori deducta fuerunt, quæque pro munere adnotata sunt in præcedenti Folio 23. *Januarii nuper elapsi*, & dignentur deliberare.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata, & coadiuventur probationes per Salvatori super passiva vocatione.

Sess.25. cap.4. de Reform.

PATAVINA REDUCTIONIS ONERUM.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus translationi Missarum in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus.
Ad II. Negative.

Sess.21. cap.3. Sess.24. cap.14. de Reform.

FERETRANA UNIONIS, ET REDUCTIONIS.

An, & quomodo sit locus Applicationi in casu &c.

Negative.

Sess.25. cap.9. de Reform.

TOLENTINATEN. JURISPATRONATUS.

An, & quomodo sit probanda cessio Jurispatronatus in casu &c.

Negative.

Sess.22. cap.9. de Reform.

SENOGALLIEN. PERMUTATIONIS.

An, & quomodo probanda sit translatio Chori, & cessio Sacrarum Supellectilium in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess.25. cap.5. de Reform.

ACHERUNTINA, ET MATHERANEN. ONERUM MISSARUM.

I. *An, & in qua quantitate sit locus celebrationi Missarum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 10. *Aprilis* 1802. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

SENOGALLIEN. PERMUTATIONIS. *Sess.22. cap.4. de Reform.*

An, & quomodo probanda sit translatio Chori, & cessio Sacrarum Supellectilium in casu &c.

Affirmative juxta consensum Capituli.

ACHERUNTINA, ET MATHERANEN. ONERUM MISSARUM. *Sess.25. cap.5. de Reform.*

I. *An, & in qua quantitate sit locus celebrationi Missarum in casu &c.*

Et quatenus Affirmative.

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quod præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative in numero ab Archiepiscopo præfiniendo.

Ad II. Affirmative celebrata unica Missa.

URBANIEN. CONTRACTUS. Ut solemni pompa Festum Divi Romualdi celebraretur = *con perpetuità interminabile finchè durerà il Mondo*, urbaniensis patricius Alexander Matarozzi sub Annum 1759. obtulit Capitulo Cathedralis Civitatis Urbaniæ scuta quatuor centum monetæ ducalis Urbini, quæ ad monetam Romanam respondent scutis 266.66. 3. Fuit autem a pio Viro præscripta in celebritate servanda methodus, scilicet *con primi Vesperi, Messa Cantata, e Mes-* *Sess.25. cap.4. de Reform.*

Messe lette (numerò diciassette) *con secondi Vesperi, e Benedizione del Venerabile, inoltre col suono festevole delle Campane per trè sere antecedenti a detta solennità*, nec non assignata pecuniarum summa in Missas, Ceram, SS. Ministros, & inservientes eroganda, quæ in unum attingit annuam impensam scut. 8.28. 1. Eodem Anno quæsitum est in capitularibus Comitiis utrum oblatio acceptari deberet & quatuor dissentientibus Canonicis, reliqui septem pro affirmativa steterunt *riservata la licenza di Monsignor Illustrissimo Vescovo*; qui sub die 4. posterioris Mensis Februarii ejusdem Anni ratus, quod *conventio de qua in precibus cedat ad majorem Dei gloriam, ejusque Sanctorum, atque in utilitatem Massæ Capitularis* expetitam per Capitulum licentiam indulsit.

Stipulatum hinc fuit instrumentum inter Capitulum, & Alexandrum Matarozzi, quo Canonici oblatam recipientes pecuniam *in tanti Zecchini d'Oro, ed altre buone monete* perpetuum in se assumpserunt onus celebrandæ festivitatis juxta volitas à Matarotio conditiones. Duo autem iisdem tabulis conventa sunt, ut Capitulum numeratam pecuniam *possa rinvestire come giudicherà più opportuno in vantaggio della propria Massa Capitolare*, tum rursus, ut ad Capitulum, & Canonicos pro tempore *spetti ed appartenga il rinvestimento dei sudetti scudi quattrocento, ed esiggenza de frutti ogni volta si darà il caso, e pertanto a pericolo risico, e fortuna del medesimo senza che mai si possa pretendere alcun'aumento di dote, e detrazione de Pesi, ed oblighi in esso foglio de Capitoli ingiunti*. Binos hinc Census ex recepta in fundum pecunia emerunt Canonici; unum in sorte scutorum 133. 3. 1. à quodam Sebastiano Subbissati; alterum similis summæ à Comunitate Urbaniæ, atque ex fructibus exinde obvenientibus susceptæ ad annos circiter quadraginta obligationi satisfecerunt. Verum cum restituta fuisset sors census Subissati in tot papyraceis syngraphis paulo ante earum deperitionem, quin denuo fænorari potuerit; cumque communitativus Census ob superioris temporis ærumnas infructiferus evasisset, ideo Canonici ad Emas Vestras recursum habuerunt, ut ab implemento assumpti oneris absolverentur.

De

De precibus rogatus Episcopus monuit, quod Fundi annuus reditus attingebat olim summam scutorum 10.43, dum integra sors superstes erat, atque expensæ ad celebritatis onus implendum conficiebantur scutis 8.28.1. *Verum* (ait) *perempta media sortis parte, & medietas fructuum periit. Quapropter si successu temporis stipendia olim pinguia evaserunt tenuissima, in tanta rerum omnium caritate fieri non potest, ut omnibus oneribus fructuum alias tenuium satisfiat.* In deperitione vero Census Subissati omnem excludit Capitularium culpam, licet sors *quatuor ante Schedularum extinctionem mensibus restituta fuisset; cum extinctionem ipsam, & funesta nuncia, & undique timores prævenissent; quo fiebat, ut omnes turmatim ad extinguendos Census adcurrerent*, cum autem eleemosina *manualis paullo superior romano julio* esse soleat in ea Diæcesi, *si cætera onera suspendantur, & Comunitas Urbaniensis fructus solvat tunc quidem Missas superstitibus fructibus respondentes pro Fundatoris anima* celebrandas proponit; atque in hanc reductionis sententiam descendit *eo vel maxime quia fundus erat taxativus*, & *ipsius cum Massa capitulari conjunctio* effectum non habuit. *Neque enim Episcopus ad hoc veniam concesserat, nec fortasse etiam ordinaria concedere poterat auctoritate.* Instantia Alexandro, aliisque fratribus Matarozzi displicuit, qui proinde vadimonio suscepto sub infrascripto dubio Capituli votis adversantur.

Regulam ii præmittunt de servanda fide contractus ex *Text. in cap. Antigonus, & cap. qualiter de pact.*, quæ obtinere debet precipue contra Capitulum, quod perpetuum onus celebrandæ festivitatis assumpsit previa Ordinarii licentia juxta decretum *Urbani VIII. de celebrat. Miss. relat, in Bullar. Mainard. tom.* 4. *Constit.*45. §.8. Etiamsi vero hæc defuisset venia tamen contractus subsistere deberet, cum *Urbani VIII.* decreto adjecta non sit clausula irritans ad notata per *Passerin. de stat. homin. quæst.* 189. *num.*1227., & *seq. Monacell. formul. eccles. tom.* 1. *tit.*6. *ad not. ad form.*6. *num.*4., *Pignatell. consult. can.* 222. *tom.*4. *num.*6., & *Scarfant. ad Ceccoper. elucubrat. can. adnot. ad tit.*13. *num.*13. Præterea Canonicorum vitio & culpæ vertunt

tunt deperitionem fundi, quem Censibus rejectis decebat magis comparari *in bonis immobilibus fructiferis* ut cautum est citato *Urbanii VIII. decreto sub* §. 6.. Neque enim Census pro hujusmodi effectu stabilibus æquiparuntur, neque idoneum exhibent Investimentum pro fundo pii oneris, ut firmant *Petra ad Constit. Apostolicas tom.* 5. *pag.* 462. *num.*18., *Card. de Luca de donat. discurs.* 24. *num.*6., *Scarfant. ad Ceccoper. elucubrat. can.lib.*3. *adnot. ad tit.*13.*num.* 4. *& seq.*;neque demum illos probare consuevit Sac. hæc Congregatio nisi cum investimenta in bonis stabilibus deficerent,ut in *Camerinen.*24. *Novemb.* 1787. *ad I. Dub.*

Ex his concludunt, quod si empti Census ex pecuniis in fundum pii oneris persolutis periere, Capitulum subeat oportet damnum, cujus culpa contigit,ut minus idonenm ex pia largitione quesitum esset investimentum ad tradita per *Text. in cap. damnum de reg. Jur. in* 6. Reque vera ducalia scuta quatuorcentum persolvit Matarotius ex lege, *che abbiano ad unirsi ed incorporarsi colla Massa capitolare* sive *perchè esso Rmo Capitolo possa questi rinvestire come giudicherà più opportuno in vantaggio della propria Massa capitolare*; & vicissim Canonici investimentum in se assumentes *à pericolo, risico, e fortuna del medesimo Rmo Capitolo* diem festum S. Romualdi cum præscripta pompa agere promiserunt, *senza che mai si possa pretendere alcun aumento di dote e detrazione de pesi,ed oblighi in esso foglio de Capitoli ingiunti*. Hac porro spectata conventione inapplicabilis Fratribus Matarotii videtur regula de reducendis oneribus ob deperitionem fundi, quam in legatis per contractum assumptis reprobant *de Luca de Miscell. discurs.* 33. *num.*5.,*Scarfant. ad Ceccoper. elucubrat. can. adnot. ad tit.* 13. *lib.*3. *num.*16., *& seq.*, *Rota in Ravennaten. Salviani* 10. *Februarii* 1753. §. 10. *cor. Molino*, *& Sac. Congregatio in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728., *& in Capuana reductionis Missarum* 20. *Septembris* 1794. Quamque hac in specie præsertim eliminat pactum expressum *che mai si possa pretendere alcun'aumento di dote,e detrazione de pesi, ed oblighi*. Cum ergo à promissis in præjudicium divini cultus nemini liceat resilire ut monet *Fagnan. in cap. Signifi-*

fica-

*ficatum de præben. num.*29., eo minus hanc Fratres Mataroti dandam authumant Capitulo veniam, quod hactenus ex reditibus investimenti in annuis duobus, & ultra scutis lucrum tulit; congruum hinc reputant, ut eo lucro hodiernum redituum decrementum compenset postquam jus petendæ reductionis pacto convento à se abdicavit. Denique parvi faciunt læsionem, quæ procul abfuit a Capitulo de tempore contractus: nam tunc illum utilem dixit Episcopus, id quod exhuberat ad excludendam læsionem, quæ in contractibus a tempore stipulationis dimetiri solet, *Zanchi de læsion. part.*1. *cap.*7. *num.*85., & 163. *Rota dec.* 46. *n.*1. *coram Peutinger*. Cæterum urgent obviam regulam, ut Canonici in suo Congruo judicio læsionis exceptionem debeant experiri.

Præ viribus contra læsioni insistunt Capitulares, qua posita nulli dubium, quin ad æquitatis, & justitiæ lancem contractus sit reducendus ad *Text. in Cap. Suggestum de decim, in leg. quidam* 17, *de Usur.*, *Zanch. de lesion. part.*2. *cap.*8. *num.*99. & *Rota dec.* 192.*n.*18. *cor. Caprara*; quæ læsionis exceptio in annuis stipulationibus, tractum successivum habentibus a futuro etiam eventu solet æstimari ad tradita per *Zanch. loc. cit. part.*5. *Cap.* 3. *n.* 15., *Rota cor. Cerro decis.* 593. *numer.* 12., *coram Ratto decis.* 286. *num.* 16., & 17., & *decis.* 707. *num.* 17. *cor. clar. mem. Riminaldo*. Hinc sibi hanc tenent doctrinam velut congruentem contractui, quem exequi tenebantur = *con perpetuità interminabile finchè durerà il mondo*, atque aliam de reducendis oneribus quoties traditus fundus perierit. Jam vero deperdito Censu *Subissati* dimidia pars fundi, & reditus evanuit; unde ex alio superextanti Censu, quatenus a Comunitate exigantur fructus hactenus suspensi, reditus supersunt in annuis circiter scutis quinque, dum vicissim ad solemnitatem implendam juxta præscriptam formam de tempore contractus scuta 8. 28. 1. requirebantur, & hodiè *in tanta rerum omnium caritate* longe major quoque summa foret impendenda. Ideo evenisse defendunt casum reductionis onerum licet per contractum fuerint assumpta; Nam læsione inspecta hujusmodi contractus quoque ad æquitatem decet, ut reducantur, ut firmavit *Bene-*

 dict.

dict. XIV. de Synod. dioeces. lib. 13. *Cap. ultim. num.* 22., & Sac. Congregatio *in Ordinis B. Mariæ de Mercede* 1. *Julii* 1724., *in Romana Reductionis Oneris Missarum* 13. *Aprilis* 1733., *& in Ecclesien.* 16. *Augusti* 1794.

Quia reductioni obstare videatur adjectum pactum de nunquam petenda reductione vel conditio incorporandi fundum Missæ Capitulari; cum enim Urbani VIII. decreto Episcopis commissa sit cura invigilandi *ut reditus qui Ecclesiis, & Locis piis relinquuntur omnino respondeant oneribus secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ*, ideo hujusmodi pacta velut contraria eidem Sanctioni in Ecclesiæ præjudicium, & Successorum pro non adjecta haberi tenent *Pignatell. consult. can.* 226. *num.* 2. *tom.* 4., *& Scarfant. ad Ceccoper. elucubrat. can. lib.* 3. *tit.* 13. *num.* 19.; quoad incorporationem vero notandum, quod licet fuerit conventa, effectum tamen non habuit, nec habere poterat, cum jus pontificium incorporationem hujusmodi prohiberet jubens, ut pecuniæ Capitulis aut aliis Ecclesiis traditæ ad implementum piorum onerum investiendæ sint *in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & individua mentione Oneris, quod illis adnexum reperitur*, ut his verbis statuit *citat. decret. Urbani VIII.* §. 6., & edixit *S. Congregatio in Firmana Legatorum* 21. *Junii* 1725., qua de re Matarotii largitionem constat, in duos census fuisse erogatam. Una superesset difficultas circa qualitatem investimenti in Censibus, sed fuerat conventum ut liceret Capitulo *Rinvestire come giudicherà più opportuno*. Census autem *Subissati* non periit ob decotionem debitoris, sed temporum vicissitudine, ex qua restituta pecunia denuo fænori dari non potuit, periitque deinde notissima Cedularum demonetatione: alter à Communitate Urbaniæ coemptus ex tutioribus de tempore contractus reputabatur, & viget adhuc licet difficilioris sit factus exactionis; hinc secum reputent Emi Patres, num Capitularium vitio decrementum redituum sit tribuendum.

Cæterum his missis urget Capitulum nullitatem Contractus; sive quia inter Suffragantes Capitulares quatuor illum reprobarunt, cum jure ageretur de actu volun-

ta-

tario acceptationis nempe perpetui oneris, singulorum requirebatur consensus *Pasqualig. de Sacrif. miss. cent.* 1. *quæst.* 78. *n.* 5. *Ceccoper. lucubrat. can. lib.* 4. *tit.* 15. *num.* 10., *&* *Rota in nuper. decis.* 55. *num.* 7. *tom.* 5.; Sive quia Archipresbiter Leonardi, & Canonicus Luzj, qui Capituli nomine interfuerunt stipulationi Instrumenti, absque ejus mandato hoc functi sint munere, de quo nullum superest monumentum. Quæ quidem exceptio levioris esset momenti, si rem utilem etiam sine mandato gessissent; at ad examen revocato compendio pro singulis oneribus assignato negant etiam de tempore stipulationis hanc interfuisse utilitatem. Assignata enim fuit pro Missis lectis elemosina Julii unius; dum in perpetuis oneribus duplo major præfinienda erat, ex notissima Regula, de qua *Scarfant. ad Ceccoper. lucubrat. can. lib.* 3. *tit.* 13. *num.* 6., *Rota in Nuper. decis.* 88. *num.* 6. *tom.* 5., *&* *S. Congregatio in Bononien. Commutationis voluntatis* 21. *Junii* 1794. sic quoque tenuissimum dicunt stipendium duplicis Julii pro Missa solemni, & cæteræ quæque partitæ pro Corypheo, distributionibus, impensis ceræ, & utensilibus aliisque inservientibus conferendæ, miserrimæ, & omnino impares ad volitam celebritatis pompam explendam. Quatenus ex his justam causam recedendi a contractu oriri putaverint Emi Patres, tunc de reductionis modo quærendum. Ex comunitativo Censu annua scuta quinque supersunt, quæ staltem ad taxam conciliarem Missarum implemento sufficiunt. Delibrandum ideo num cætera magis onera sint reducenda retentis Missis, ut proponit Episcopus, & statuit *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *Cap. ultim.* §. 23., *&* *S. Congregatio in Montis Falisci Reductionis Missarum* 17. *Decembris* 1791.

Disputatur hinc dubium.

An sit locus executioni contractus, seu potius reductioni Onerum in casu &c.

Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.

Sess. 23. Cap. 5. de Reform.

SUTRINA CAPPELLANIÆ. Joannes Baptista Mancinelli postremis tabulis anno 1581. scriptis legavit familiari Cappellæ sitę in Cathedrali Sutrina, & nuncupatæ SSmæ Trinitati annua scuta viginti quatuor, in stipendium Cappellani eroganda, qui servitio dictæ Cappellæ addictus Sacra tria in singulas hebdomadas conficeret. De jurepatronatus tam *activo*, quam *passivo* legatæ Cappellaniæ hæc precipua habuit: *sit jurispatronatus infrascriptorum suorum heredum, & descendentium, & aliorum descendentium Masculorum ex linea Masculina supradictorum, ita ut electio, & præsentatio dicti Cappellani semper, & quandocumque vacare contigerit in perpetuum spectet, & pertineat ad Supradictos, & ille in Cappellanum electus semper præferatur, qui a majori parte dictorum fuerit electus, & presentatus. Quod si ex supradictis descendentibus fuerit aliquis, qui voluerit esse Presbiter, dummodo idoneus, semper debeat eligi, & omnibus aliis præferri ad dictam Cappellaniam, & aliquo ex prædictis non existente, quod electio, & præsentatio sit in arbitrio prædictorum, ut supra dummodo talis eligendus sit civis Sutrinus, & non forensis, quem semper prohibuit eligi posse, & omnino voluit exclusum a Beneficio.* Post hæc ipse Testator in primum Cappellanum nominavit Presbiterum Tullium fratrem suum, quo recusante, aut obeunte iterum elegit Sacerdotem Archangelum Mancinelli pronepotem suum; & tandem ex asse sibi nuncupavit hæredes, & *reciproce* ac *fideicommissarie* substituit Fratres Tullium Pomponium, & Franciscum.

Isti familiam Mancinelli propagarunt, quæ in duas stirpes divisa est, *alteram* a Pomponio, *alteram* a Francisco prodeuntem. Ex hac *anno* 1720. Superstites erant Petrus Paulus, ejusque Filii Liberatus, & Joseph Mancinelli, qui vacata Cappellania *in capita* presentarunt hunc ipsum Josephum, qui Clericus erat. At acriter obstitit Præsbiter Dominicus ex altera stirpe Mancinellia a Pomponio descendente. Nam reportata nominatione a Pio Mancinelli Fratre suo obtinuit a Vicario Generali Sutrino, ut *visis testamento, erectione, collationibus successive factis, nominationibus* Sen-

Jo-

tentiam ferret, qua declaravit *constare de jure patronatus passivo* favore *Præsbiteri Dominici* penitus depulso *clerico Josepho*. Hinc exaruit stirpes, quæ a Pomponio ducebatur, & juspatronatus coaluit integrum in Petro Paulo, qui a Francisco procedebat. Cumque ejus descendentia in duas lineas propagata fuisset Liberati, & Josephi, in contingentibus deinceps vacationibus ex utraque linea in capita, unaque simul Parentes et Filii nominarunt, & in duplici presentatione anni 1725., & 1760. Sacerdotes de Familia in Cappellanos electos fuisse constat.

Nuper vacavit Cappellania. *Quinque* sunt patronales voces. *Duo* ex linea Liberati; scilicet Horatius, ejusque Filius Sanctes. Ille filium presentavit, qui Sanctissimo obtulit supplicationem *pro qualificato cum derogatione medietatis vocum*. *Tres* vero sunt *voces* ex linea Josephi, nimirum *Hippoliti*, *&* *Pauli* nominantes fratrem suum *Sacerdotem Liborium*, qui etiam pro se supplicavit S. Pontifici, & deprecatus est Gratiam *Pro Præsentato*. Facta hinc disputatio est apud Eminentissimum Pro-Datarium, utra ex Supplicationibus esset signanda. Qui cum ad S. hanc Congregationem rem pro voto remisisset, hæc interrogavit Episcopum Sutrinum ut, quæ sua Sententia esset, aperiret. Antistes Amplissimus affirmat, se terminum ad deducenda sua jura præfixisse = *per æpistolam etiam Clerico Sancti in Alma Urbe cum parente suo, & familia degenti, cujus proinde dispositiones, & jura quæ pro se proferre possit, comperta mihi esse non possunt.* Refert deinde ea, quæ Sacerdos Liborius deduxit, eaque EE. VV. judicio submittere, & a sua Sententia se abstinere profitetur. Indictum pluries est utrique litiganti vadimonium, quod nunc unus Sacerdos Liborius sistit, dum Sanctes penitus illud deseruit.

Hoc quærendum in hac causa, uter ex Supplicantibus probet ea, quæ Sanctissimo exposuit. Nam cum agatur de Beneficio jurispatronatus Laicorum Supplicationes convenire debent fundationis legibus ut tradit *Lotter. de Re Benficiar. Lib.* 2. *Quest.* 8. *num.* 102., *Ros. de exequt. Litterar. Apostolic. Lib.* 1. *Cap.* 5. *numer.* 130., *Rigant: ad Regul. Cancellar:* 42. *a num.* 158. *ad* 162. Clericus Sanctes Mancinelli dum judicio abest, non probat certe, nec se esse *a medietate* vocum

cum patronalium *præsentatum*, nec se esse *qualificatum* ex fundatione; quæ duo ipse S. Pontifici exposuit. Verum præ munere haud prætercam, quod Testator voluit, ut jus nominandi esset = *infrascriptorum hæredum*, & *aliorum descendentium Masculorum de linea Masculina*. Si igitur in patronis conjunctam voluit qualitatem hæredis, & sanguinis, videtur ex his emergere juspatronatus mixtum, in quo Patroni in Stirpes præsentant *Ancheran. Quæst.* 2. *num.* 18., *Vivian. de Jurepatronat. Lib.* 12. *Cap.* 8., *Barbos. de potestat. Episcop. Allegat.* 72. *num.* 148. Quare dum Horatius Sanctis Pater repræsentat stirpem, seu unam lineam ex duobus, quibus nunc constat Familia Mancinelli, videtur sane quod Sanctes præsentatus sit *a medietate* Patronorum. Dum vero Sanctes est Clericus de Familia, ideo sese qualificatum dixit ex Fundatione, in qua prælatio conceditur illi = *ex descendentibus*, *qui voluerit esse Presbyter* =

Sed hæc præoccupat, & diluit Presbyter Liborius *in sua Allegatione de more distribuenda*. Nam contendit, quod agatur de Jurepatronatu, relicto descendentibus Masculis *ex linea Masculina*, qui cum alii esse nequeant quam Agnati. ut tradit *Rota in Romana Immissionis*, & *Reintegrationis* 10. *Junii* 1793. §. 3. *coram Paracciano*, sequitur, ut patronatus sit Familiaris Agnatitius, licet Testator de hæredibus meminerit. Nam hæc mentio hæredum facta cum clausula *infrascriptorum hæredum*, vel accipienda est *demonstrative* ad personas hæredum institutorum, *Rot. decis.* 220. *num.* 8. *part.* 11. *Recen.*; vel accipienda est de hæredibus sanguinis, *decis.* 279. *num.* 18. 19. *part.* 18. *Recent.* Hinc se appellat ad observantiam. Nam constat, quod Parentes insimul cum Filiis præsentationes expleverint, nulla facta mentione *quotæ hæreditariæ*, ex cujusmodi præsentationibus qualitas familiaris & Agnatitii Jurispatronatus emergit, juxta doctrinam *Rotæ decis.* 515. *num.* 1. & *seq. part.* 14. *Recen.* Posita vero natura Jurispatronatus Familiaris & Agnatitii descendit, ut præsentatio facienda sit in capita *Card. de Luca de Jurepatronat. disc.* 61. *num.* 16., *Piton. de Controvers. Patron. Allegat.* 10. *num.* 6., *Rot. decis.* 645. *num.* 6. *cor. Molines*. Dum itaque ex quinque vocibus patronalibus tres favent Liborio, probat quidem se

præ-

præsentatum a majori parte . Quas inter tres voces adnumeranda ea est , quam ipse uti unus de Familia habet . Ex notissima namque *cauthela Panormitani* licet Patronis pro seipsis supplicare ad vitandum ambitum , ut tradit *Piton. de Controvers. Patron. Allegat.* 52. *num* , 1. & 2.

Post hæc negat Clericum Sanctem esse ex fundatione qualificatum . Nam licet Testator prælationem concesserit illis de Familia , qui ad Presbyteratum promoveri exoptabant , non idcirco concludendum , ut actu Sacerdotes excludantur ab his qui Sacerdotes esse possunt , Immò vero , cum non aperte excluserit Sacerdotes *actu* , nec Clericis Fundator concesserit prælationem , danda illis est prærogativa *tum ex dispositione juris*,ex qua in beneficiis semper Clericis Presbyteri anteponuntur *Cap. Cum statuimus de Major.* , & *obed.* ; *tum* , ex præsumpta *voluntate Testatoris* , qui si Clericos descendentes extraneis prætulit , multo magis Presbiteros descendentes Clericis præpositos voluisse censendum est , tum demum *ex observantia* , ex qua constat , ipsum Testatorem Sacerdotem nominasse , & deinde in successivis vacationibus semper fuisse Presbyterum descendentem nominatum ;

Dubium est .

An , & quæ supplicatio sit signanda in casu &c.

Affirmative favore Liborii Mancinelli .

FOROSEMPRONIEN. TRANSLATIONIS PARÆCIÆ , ET APPLICATIONIS . Quæ facti sunt in hac causa constant ex Folio Congregationis diei 19. Decembris proximi præteriti , qua die proposito Dubio = *An , & quomodo sit locus translationi , & unioni , itaut sit consulendum SSmo* = responsum est = *Negative in omnibus , & ad mentem* = Voluerunt scilicet EE. PP. , ut scriberetur Episcopo , qui alia proponeret media , quibus paupertati Paræciæ Sancti Rocchi consultum esset . *Ses.24. cap.13. de Reform.*

Nunc vero Episcopus certiorem facit Sac. Congregationem , quod Parochus Valentini dereliquit omnino Paræciam S, Rocchi , ad quem nemo est , qui concurrere velit

velit ; quippe quia his temporibus conciliarem congruam imparem dicit honestæ sustentationi ; ea vero plerumque in Censibus consistit = *ad una rispettabile usura*), reductione proinde subjectis, ut jam reduci cœperunt ; Impossibile autem esse, ut inopiæ ejus Paræciæ succurratur, nisi per translationem ad Oratorium D. Aldebrandi, & per applicationem legati Palma. Nam in Civitate Forosempronii universus Clerus Secularis, & Regularis, Mensa Episcopalis & Capitularis, quinque Paræciæ, vigintiquinque Loca pia & Cappellaniæ in unum possident exiguum Censum in scutis *octuaginta millia*, ut constat ex Catastro jussu san. mem. Pii VI. confecto ; Quare cum nullum sit pingue beneficium, nulla dives Sodalitas, nullum Cœnobium Regularium, aut alter locus pius permulto ære alieno ob superioris temporis ærumnas non gravatus, certe ex bonis Cleri nullo modo suppleri posse ait indigentiæ Paræciæ S. Rocchi. Parochiani vero cum sint ex pauperrimis familiis illius Civitatis non possunt per oblationes opem ferre Paræciæ, & cum ferme nihil possideant ; exiguas sane decimas præstare valent prædiales, & personales nullo modo possunt.

Namque Territorium forosemproniense *à differenza di quasi tutti gli altri Territorj hà per fondo la pietra, per cui è sterilissimo* ; illudque demum animadvertit, quod nisi penitus cognita fuisset Patronis & possessoribus Ecclesiasticis & Sæcularibus impotentia supplendi aliis mediis, jus suum non abdicassent super iisdem Cappellaniis, ut Paræciæ S. Rocchi prospicerent. Iterum ergo proponit Episcopus, ut firmis remanentibus duobus Cappellaniis Bianchi annui reditus scutorum duodecim pro quolibet ; reliqua remedia jam proposita in Congregatione diei 19. Decembris proximi præteriti probentur, qua methodo una tantum ex iisdem Cappellaniis Missæ quotidianæ, & legatum Palma conferendum erit in augmentum congruæ ejusdem Paræciæ juxta notata in Folio hujus Causæ, quo resumpto dignentur EE. VV. de primævo dubio decernere.

An, & quomodo sit locus translationi, & unioni, itaut sit consulendum SSmo in casu &c.

Prævio recessu a decisis affirmative juxta votum Episcopi.

NUCE-

NUCERINA DISPENSATIONIS. Gravis annis cum esset Præsbiter Paulus Berardi, qui Pareciam S. Joannis in Villa Musciani regebat eam *die 20. Junii proxime præteriti* in manibus Episcopi sui nucerini libere resignavit. Indicto ideo concursu tres ab Examinatoribus probari meruerunt. *Primus*, qui fuit probatus, erat in dignitate Præsbiterali constitutus, sed oblatam sibi ab Episcopo collationem peculiaribus de causis renunciavit. *Alter* accessit ad Concursum Petrus Giacobetti Nepos resignantis in tertio consanguinitatis gradu domum, bonaque possidens in Villa Musciani & actualis Parochus in Villa *Macantone*. Sed huic obstat Constitutio S. Pii V. quæ incipit *Quanta Ecclesiæ* vetans, ne Consanguineis resignantium conferatur beneficium resignatum. *Tertius* qui approbationem meruit fuit Subdiaconus Emilianus Grassi, cui ętas viginti quatuor annorum impedimento est, quominusParæciam consequatur secundum dispositionem juris *in Cap. in Cunctis* §. *Inferiora de Elect.* *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Queritur nunc utri ex novissimis Candidatis sit danda dispensatio, ut Paræciam assequi possit. Episcopus in sua Informatione quoad Parochum Giacobetti hæc habet = *Nulla me ne levis quidem tenuit umquam suspicio confidentialis simoniæ inter Oratorem Giacobetti, & Senem Parochum Resignantem. Unum dumtaxat semper præ oculis, habui omni me penitus facultate destitui ad legitime conferendam Pareciam Oratori, quem, utpote Resignantis consanguineum, ab illa prohiberi, videbam per litteralem Constitutionem S. Pii V. Cætera quæ adhuc magis me hærere faciebant, ne præligerem Oratorem alioquin bonum, probumqoe, localitatem respiciebant, cui fortassis haud convenire perspiciebam illam vacantem Pareciam* =, scilicet in qua Jacobettus paternam domum, & bona possidet. Quoad vero Subdiaconum Grassi = *utinam* (inquit) *ætatis legitimæ annorum vigintiquinque obstaculum non haberet. Agit hic annum vigesimum quartum quam cito implendum, moribus fulget angelicis, atque Parocho Iacobetto scientia nequaquam secundus, maxime Ecclesiæ utilem faturam exhibet spem. In potestate EE. VV. erit, cui maluerint dispensationem indulgere.*

Constitutione = *Quanta Ecclesiæ* = anno 1568. edita a S. M. Pii V. cavetur = *ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de Beneficiis, & officiis resignandis aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere* = ut legitur *in Bullar. Magn. Tom.4. part.3. pag.10.* Ubi tamen deprehenditur manifestus typographi error. Non enim legendum est = *admittentium consanguineis*, sed *dimittentium consanguineis*, ut notat *Fagnan. in Cap. Non sine num.45. de Arbitris*, & *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. Lib.13. Cap.24. num.2.* Quare exploratum est, quod beneficia resignata ab Episcopis conferri non possint, *aut suis, aut dimittentium consanguineis*. Quæsitum autem olim est ab hac Sac. Congregatione *in Cremonen. anni* 1573., utrum allegata Constitutio *locum habeat* in Ecclesiis Parochialibus, & beneficiis curam animarum habentibus, quę per concursum magis idoneis conferri debent ex Decreto *Concil. Trident. Cap.18. sess.24.* itaut si familiaris aliquis Episcopi vel consanguineus resignantis comparuerit, & in concursu ad hujusmodi Beneficium curatum, ut supra vacans cum aliis se examinari petierit, admitti non possit, & si admissus ad examen, & uti idoneus ab examinatoribus relatus fuerit, utrum ei beneficium conferri possit. SSmus D. Noster etiam ex Sententia Sac. Congregationis Concilii declaravit locum habere, & ideo monendum Episcopum, ne hujusmodi *familiares vel consanguineos admittat ad concursum*. Cujus Sac. Congregationis responsum excripsimus *ex Lib.1. decret. pag.* 145.

Hæc tamen Jacobettus nil sibi negocii facessere putat quominus Pareciam consequatur. Nam contendit quod ratio Constitutionis Pianæ in eo reposita sit, ut suspicio collusionis, & fraudis inter Episcopum, & Resignantem submoveatur, atque idcirco vetitū sit eorum consanguineis beneficia, etiam Parochialia conferre. Contendit vero *ex facto*, quod procul absit in specie fraus & collusio tum ex parte Episcopi qui alium jam nominavit, eoque renunciante Clericum Grassi nominat; tum ex parte resignantis cum Episcopus ipse testetur = *nulla me ne levis umquam tenuit su-*

suspicio confidentialis Simoniæ inter Oratorem, & *Parochum resignantem*. Præterea Jacobettus adducit Testes deponentes, quod Parochus Berardi resignans ob nonnullas simultates ortas cum Jacobetto Nepote suo, ægre tulit hunc ad concursum accedere, ita ut obstitit, ne Parochiani eumdem acclamarent. Tandem ab *allegata Cremonen.* se expedit ex eo, quod tum Sac. Congregatio definivit, ut moneretur Episcopus ne consanguineum resignantis ad concursum admitteret, numquam vero, ut illum a consequenda Parœcia excluderet, si in Concursu admissus, & probatus fuerit. Quare cessante suspicione fraudis cum ipse inter concurrentes admissus approbationem meruerit, concludit, quod Constitutio Piana, aut omnino non illum prohibeat ab obtinenda Parœcia, aut saltem ab ea sit dispensandus.

Ad Subdiaconum Grassi, quod attinet satis ei est, ut *Subdiaconatu* insignitus sit ut Paræciam consequi possit, ut expresse habetur *ex Cap. Præterea de ætate*, & *ordin. præficien.*, quod exornat *Pirhing. in Jus Canon. Lib.* 1. *tit.* 14. §. 5. *num.* 41. *tom.* 1. Sed ei impedimento est ætas. Nam ex *Cap. cum in cunctis* §. *Inferiora de elect.*, & *ex decret. Concilii Trident. sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* cavetur, ne quis ad Parochialem promoveatur, nisi attingerit ætatem annorum viginti quinque. Potest sane ab hac ætate dispensari, si justa concurrat causa, scilicet Ecclesiæ utilitas, ut tradit *Pirhing. loc. citat. num.* 42. & *late Rebuff. in Praxi Tit. de non removen. intra ann.*, *Navarra in Manual. Cap.* 25. *num.* 118. *pag.* 8. Erit EE. VV. Judicium, num in casu concurrat Ecclesiæ utilitas. Certe quidem in concursu plures affuerunt, ut sperandum sit, quod novo indicto concursu aliquis idoneus accedat, qui nulla egeat dispensatione. Verum Episcopi votum fertur in Subdiaconum Grassi, quem angelicis ornatum moribus prædicat, doctrina Jacobetto non secundum ita ut *maximam Ecclesiæ utilem futuram spem* exhibeat.

Dignentur itaque EE. PP. deliberare.

An, & *cui sit concedenda dispensatio in casu &c.*

Affirmative favore Subdiaconi Grassi, & ad Secretarium cum SSmo.

Sess.25.cap.4. de Reform.

SAVONEN. SUSPENSIONIS ONERUM = Quod in Valle S. Bernardi Savonensis Diœcesis erectum est *anno* 1537. Hospitale S. Mariæ *de Misericordia* separatos habebat fundos tum pro curandis infirmis, instituendisque puellis; tum etiam pro legatis Missarum, quæ annuum attingunt numerum 12253., comprehensis Missis 535. *cum cantu* celebrandis. Verum sæviente bello, & grassante peste sub sæculo decimosexto Rectores Hospitalis,ut infirmis opem ferrent alienarunt fundos pro celebratione Missarum destinatos in summa scut. 16000. monetę Romanæ; cumque inter publica rerum discrimina, quæ labente sæculo decimoctavo evenerunt distractos fundos redintegrare non possent,a Sac. Congregatione deprecati sunt reductionem Missarum 3073.,quæ deficientibus fundis respondebant. Sed proposito Dubio = *An & quomodo sit locus suppressioni oneris Missarum, seu potius suspensioni in casu &c.* rescriptum fuit in Congregatione diei 18. Augusti 1792. = *Negative ad primampartem, affirmative ad secundam ad decennium prout in Cremonensi* = in qua sub die 16. Februarii 1743. similis concessa est suspensio onerum *exceptis tamen iis per contractum acceptatis*, & iniuncta celebratione annui Anniversarii. Interim novissimis ærumnis deterior facta Xenodochii conditio. Quæ enim possidebat Capitalia frugifera Bataviæ, Mediolani, Bouoniæ & Romæ,penitus amisit, iterumque proinde Rectores San. mem. Pio VI. Florentię degenti supplicarunt, ut Sacra *novem millia*, quę ex præcedenti Indulto erant quotannis celebranda, ad annua *duo millia* reducerentur. Preces hujusmodi ex Rescripto diei 16. *Ianuarii* 1799. remissæ fuerunt arbitrio Ordinarii, qui utendo tributis facultatibus petitam reductionem ad triennium concessit.

Nihilominus Census Hospitalis semper in deterius abivit. Nam cessarunt solutiones Capitalium, quæ Viennæ, Neapoli, Januæ, Panormi, extabant, cessarunt piæ fidelium oblationes, vastati sunt agri statione militum, & tandem direptus Thesaurus, qui ex auro, argento, & gemmis constabat ad scuta Romana circiter trecenta millia. Hinc ex oblatis rationibus annui *accepti* in Libellis 58710., & *expensi* in Libellis 78765. apparet,

quod

quod impossibile sit pauperes alere, & Missas celebrare. Denuo igitur nunc postulant prorogationem ad aliud decennium utriusque indulti *anno* 1792. & 1799. jam impetrati; ita tamen ut per decennium omnia Missarum onera suspendant, quoniam ex annuis Missis adventitiis usque ad numerum 2500. cultui Ecclesiæ Hospitali adnexæ satis foret consultum.

Episcopus narrata confirmans ait, quod Xenodochium *ad extremum egestatis reductum impar omnino est, ut pauperes ibidem degentes, quibus nuncium dare hisce præsertim temporibus nefas est, sustentare valeat, ac una simul oneribus Missarum satisfacere*. Necessitatem vero implorati indulti probat ex statu passivo, qui activum superat in annuis circiter scutis 3500. monetæ Romanæ, & de consensu demum interesse habentium hæc addit: *Quoad interesse habentes duplicis sunt generis, alii videlicet, quibus uti hæredibus eorum, qui celebrationem Missarum correspective ad assignatam dotem demandarunt, jus competit pro suscepti oneris implemento, & hi omnes quotquot sunt ultro assensum Pontificiæ reductioni præstant; Alii vero de Sacerdotum cetu, uti patrimonii titulo nonnullas ex his Cappellaniis possidentes, quarum bona sunt penes dictum pium opus, assensum reductioni propterea detrectant. Hisce præhabitis ejus sum voti, ut requisitioni dictorum Administratorum annui possit, tum quoad extentionem ad aliud decennium utriusque Rescripti, tum quoad suspensionem oneris Missarum 2000. celebrandarum pariter ad aliud decennium, quatenus decennio durante aliunde non obveniant bona, ex quibus necessitatibus undequaque ingruentibus occurri possit, tum vero quoad absolutionem Missarum 3581., quarum celebratio non fuit adimpleta*.

In I. Dubio quæritur de prorogatione Indultorum quorum primum die 18. *Augusti* 1792. impetravit Hospitale a Sac. Congregatione pro suspensione Missarum 3073.; alterum die 16. *Ianuarii* 1799. ex Rescripto SSmi consequutus est pro suspensione aliarum Missarum 7000. Et hanc prorogationem nunc postulant non pro Missis tantum 7000., quæ suspensæ fuerunt, sed etiam pro aliis 2000., quæ ex ipsis indultis celebrandæ supererant. Sane his prorogatis indultis privantur suf-

fra-

fragiis ii qui bona dederunt, ac proinde alterior prorogatio deneganda videtur, ut sæpe alias decrevit Sac. Congregatio *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790. *ad I. Dubium*, & *in Novarien. Reductionis* 17. *Septembris* 1791. Sed manent adhuc immo graviores factæ sunt causę illæ necessitatis & impotentiæ, quibus mota S. Congregatio, & S. Pontifex suspensionem Missarum concessit. Quare deneganda non videtur prorogatio Indulti, ut Hospitalis indigentię succurratur, ut statuit S. Congregatio *in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782.

Gravior esse poterit difficultas quoad petitam suspensionem etiam Missarum 2000., quæ ex pręcedentibus Indultis celebrandæ supersunt. Obstat enim huic suspensioni præjudicium defunctorum, qui penitus Sacrificiis expiatoriis carent. Obstat iterum Decretum Sac. Congregationis, quo a suspensione exceptæ sunt Missæ per contractum celebrandæ. Obstat tandem detrimentum Sacerdotum, qui cum ordinati sint ad titulum Cappellaniarum, privarentur patrimonio Sacro, & stipem quęritare cogerentur. Si igitur Hospitale alienavit fundos Missarum, & harum onus transtulit super aliis Bonis, quæ pro alimentis Pauperum erant assignata, jam ex his supplere debet quidquid implemento Missarum 2000 deficiat, cum primum alia onera, quam Missæ reducendæ sint, secundum *Fagnan. in Cap. ex parte num.* 34. *de Constitut.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœcesan. Lib.* 13. *Cap. ultim.* §. 23. *Sacra Congregatio in Derthonen. Reductionis Onerum* 19. *Maii* 1787. Verum ex rationibus ab Hospitale exhibitis patet, quod inspecto statu Activo in Libellis 58710. ferre non possit onera quæ adscendunt ad annuas *Libellas* 78765. Quare si missæ celebrandæ forent piissimum minueretur opus alendi pauperes infirmos; & expositas puellas, cui plurimum favendum censet *Tomassin. de veter. & nova Eccles. disciplin. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 89. & 91. Et concurrente necessitate sæpe Sac. Congregatio Missarum onera suspendit *ut in Pharaonen. Suppressionis Onerum, & Absolutionis* 9. *Julii* 1796., & *novissime in Lunen. Sarzanen. Unionis, & Translationis* 23. *Januarii nuper elapsi*

Si hæc probentur EE. PP. tum statuendus erit modus, quo

quo hæc ipsa suspensio concedenda sit. Tria sane præ oculis habenda sunt. *Primum*, quod nonnulli sunt Sacerdotes qui ad titulum Cappellaniarum sunt ordinati. Poterunt igitur excipi a suspensione missas, quę pertinent ad has Cappellanias, ne Præsbiteri patrimonio careant. *Secundum* advertendum est, quod in his suspensionibus concedendis, injungi solet obligatio = *celebrandi in die infra octavam omnium defunctorum unum Anuiversarium applicandum collective pro omnibus qui onera reliquerunt* ut statutum fuit *in Cremonen.* 16. *Februarii* 1743. *Tertio* probanda videtur ea conditio, quam proponit Episcopus, ut hæc suspensio concedatnr = *ad decennium*, *quatenus decennio durante aliunde non obveniant bona*, & *quibus necessitatibus undequaque ingruentibus occurri possit*.

Quæritur in II. Dubio de absolutione quoad præteritum pro Missis 3581. non celebratis. Constat sane de impotentia itaut cum non subsit mala fides absolutionem quoad præteritum pro Missis non celebratis semper Sac. Congregatio concedere consuevit, *ut in Asculana Reductionis* 26. *Maii* 1769. Ex his duiplex emergit Dubium.

I. *An*, & *quomodo sit locus prorogationi Indultorum in casu* &c.

II. *An sit consuleadum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu* &c.

Ad I. Affirmative ad aliud decennium juxta petita, exceptis Cappellaniis plenis, necnon celebrato unico Anniversario infra octavam omnium Defunctorum.

Ad II. Affirmative celebrata unica Missa.

NULLIUS, SEU FARFEN. PUNCTATURARUM. Geminæ in agro, qui Oppidum Pharæ circumstat, erectæ fuerunt anno 1627. rurales Paræciæ authorante Cardinali Francisco Barberini, cui tum commendata erat Abbatia Farfensis; altera in Villa *Collis Todini*, altera in Villa *Canneti*. Utraque regitur per Parochos ab Abbate Commendatario deputatos, quorum quisque ab eo percipit in causam congruæ annua scuta 24., & præ- *Ses.24. cap.18. de Reform.*

& praeterea a Parochianis oblationes, & tandem ex Censibus fructus, qui tamen nunc valde imminuti sunt ob restitutas sortes in *Cædulis* quæ postea communi fato perierunt. Ita autem ab his ruralibus Plebanis cura geritur, ut super eos jura matricitatis exerceat parochialis Ecclesia S. Antonini Oppidi Pharæ, in qua erecta est Collegiata. Antequam vero rurales Paræciæ constituerentur, ex Constitutionibus Ecclesiæ cavebatur, ut in Oppido & Territorio Pharense deberet = *curam animarum penes Archipresbyterum quoad omnes privative residere, nullumque ex Canonicis Sacramenta administrare posse absque licentia ipsius Archipresbyteri*. Hinc, qui rura habitant, ad Parochialem Oppidi accedere tenentur, ut vivi in ea paschale præceptum impleant, Matrimonia celebrent, & mortui in ea tumulentur; quin Parochi percipiant emolumenta, quæ dividuntur inter Archipresbiterum, & Canonicos.

Factum aliqnando est, ut Paræciæ hujusmodi vacaverint nec inventus fuerit qnisquam ad eam concurrens. Ita evenit *anno* 1783., & 1786., quibus vacata Paræcia Caneti deputatus fuit in Æconomum Presbyter Aloysius Turchetti Canonicus Collegiatæ S. Antonini. Cum autem in prima admiuistratioue per sex menses, in secunda per annum præstiterit, & sæpe a chori servitio abfuerit, ut mnnera parochialia obiret, numquam tamen fuit punctatura notatus, immo iu *Codice punctaturarum* adnotatum legitur = *Discessit ut Æconomus Canneti* =. A biennio vacat Paræcia Collis Todini & idem Canonicus Tnrchetti mandante Vicario Generali Farfensi gessit hactenus vices Æconomi. Nam Presbyter Bernardini, cui hoc munus datum erat, numquam ad Villam *Collis Todini* accessit, neque Æconomatum exercuit. Hinc Canonici Collegiatæ contenderunt, quod Canonicus Turchetti punctaturas solvere deberet, quibus diebus a choro vacavit, cumque is solutionem detrectasset, Canonici Emas Vestras rogarunt, ut decernerent num ad solutionem teneatur. Interrogatus Ordinarius ex rationibus hinc inde recensendis concludit = *Aloysium Turchetti Canonico insignis Collegiatæ Terræ Pharæ, & hodiernum Æconomum Curatum ruralis Ecclesiæ Villæ Collis Todini non teneri ad solutionem Punctorum, quæ ob ejus absentiam Capitulum prædictæ Terræ ab eo persolvenda esse contendit* =

Pu-

Putant Canonici, quod Turchettus sit punctaturis subiiciendus tam ex dispositione juris *in Cap. Ad Audientiam De Cleric. non residen.*, *& in Cap. Unic. eod. tit. in 6.*, ex qua privantur distributionibus quotidianis qui choro non intersunt; quam ex Constitutionibus Ecclesiæ Collegietæ, quæ *in Cap.* 3. præscribunt = *ut qui ad matutinum finito hymno, ad Vesperas & Completorium finito primo psalmo, in Missæ celebratione post ultimum Kyrie eleison, chorum ingressi fuerint omnino punctentur & pro absentibus habeantur*. Cum vero ex alio Capite Constitutionum cura animarum *privative* penes Archipræsbyterum attribuatur; hinc concludunt, quod Canonicus Turchetti non habeat idoneam causam abessendi a choro ex eo, quod Paræciam Collis Todini administret. Immo vero cum retineat *duo incompatibilia* sine indulto, & utriusque reditus percipiat, punctandus omnino sit cum neque apud Collegiatam resideat, nec choro intersit, ut præscribunt, *Constit. Eccles. Cap.* XXI.

Contra Turchettus negat sibi adversari sive dispositionem Juris, sive Constitutiones Ecclesiæ, quominus choro præmissa de causa abesse queat. Nam tum demum *in Cap. Unic. de Clericis non residen. in* 6. Canonici distributionibus quotidianis privantur nisi = *infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret* = Dum itaque ipse abest a choro, ut mandante Ordinario curam animarum gerat, jam ex hoc deducitur quod probata sit *Ecclesiæ utilitas* tamquam causa idonea ad eum excusandum, si choro aliquando desit, ut tradunt Canonistæ, quos adducit *Reiffenstuel in Ius Canon. Lib.* 3. *tit.* 4. §. 4. *num.* 122., *& Ceccoper. Elucubrat. Canonic. Lib.* 2. *tit.* 9. *num.* 1. *Tom.* 1. Præterea contendit, quod ex ipsis *Constitutionibus Ecclesiæ* hæc ipsa excusatio probetur. Nam *in Cap.* 3. expresse cautum legitur = *quoties Archipræsbyter pro parrocchialibus muniis obeundis, e choro exierit, sive etiam ad eum accedere non potuerit, non punctetur* = Quare si in agro Pharensi Parochus, sive Æconomus supplet vices Archipræsbyteri, invidendum non videtur, si pari exemptione gaudere velit.

Falsum postremo esse ait, quod ipse duo incompatibilia retineat. Nam Paræciam Collis Todini non in titu-

 lum

lum habet, sed tamquam pro-æconomus, & ejus percipit reditus, ut oneribus Parochialibus satisfaciat. Ad rem suam conferre affirmat exemplum *anni* 1783. & 1786., quibus ipse tamquam Æconomus administravit Villam Canneti, & a choro aliquoties abfuit, quin puncto fuerit notatus.

Ex his in utramque partem deductis proponitur EE.VV. Dubium.

An per Canonicum Aloysium Turchetti sint solvendæ punctaturæ in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 21. cap. 4. de Reform.

ASCULANA TRANSLATIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. In Agro Oppidi *Lame* sita est regio *Collecchio Tacconi*, quam incolunt ad ducenta circiter capita, quæ Parocho *Lame* subijciuntur. Nedum seviente hieme, sed quandoque etiam æstivo tempore, cum aquis redundant duo torrentes *Lama & Lamatose* illam regionem circumfluentes, fit impervius ad Oppidum accessus, & habitatores illi carent tum Sacrificiis in diebus festis, tum spiritualibus subsidiis in extremo vitæ discrimine. Ex quibus excitata est Pietas Petri Tacconi, ut *in Collecchio* Ecclesiam ædificaverit in qua Ruricolæ ill Sacris interesse possent & Sacramenta sumerent. Ut vero in eadem Ecclesia Cappellanus adsit, qui missas celebret, & Sacramenta ministret, a Sac. Congregatione postulat translationem aviti Beneficii, quod erectum est sub invocatione *del Buon Gesù* in Ecclesia S. Joannis contermini Oppidi Apineani, simulque missarum reductionem.

Emus Asculanus Episcopus refert, Beneficium hujusmodi erectum fuisse anno 1640. cum onere Missæ quotidianæ, quod postea ex Decreto Sac. Congregationis reductum est ad tres Missas hebdomadales ob diminutionem redituum, qui nunc attingunt annuam summam scut. 27. 20. Compatroni hujus Beneficii, qui sunt de Familia Oratoris, Rector Beneficii & uterque Parochus tum Apineani, tum *Lamæ* assentiuntur huic translationi. Nullum Populo Apineani infertur præjudicium, cum ex deficientia Sacerdotum impleri non possint Missæ, quæ sunt quotannis cele-

lebrandæ. Hinc suam Sententiam concludit in hæc verba: = *His inhærens, & ego ipse non possum consensum meum ultro citroque non impertiri, cum translationis causa satis rationabilis pateat tam ex gravi necessitate in qua Fideles illi deprehenduntur, quam ex eo quod nullum præjudicium alteri Ecclesiæ infertur. De reductione Missarum eadem mea mens est ob rationes:* (quæ sequuntur) *primum quia difficilius est invenire Sacerdotes, qui diebus festivis Missas celebrent, quam ferialibus, aucta etiam eleemosina, quia etiam simplici Missarum celebrationi adjungitur onus explicationis Evangelii, & instructionis puerorum in rudimentis fidei, & alia hujusmodi, quæ laborem cum requirant, compensari æquum est minori Missarum numero.*

Quamquam in translationibus Missarum commutatio fiat voluntatis, a qua semper aliena fuit Ecclesiæ disciplina, *Can. Ultima Voluntas quæst.* 13. attamen concurrente necessitate, & utilitate Populi, & consenus eorum quorum interest translationem hujusmodi probavit S. Congregatio, ut *in Placentina Translationis, & Commutationis Onerum* 21. *Junii* 1794. Certe quidem ubi Incolæ ob interpositum flumen ad Pareciam accedere non possunt, iisdem est consulendum vel per deputationem Vicarii Curati, ut monuit *Alexand. III. in Cap. ad Audien. de Eccles. ædifican.*, vel etiam per dismembrationem Pareciæ, ut decrevit *S. Concil. Trident. Sess.* 21. *Cap.* 4. *de Reform.* Multo ergo magis concedenda videtur translatio Missarum, cum patroni, & Rectores consentiant, nec ullum detrimentum inferatur Ecclesiæ, a qua Missæ transferuntur, ut sepe alias definivit S. Congregatio *in Vicen. Translationis Onerum* 19. *Aprilis* 1766.

Quatenus vero ab EE. PP. probetur translatio Missarum tum statuendum erit, num concedenda sit reductio. Nam si translatio conceditur, ut Incolæ illi *di Collecchio* audire Missas possint, & Sacramenta sumere, & rudimenta fidei percipere, profecto Cappellano deputando danda est merces laborum. Agitur de annuo redita scut. 27. 20., ex quo annuæ Missæ 136. ad taxam perpetuæ celebrari possent. Sed Episcopus probat reductionem ad Missas fæstivas, *quia Missarum cele-*

 bra-

brationi adiungitur onus explicationis Evangelii, & instructionis puerorum in rudimentis fidei, & alia hujusmodi, quæ laborem cum requirant compensari æquum est cum minori Missarum numero. Quod si EE. PP. hanc reductionem probabunt, tunc opportunum erit declarare, num sub diebus festis comprehendantur etiam illi, qui a precepto audiendi Missam excipiuntur ex novissimo indulto S.M.Pii VI.

Dubium proponitur.

An & quomodo sit locus translationi, & reductioni Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 15. Maii 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NULLIUS, SEU FARFEN. PUNCTATURARUM. *Sess.24.cap.12. de Reform.*
An per Canonicum Aloysium Turchetti sint solvendæ punctaturæ in casu &c.

Affirmative.

ASCULANA TRANSLATIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.21.cap.4. de Reform.*
An, & quomodo sit locus translationi, & reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative in omnibus juxta votum Emi Episcopi etiam pro diebus Festis reductis.

TERRACINEN., ET PRIVERNEN. APERITIONIS ORIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.* Priverni erecta est Sodalitas in Ecclesia S. Mariæ Suffragii, quæ, cum superabundaret reditibus, statuit Collegiatam in eadem Ecclesia fundare. Acta res est apud Episcopum, qui putans se facultatibus carere ad Collegiatam erigendam, maluit de consensu Capituli, & Parochorum *Beneficiatam* instituere. Multiplices fuerunt conditiones, quas in hac erectione interposuerunt Sodales. Summa rei hæc est: Confratres cesserunt novis Beneficiatis bona omnia ad Sodalitium spectantia, quæque in futurum obvenire poterant. Ex his redibant quotannis *scuta* 280. & novi Be-

Beneficiati sese obstrinxerunt ad manutentionem Ecclesiae, ad implementum onerum, & ad Subministrationem annuam scutorum viginti favore Sodalitatis. Quidquid reliquum foret, inter Beneficiatos erat partiendum, ut singulis loco Praebendae obvenirent annua scuta viginti.

Inter onera, quae a Confratribus imposita fuere novis Beneficiatis, duo praecipua sunt, quae propius controversiam nostram attingunt. *PRIMUM*, *che si debba procurare dai Beneficiati nominandi d' ottenere il titolo di Colleggiata insigne col segno di Mozzetta color violaceo con bottoni rossi, e rocchetto*. *SECUNDUM*, *che i Canonici devono avere l'officiatura in tutte le feste di precetto nella Chiesa della Confraternita con le solite puntature in caso di mancanza; ed in tutte le feste di prima classe compresovi anche li primi Vesperi, e nelle Funzioni, ed Offizj della Settimana Santa incominciando dal Mercoledì Santo, lasciando l'officiatura della propria Chiesa, debbano portarsi alla Chiesa Cattedrale, e formare un Coro coi Canonici della Cattedrale* = Capitulum vero Cathedralis praestitit consensum erectioni hac ipsa repetita conditione = *Che li Signori Canonici della Colleggiata in tutte le Feste di prima Classe siano tenuti, ed obbligati intervenire nella Chiesa Catedrale, ma senza alzar la Croce dentro la medesima non solo all' Officiatura, e Messa solenne, ma ancora alli primi, e secondi Vesperi delle Feste sudette, dovranno formar tutto un Coro, e cantare nella Catedrale coi Rmi Canonici della medesima, al quale effetto dal Rmo Capitolo gli si faranno nel grado inferiore del Coro li Stalli per distinguerli dai Preti semplici, che intervengono nell' anzidette Funzioni*.

Ad normam harum conventionum Episcopus erexit hanc *Beneficiatam* per Bullam in S. Visitatione expeditam *die 6. Junii* 1791. Abhinc novi Beneficiati omnia impleverunt onera in Fundatione injuncta, quorum exequutionem jurati profiteri tenentur, qua die possessionem beneficii nanciscuntur. Nullum interea jurgium cum Canonicis Cathedralis, sed summa obtinuit concordia in obeundo servitio Chori in diebus praescriptis secundum conventiones. Post quinquennium orta controversia est inter Canonicos, & Beneficiatos. Illi enim numquam perfecerunt Scamna, seu *li Stalli*. Isti vero, nisi hęc essent extructa, Choro Interesse recu-

cusabant. Quare oblato vadimonio coram Vic. Gen. Priverni impetrarunt Beneficiati, Canonicis præfigi *terminum quatuor Mensium ad effectum petitum conficiendi Sedilia vulgo Stalli in Choro, quo elapso mandavit sequestrari reditus ad effectum ut supra*. Provocarunt Canonici ad A.C., & Beneficiati preces dederunt S. M. Pii VI. in quibus narrarunt *ritrovarsi essi obbligati nella Bolla d' erezzione ad intervenire nel Coro di questa Chiesa Catedrale coll' espresso patto però da Canonici stessi formato di dover essi far li Stalli ai Beneficiati per così contradistinguerli dalli Preti semplici*; narrarunt itidem litem exortam, Decretum Vic. Generalis, Appellationem a Canonicis interpositam, impotentiam sustinendi, litem: & propterea a SSmo postularunt, ut controversia *economice* dirimeretur. Interrogatus est Vicarius Apostolicus, qui votis Beneficiatorum adhæsit. Hinc Vice Auditor SSmi rescriptum tulit *die* 18. *Septembris* 1796. *SSmus attentis expositis & relatione & Voto Vicarii Apostolici, Causam de qua in precibus avocavit ad se, perpetuumque silentium imposuit. Beneficiatos autem Oratores absolvit ab onere in actu erectionis imposito adeundi Ecclesiam Cathedralem, ibique officiandi in diebus solemnioribus*. Reclamantes Canonici per citationem specialem coram Vice Auditore nihil profecerunt, nam in partium conflictu die 20. Septembris 1796. Judex ipse = *mandavit servari Rescriptum editum sub die* 18. *currentis*. Conticuere deinde Canonici, & Beneficiati cessarunt a servitio Chori in Cathedrali. Postquam vero Pontifex renunciatus est Sacratissimus Princeps Pius VII., Canonici iterum controversiam excitarunt oblatis Sanctitati suæ precibus, super quibus *die* 10. *Maii elapsi anni* hoc prodiit Rescriptum = *SSmus benigne remisit præces ad S. Congregationem Concilii cum clausula de Aperitione oris arbitrio adversus Rescriptum Sa. Me. Pii VI. cum omnibus facultatibus necessariis & opportunis, & signanter cum facultate procedendi œconomice, & sola facti veritate inspecta, & ordinandi procul a judicii, litisque ambagibus executionem Bullæ erectionis, de qua in precibus, ejusque omnimodum implementum*. Quod rescriptum contradicentibus Beneficiatis per Decretum *diei* 5. *Julii* 1801. ipse Vice Auditor SSmi = *mandavit servari quoad clausulam Aperitionis oris tantum cum iisdem facultatibus economicis*.

Epi-

Episcopus Privernensis Sententiam tenet adversam Beneficiatis ex rationibus inferius exponendis, unde concludit = *standum esse Bullæ erectionis, ut Beneficiati accedant ad Ecclesiam Cathedralem statutis diebus festivis, eo vel magis quod Canonici prædictæ Cathedralis in casu, quo Beneficiati stent promissis parati sunt in inferiori loco Stallos extruere in Choro licet ex Bulla erectionis strictæ non teneantur*. Cum vero ita Causa ex Rescripto SSmi permissa sit Judicio S. Congregationis, ut procul a judicii strepitu agitari debeat, author fui litigantibus, ut mihi in scriptis sua jura exhiberent sub infrascripto dubio Emis Vestris exponenda.

Primum hoc quæritur de aperitione oris, quam pendere *ex obreptione*, *vel subreptione* Rescripti vulgatissimum est *ex Text. in Cap. Ad audientiam De Rescriptis, Rota in Romana Successionis super Aperitione Oris* 4. *Aprilis* 1794. §.2. *cor. Acciajuoli*. Falsum narrasse & verum reticuisse Beneficiatos contendunt Canonici, unde obreptio, & subreptio procedit, ut post *Text. in Cap. Super Literis de Rescriptis* docet *Rota in Januen. Præpositurae* 3. *Martii* 1755. §. 13. *cor. Vicecomite*. Falsitas expositorum in eo constituitur, quod Beneficiati narrarunt = *ritrovarsi essi obligati nella Bolla d'erezzione ad intervenire nel Coro di questa Chiesa Catedrale coll' espresso patto però da' Canonici stessi formato di dover essi far li Stalli ai Beneficiati per così contradistinguerli dalli Preti semplici*. Nam negant Canonici Cathedralis, se *pacto correspectivo* obstrinxisse erga Beneficiatos, ut scamna conficerent; sed per viam *modi*, nempe se tum demum scamna confecturos, cum Beneficiati obtinerent honores, & insigna Collegiatæ. *Verum* autem reticuisse asseritur, ex eo quod Beneficiati non exposuerint, quod ex lege Fundationis, ex conditionibus a Confratribus propositis, & ex Bulla eretionis tenebantur ad obeundum servitium Chori in Cathedrali, quin conventa, vel præscripta fuerit Scamnorum confectio.

Contra Beneficiati negant, ullo subreptionis, vel obreptionis vitio infectum Rescriptum, statimac prodiit contradicentibus partibus. Nam post Judicatum Vic. Gen. Priverni super præfixione termini ad conficienda Scamna, post interpositam a Canonicis Appellationem, Beneficiati supplicarunt SSmo, ut controversia economice decideretur. Audita Relatione Vicarii Apostoli-

ci

ei Rescriptum vulgatum est. Reclamantibus vero Canonicis per Decretum Vice Auditor *die 20. Septembris 1796. = mandavit servari rescriptum dici 18. Septembris.* Quare cessat obreptionis, & subreptionis vitium, semel ac Canonici sua jura protulerunt, & nihilominus SSmus a quocumque onere Chori absolvit Beneficiatos. Negant rursus isti se *falso* narrasse, quod Canonici sese obstrinxerint ad scamna conficienda. Nam Canonici Cathedralis probarunt erectionem Collegiatę ea conditione, ut novi Canonici diebus Festis majoribus = *dovranno formar tutto un Coro, e cantare nella Catedrale coi Rmi Canonici della medesima, al qual effetto dal Rmo Capitolo gli si faranno nel grado inferiore del Coro li Stalli per distinguerli dalli Preti semplici* = quæ certe sive per viam modi adiecta sint, sive per viam pacti correspectivi obligationem pręseferunt. Asserunt denique Beneficiati *se vera* dixisse semel ac fassi sunt = *di ritrovarsi essi obbligati nella Bolla d' erezzione ad intervenire nel Coro di questa Chiesa Catedrale*,

Remoto vero *subreptionis*, & *obreptionis* vitio locus esse non potest arbitrio pro aperitione oris. Quoties enim Pontifex omnia scivit, potuit sane, & dum fecit, voluit derogare Juribus ex plenitudine potestatis, unde ejus Rescriptum, tamquam Lex, est exequendum, ut docet *Rota decis.662. num.23. & seq. tom.3. cor. Molines, & in Poderbinen. Jurisdictionis* 8.*Martii* 1756 §.2. *cor. Bussio*, & *in Popayanen. in Indiis Occidentalibus Legati* 17.*Junii* 1757. §.7. *cor. Vicecomite*. Nihilominus cum causa *economice* delegata sit S. Congregationi, ponderandum est ab EE.PP., quod ex Fundatione injungitur Beneficiatis servitium Chori in Cathedrali, quod ex inadimplemento Canonicorum, qui defecerunt Scamna conficere, non oritur actio rescissoria contractus, sed tantum ad implementum, ut scilicet Canonici Cathedralis tenerentur præstare, quam promiserunt Scamnorum constructionem. Nam deficiente pacto resolutivo actio ad factum datur ad implendas obligationes, ut post *Text. in L.9. ff. de Pactis* tradit *Rota Decis.* 149. *num.* 9. *part.* 18. *recen.* Rursus observandum est, quod lis inter Beneficiatos & Canonicos instaurata erat super confectione Scamnorum, cum Vic.Gen. his præstituerit tempus ad Scamna conficienda, aliter reditus Canonicorum sub sequestro

stare jussit. Tandem Episcopus his rationibus motus in ea Sententia est, ut Canonici ad confectionem scamnorum, Beneficiati ad servitium Chori in Cathedrali secundum fundationis leges adigantur.

Neque his refragari videtur utilitas Populi, qui frequentior esse solet in Ecclesia S. Mariæ Suffragii, adeoque expediat bono animarum, ne Beneficiati distrahantur a servitio si in Chorum Cathedralis abire tenerentur, ut deponunt Parochi, & Magistratus Civitatis. Nam Episcopus despicit horum testimonia, qui tamquam confratres in propriam causam deponunt. Deinde ex populi utilitate derogari non potest præcipuæ fundationis legi, qua Beneficiati in majoribus festis tenentur servitium prestare in Cathedrali. Maxime cum, ut Episcopus refert, utrumque implere possint Beneficiati, & Ecclesiæ S. Marię Suffragii adesse in populi utilitatem, & servitium Chori in majori hebdomada, & Festis solemnioribus in Cathedrali obire.

Hisce conficitur Dubium.

An sit locus arbitrio pro aperitione oris, ita ut sit servanda fundatio, seu potius sit exequendum Rescriptum in casu &c.

Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Sess.23. cap.4. de Reform.

ANGLONEN. ET TURSIEN. NULLITATIS ORDINATIONIS. Postquam Aloysius Ronchi solemnem Professionem emiserat in Monasterio Ordinis Cisterciensium *S. Mariæ de Sagittario* Anglonensis Diœcesis, cum annum ageret unum supra vigesimum, minoribus Ordinibus initiatus est non ab Abbate, qui tunc Monasterio S. Mariæ præsidebat, seu ut vocant *di Governo*, sed ex hujus mandato collatio Ordinum facta est ab altero ejusdem Ordinis Abbate *S. Mariæ de Arilia*, qui itineris causa apud Monasterium *S. Mariæ de Sagittario* diversabatur. Rocchus vero cum ad Subdiaconatum promoveri cuperet, nomen dedit Ordinario, qui scrutinio facto novit, eumdem non adhuc Sacramentum confirmationis suscepisse. Dubitatum hinc est de validitate collationis Ordinum minorum, tum ex parte *Ordinati*, quippe qui nondum confirmatus, tum ex parte *Ordinantis*, quippe qui non potiebatur

jurisdictione in Monasterio *S. Mariæ de Sagittario*, cui Monachus professus subjectus erat. Hisce commoti tum Abbas *S. Mariæ* dimittens, tum Rocchus ordinatus deprecati sunt, ut si forte censuris & irregularitate irretiti sint, eisdem absolutio, dispensatio, & reabilitatio concederetur.

Episcopus exposita confirmans sibi constare asserit de bona fide, tum Abbatis dimittentis, & ordinantis, tum Monachi ordinati = *Bona eorum fides* (ait) *evincitur, cum ex adulta ætate ipsius ordinati qui annum vigesimum primum excesserat, & facile eum confirmatum crediderunt in sua infantili ætate, tum ex ipsiusmet Professi Aloysii mente, qui postquam fuit ad Ordines promotus, statim de sua confirmatione dubitavit, & nulla interposita mora dubium ad dictum suum Abbatem aperuit. Bene igitur crederem benigne indulgeri posse pro pœnarum forsan ab Abbate dimittente, & Professo ordinato inconsiderate incursarum absolutione, & gratiam eidem Aloysio impertiri, ut ad Sac. Ordines, utpote omnibus requisitis per S. C. Tridentinum præscriptis est preditus, promoveri possit.*

Interrogatus est etiam Procurator Generalis Cistercensium, qui suam sententiam in hæc aperuit verba. *Quod attinet ad Ordinum collationem ab Abbate S. Mariæ de Axilia peractam favore dicti Aloysii Ronchi ex commissione Abbatis Oratoris nil reprehendendum arbitror, quia ex concessione Urbani VIII. in Bulla erectionis Provinciæ Cistercensis Calabriæ citerioris omnes Monachos tamquam unum inter se corpus efficere voluit, & Monachus, qui est ex uno Monasterio Professus, tamquam in omnibus aliis professus habetur. Quo circa omnes Monachi omnium Abbatum suæ respective Provinciæ, vel Congregationis Cistercensium subditi sunt. Ratio autem potissima, ob quam Cistercensium Abbates jurisdictionem habent in omnes Provinciæ Monachos ea est, quod ipsi quolibet elapso quinquennio regimen assumere debent alterius Monasterii, & sic in Monasteriis omnibus jurisdictionem exercent.* Cujus quidem privilegii *Urbani VIII.* authenticum ex autographo, quod est in Secreteria Brevium, monumentum exhibuit. Ex quibus concludit quod cum = *Abbas qui ordines contulit unus esset ex Abbatibus Benedictis, & de Gubernio, ut dicere solemus videtur quod EE. VV. ipsum absolvere possint a comminatis pœnis.*

Queritur *in I. Dubio* de nullitate collationis Ordinis minorum, idque ex duplici capite. *Primum* ex parte ordinati; qui ordines suscepit nondum confirmatus. *Secundum* ex parte Ordinantis, cum eos contulerit non Abbas *di Governo* Monasterii S. Mariæ *de Sagittario*, cui ordinatus erat subditus, sed alter ejusdem ordinis Abbas *S. Mariæ de Axilia*. Quod attinet ad defectum confirmationis dubitandi ratio deducitur ex Decreto Concilii Tridentini *sess.*23.*cap.*4. *de Reform.*, quo prohibetur, ne = *prima tonsura initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint* =, atque idcirco, dum Ordines Minores conferri nequeunt, nisi Tonsuratis, ex præcepto Ecclesiastico necessarium est, quod confirmatio ordines præcedat. Nam cum in ordinibus spiritualis conferatur potestas, decet laicum confirmari ante susceptionem ordinum, ut armatus chrismate contra invisibiles hostes validius commissam sibi potestatem exerceat, ut post *Can. Spiritus Sanctus de Consecrat. distinct.*5., observat *Fagnan. in cap. Cum contingat de ætat.*, *&* *qualit. num* 96. Quare qui ante susceptionem Ordinum omittit confirmationem, agit contra præceptum ecclesiasticum; & ideo invalida videri posset collatio Ordinum, cum irritum sit, quidquid contra legem gestum est ex regula Jurisconsulti *in leg.*59. *ff. de R. J.*

Verum tunc est collatio ordinum *invalida* cum ommittuntur ea, quæ de jure divino ad ejus validitatem requiruntur; *illicita* vero cum contra Ecclesiasticam disciplinam, & præcepta conferantur ut tradit *Reinffestuel. in Jus Canon. lib.*1. *Decret. Tit.*11. §. 3. *num.* 36. Ordines autem non requirunt caractherem confirmationis, sicut Baptismi ex necessitate Sacramenti, sed solum præcepti, & quidem ecclesiastici, ut notat *Piringh. in jus Can. Lib.*1. *tit.*11. §.3. *num.*20. Unde confirmatio præcedere debet ordines non ex præcepto divino, sed ex præcepto ecclesiastico, adeoque quamvis *illicite* conferantur ordines non confirmatis contra ecclesiasticam disciplinam, sunt nihilominus *validi*, nec reiterandi secundum Doctrinam *D. Thomæ in* 4. *distinct.* 24. *quæst.*1. *artic.*2., *Clericat. de Sacrament. Ord. cap.*3. *num.*10., *Piringh. loc. citat. num.* 20. *Schmalzgrueber. in Jus ecclesiastic. Tom.*1. *part.*3. *tit.*11. *num.*26.

Gravior tamen est difficultas super validitate ordinationis,

nis, ex eo quod expleta fuit non ab Abbate Monasterii, in quo Monachus professus est, sed ab alio Abbate ejusdem Ordinis de ejus mandato. Nam Abbates conferunt Ordines non *ex potestate ordinaria*; quæ inest solum Ordini Episcopali, quæque Episcopis quæritur post consecrationem, *Fagnan. in Cap. statuimus sub n.6. & Vagnerekin lib.5. tit.33. cap. Abbates 3. de privileg. & excess. privilegiat. pag.*918. Sed *ex privilegio*, quod Ecclesia eisdem concessit. Privilegia hujusmodi in corpore juris data sunt generatim Abbatibus præsbiteris benedictis *in Can. Quoniam distinct.69. & in cap. statuimus de supplend. negligen. Prælat.* Præterea conceduntur privilegia ex Indulto Sedis Apostolicæ Abbatibus etiam non benedictis, qui eodem jure ac qui sunt benedicti utuntur, ut constans Sententia est. *Tamburrin. de Jure Abbatum tom.*1. *disput.*11. *quæst.*3. *num.*3. *Barbos. Vot.*89. *num.*28. *Clericat. de Sacrament. Ordinis decis.*15. *num.*7. Utrisque Abbatibus non licet ex jure Decretalium *in Cap. Abbates de Privilegiis in* 6. = *aliis quam Monasteriorum suorum conversis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram.* Id quod a Concilio Tridentino cohibitum est *in sess.*23. *cap.*10. *de Reform.* in quo cavetur = *Abbatibus, & aliis quibuscumque quamtumvis exemptis non liceat imposterum intra fines alicujus Diecesis consistentibus etiamsi nullius Diecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre.*

Amplissima vero concessa sunt privilegia Abbatibus Cisterciensibus, quæ sedulo investigavit *Benedictus XIV. in adnotationibus* ab ipso factis (dum munus Secretarii hujus Sac. Congregationis fungeretur) in *Uratislavien.* 12. *Februarii* 1724. Hæc summa rei est: Præter facultatem eis concessam *in cap. statuimus de supplen. negligen. Prelat.* ex quo eis fas est conferendi primam tonsuram; ex indulto præterea *Eugenii IV. & Julii II.* fruuntur iisdem privilegiis, quibus Abbates S. Benedicti, & *Innocentius & Clemens VIII.* dederunt potestatem Abbati Generali Cistercensium & Vicariis Abbatibus ab eis subdelegatis, ut ceteros Abbates Cistercenses possent benedicere. Ex quibus factum est ut in allegata *Uratislavien.* Sac. Congregatio probaverit collationem Ordinum Minorum ab Abbate Cistercense factam,

etiam licet ab Episcopo non benedicto, & rescripsit, quod Episcopus Ordines Sacros conferre teneretur. In casu vero proposito Procurator Generalis Cistercensium affirmat Abbatem *S. Mariæ de Axilia* qui ordines contulit esse = *unum ex benedictis*, *seu di Governo* = neque id Episcopus Anglonensis in dubium adducit.

Quibus præmissis duo ab EE. VV. deliberanda supersunt; scilicet utrum ab illo Abbate collatio facta sit ei, qui suus subditus esset; Utrum collatio Ordinum sit invalida; quatenus comperiatur quod *Ordinatus* subditus non sit *Ordinanti*. Nam privilegia quæcumque Abbatibus concessa coercentur ex Decreto Tridentino ad subditos regulares, ut notat *Benedict. XIV. de Synod. Dieces. Lib.2. cap.11. num.10.* Ex facto vero constat, quod Aloysius Ronchi professionem emisit in Monasterio S. Mariæ *de Sagittario*. Quod si ex professione religiosa oritur subjectio *Tamburrin. de Iur. Abbat. disput.1. quæst.2. num.2.*, certe Ronchus subiiciebatur Monasterio S. Mariæ *de Sagittario*, ejusque Abbati, qui regimen habebat. Id quod ex facto ipsius Abbatis declaratum est. Is enim pretenus mandavit altero Abbati S. Mariæ *de Axilia*, ut ordines suo Monaco subdito conferret. Quare Monachus subiiciebatur Abbati *S. Mariæ de Sagittario*, si hic eum dimisit Abbati *S. Mariæ de Axilia*, qui non sua, sed mandata jurisdictione usus, ordines contulit.

Verum Procurator Generalis ex Breve *Urbani VIII. anni* 1633. contendit, quod in Provincia Cistercensi Calabriæ & Lucaniæ singuli Abbates, qui de quinquennio in quinquennium Monasteria moderantur, habeant jurisdictionem supra omnes Monachos in quibuscumque Monasteriis commorantes. Nam Summus ille Pontifex jussit, *quod omnia hujusmodi Monasteria, illorumque Superiores, Monachi, Religiosi, conversi, novitii, servientes, oblati, familiares, aliæque personæ quæcumque, nec non omnia illorum bona, res jura, proprietates, membra adnexa, & dependentia, & pertinentia sint communia, & tamquam unum inter se corpus ad dictam Congregationem immediate spectent. Monachusque ex uno dd. Monasteriorum professus tamquam in omnibus professus habeatur*. Præ sua Sapientia videant EE. PP. num hæc interpretari debeant, ut singuli Abbates *cumulativam* habeant juris-

risdictionem in singula Monasteria, seu potius *distributivam*, ut si Monachus a Monasterio in quo professionem emisit, ad aliud transierit, tum subiiciatur Abbati in cujus Cœnobio domicilium fixit.

Quatenus vero Abbas S. Mariæ *de Arilia* contulisse censeatur Ordines Monacho non subdito contra decretum Tridentinum, inquirendum insuper est, num ordinatio sit invalida. Inter dissidentes Canonistarum Sententias hanc regulam statuit *Benedictus XIV. de Synod. Dieces. lib. 2. cap. 11. num. 13.* = ibi = *Aut Abbas nullo fruitur privilegio conferendi primam tonsuram, & minores ordines, aut privilegio potitur illos conferendi certo personarum generi. Si primum nec licite, nec valide potest quemquam ad primam tonsuram, minoresque Ordines promovere: Si alterum illicite profecto, attamen valide primam tonsuram, minoresque Ordines confert etiam illis, qui cæteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas* = Nam ut advertit *Fagnan. in cap. statuimus de supplen. negligen. Prælat. num. 21.* = *In privilegio seu commissione conferendi Ordines duo implicite continentur, videlicet nuda & simplex potestas ordinandi, & jurisdictio restricta & limitata ad personas designatas. At ex limitatione jurisdictionis non infertur ad limitationem prædictæ potestatis*.

Sæpe alias controversiæ hujusmodi delatæ fuerunt ad Sac. Congregationem cujus resolutiones ad rem hic subiiciuntur *in Cremonen.* 13. *Junii* 1591. Sac. Congregatio censuit I. *Abbatem ex Privilegio Pii V. facultatem habentem ea omnia faciendi, quæ facere potest Abbas Benedictus, qui de mandato Vicarii Apostolici quibusdam Secularibus non sibi, sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram, & Ordines Minores contulit, contravenisse Concilio, & Constitutioni san. mem. Sixti V.* II. *Caractherem tamen Ordinis impressisse*, III. *tam Ordinantem, quam ordinatum incidisse in pœnas sa. me. Sixti V. lib. 7. decret. pag. 15.*

In *Libro* 13. *Decret. pag.* 169. hæc recensentur sub die 11. *Maii* 1724. *Sac. Congreg. alias censuit Secularem tonsuratum ab Abbate Benedicto, vel habente privilegium ut possit, ea omia quæ potest Abbas Benedictus, quamvis ab eo non debuerit ordinari, ob ademptam sibi a Concilio Seculares ordinandi facultatem, recepisse tamen*

inem caracthere m, secus si Abbas non esset Benedictus, vel tale privilegium non haberet.

In Catanien. 15. *Februarii* 1642. decretum fuit, *quod jam ordinatos ab hujusmodi Abbatibus cum litteris dimissorialibus Ordinariorum ad primam Tonsuram, & Ordines minores facto verbo cum SSmo esse absolvendos a quibuscumque pœnis incursis, & convalidandos esse Ordines eisdem collatos. Die* 24. *Martii* 1642. *facta relatione Sanctissimo Sanctitas Sua jussit edi decretum & convalidavit Ordinationes huc usque factas lib.* 17. *Decret. pag.*1.

In Conimbricen. 26. *Junii* 1655. dubium erat = *An Abbates Congregationis S. Bernardi, & Benedicti conferre potuerint Ordines Minores Regularibus sibi non subditis, nec non Secularibus habentibus litteras dimissorias suorum Superiorum?* Sacra vero Congregatio respondit fieri id minime potuisse, sed addidit = *Promotos non indigere alia collatione dictorum Ordinum, sed absolutione, & rehabilitatione a SSmo obtinenda lib.* 19. *Decret. pag.*484.

In Panormitana Collationis Ordinum 16. *Martii* 1647. cum quæsitum fuisset. *An ordines Minores per Abbatem Regularem non benedictum collati non suis subditis sint validi, si Abbas habeat privilegium conferendi illos suis subditis* = Responsum prodiit = *Collationem Ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus factam si fuerit de Ordinibus etiam minoribus, & dictus Abbas non benedictus* non *habeat privilegium Apostolicum, Ordines collatos remanere invalidos, & Ordinatos indigere alia ordinatione; Si vero Abbas non benedictus habeat dictum Privilegium, & ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, Ordinatos non indigere alia ordinatione, sed solummodo absolutione, & rehabilitatione a Sede Apostolica Lib.* 18. *Decret. pag.* 311.

Et in Lucana 19. *Martii* 1726. in qua agebatur de collatione Ordinum facta ab Abbate S. Barbaræ Civitatis Mantuæ cuidam Clerico, qui non comprehendebatur in privilegio eidem Abbati concesso, ad propositum dubium. *An & quomodo sit providendum in casu &c.* Sac. Congregatio rescripsit = *Pro relaxatione suspensionis arbitrio Episcopi Lucani* =

Quam-

Quamquam his contrarium esse videatur *Dubium Sac. Congregationis Concilii* resolutum a Sac. Rota *coram Seraphino decis.* 985. quo declaratum est, non posse Abbates, qui privilegio fruuntur conferendi Ordines minores, illud exercere super Clericis Secularibus licet Ordinarii *dimissoriis* suffultis, attamen ex cujusmodi responso non declaratur, quod si nihilominus Abbates ordinationes in non subditos contulerint, omnino sint invalidę. Parimodo S. Congregatio *in una Congregationis Olivetanæ* 20. *Septembris* 1788. invalidam declaravit ordinationem ab Abbate factam in Monachum non subditum. Sed agebatur de Abbate, qui Abbatiam in manibus Summi Pontificis resignaverat, & interinum regimen Monasterii exercebat.

Sive autem invalida, sive illicita declaretur ordinatio de qua agitur erit statuendum ab EE. VV. quomodo consulendum sit tam Ordinanti, & Ordinato, tum etiam Abbati dimittenti. De his qnæritur in II. Dubio. Ex eo enim quod ordines collati fuerint Monacho non confirmato, non idcirco vel ordinatus, vel dimittens, vel ordinans in suspensionem, vel irregularitatem inciderunt. Nam nullo juris loco ob omissionem confirmationis ante suscipiendos ordines interminatur pæna suspensionis, aut irregularitatis, ut observant DD. allegati *in Superiori* §. *Verum*, qui concludunt in culpa esse veniali, vel lethali, ordines omissa confirmatione suscipientes, vel ministrantes, prout bona vel mala fides in hac ommissione intercesserit, & necessariam esse rehabilitationem Sedis Apostolicæ, ut ordinatus ad majores ordines possit ascendere, ut docte *Fagnanus in Cap. Cum contingat num.* 96. *de ætate, & qualitat:* Quatenus vero illicita saltem sit collatio Ordinum ab Abbate non subdito facta, certe Ordinans, & ordinatus si ministrarunt, in pænas suspensionis, & irregularitatis inciderunt *ex Constitutione Sixti V.* ut opus eis sit absolutione dispensatione, & rehabilitatione. Verum S. Congregatio veniam pronius dedit, quando aliqua adest bona fides & nulla subeat de dolo suspicio, ut videre est in superius *allegat Resolutionibus* quibus addi possunt aliæ, & præcipue *in Papien.* 5. *Octobris* 1598., & in *citat. Congregationis Olivetanæ* 20. *Septembris* 1788. *ad II. Dub.*

Duo proponuntur Dubia.

I. *An constet de nullitate Ordinationis, itaut sit reiteranda in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione ab irregularitate quatenus ministraverint in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative quoad omnes, & quoad Ordinatum prævia collatione Sacramenti Confirmationis.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

SUTRINA CAPPELLANIÆ Canonicus Lutius Fioravanti hæredem sibi scripsit erigendam ex asse Cappellaniam ad aram D. Josephi in Ecclesia S. Marię Novellæ PP. Agostinianorum Oppidi Brachiani. Hæc autem Cappellania esse debebat = *Sempre manuale, e mera laicale, ne possa in alcun tempo ridursi a beneficio semplice, ne sia capace di veruna affezzione o riserva, ne vi possa aquistar mai jus alcuno il Vescovo, o Dataria Apostolica*; Cappellanum vero jussit esse = *Sempre amovibile a mero, e libero arbitrio, e beneplacito di chi pro tempore goderà il Jus di nominare* = Cui quidem Cappellano injunxit, ut *per se vel per alium* quotannis celebraret *centum, & quatuor Missas* assignata in singulas eleemosina obolorum triginta quinque = *ed in caso che il fruttato della sudetta mia Eredità sia di più o di meno, che si diminuisca, o accresca il peso di altre messe alla ragione di giuli trè, e mezzo l'una*. Ita vero de jure patronatus activo, & passivo disposuit = *la nomina . . . spetti, e resti sempre, ed in perpetuo nella linea mascolina de' miei parenti più prossimi, e discendenti da me sottoscritto, ed in mancanza della linea Mascolina succeda la linea Femminina, ed essendovi un Sacerdote si nella linea Mascolina, che Femminina debba sempre questo esser preferito a tutti gl'altri che non saranno Sacerdoti nella nomina a detta Cappellania*; demumque in primum Cappellanum nominavit Sacerdotem Josephum de Sanctis.

Quamquam *ab anno* 1781. Cappellania vacaverit, attamen Patroni a nominatione consulto se abstinuerunt, pro-

propterea quod reditus Cappellaniæ adimpletis oneribus erogati fuerunt in alendum Camillum Palocci Patronum, qui insania erat captus. Hoc defuncto cum juspatronatus coaluerit in Sorores Palocci, quæ sunt in linea feminina Fundatori proximiori, sane inter has non convenit de persona in Cappellanum nominanda. Nam Maria, & Barbara præsentarunt Sacerdotem Bartholomeum de Alexandris prorsus extraneum. Anna vero quæ nupta est in Familia Mazzani nominavit filium suum Thomam Mazzani, cui accessit altera soror Lucia, item altera soror Monialis, quæ professionem emiserat. In hac presentationum discrepantia Presbyter Alexandri supplicavit SSmo, ut tamquam Præsbyter, & nominatus a medietate vocum Patronalium Cappellaniam obtineret. Preces S. Congregationi remissæ fuere. Hinc Thomas, sive ejus Pater Aloysius Mazzani deprecati sunt a S. Congregatione, ut quatenus Thomas qui nunc octennis est, consequi neqneat Cappellaniam, saltem ejusdem nominatio suspendatur, quoad ipse Præsbyter fieri possit, & interea fructus superextantes impletis oneribus eidem tribuantur, ut studiis vacare possit. Interrogatus Episcopus jura utriusque Supplicantis exponit = *Dubium* (inquit) *non est quia desint Sacerdotes, & Clerici ex linea masculina, & feminina contemplata a Testatore. Sacerdos de Alexandris est prorsus extraneus. Thomas vero Mazzani licet ex linea feminina descendat, in puerili ætate octo annorum est constitutus, nec clericali tonsura insignitus; & quamquam hic a majori patronorum parte fuerit nominatus, contendit tamen prædictus Sacerdos de Alexandris vocem Sororis Monialis minime esse attendendam, proindeque se in paritate vocum esse præferendum. De paupertate porro familiæ prædicti adolescentuli Thomæ non est ambigendum, cujus paupertatis, & simul propinquitatis familiæ Testatoris si rationem habendam esse EE. VV. existimaverint, posset tempus fruendi Cappellaniæ reditibus constitui usque ad annum vigesimum quintum, cum in eo valeat ad præsbyteratum ascendere. Ad quem tamen cum modo per ætatem agnosci nequeat dispositio, posset idcirco lex adiici, ut duodecimum Adolescens Thomas annum attingens vocationem suam, atque dispositionem ad S. Ordines explorare teneatur in aliquo collegio, aut Seminario diœcesano, cum ejusdem Cappellaniæ reditus ad*

summam scutorum circiter 105. ascendentes id fieri posse permittant.

Duo precipue inquirenda sunt; scilicet utrum Cappellania sit laicalis & ex fundatione sit qualificatus puer Mazzani. Nam si agitur de relicto laicali, tunc illud consequi possunt etiam pueri immo infantes licet non tonsurati, ut notat, *Rigant. ad Reg. 38. Cancell. n. 54.* & definivit *S. Congregatio in Urbevetana 12. Decembris* 1784. Si vero Thomas est ex fundatione qualificatus, tum contendere potest ad Capellaniam, licet a medietate vocum patronalium nominatus, cum ei satis sit obliqua nominatio, quæ ex fundatione derivat, ut firmat *Rota in Baren. Beneficii 3. Martii* 1758. §. 4. *coram cl. me. Card. Paracciano*, *& in Imolen. Beneficii 17. Junii* 1791. *coram R. P. D. Gardoqui*. Contra vero si Cappellania est Ecclesiastica, nec Thomas passivam habeat vocationem, tum in paritate suffragiorum prerogativam obtinere debet Presbyter de Alexandris, cum Sacerdos actu cæteris paribus vincat laicos, & Clericos ex dignitate Ordinis *Cap. Statuimus de Majorat. & obed.*, *Fargna de jure patronat. part. 2. Can. 11. cas. 6. num. 1.*, *& S. Congregatio in Cesenaten. Beneficii 17. Septembris* 1768.

Quod attinet ad qualitatem Cappellaniæ, certe quidem Testator Sacerdotem nominavit in primum Cappellanum. Quare videri potest quod Cappellania laicalis dici possit quoad *nominantes*, & quodammodo ecclesiastica respectu *nominandi* ut probare contendit *Cæs. de Grass. decis. 114. de præbend. per tot.*, eamque propterea retinere nequirent laici, ut censuit S. Congregatio in *Beatina Cappellania 9. Februarii* 1715., *in Romana 28. Septembris* 1727., *& in Civitatis Castelli Cappellaniæ 22. Novembris* 1794. Verum plura suadere videntur qualitatem laicalem Capellanię. Deficit primum erectio ecclesiastica authoritate Ordinarii expleta, qua deficiente non assumunt Cappellaniæ naturam beneficii Ecclesiastici *Gloss. in Clem. 2. Verb. Si beneficiorum de Decim.*, *Lotter. de re benefic. Lib. 1. quæst. 5. num. 40.*, *Rot. in Ariminen. Cappellaniarum 15. Aprilis* 1793. §. 7. *coram R̃mo de Bayane*. Obstat preterea qualitati ecclesiastice voluntas Testatoris, qui expresse jussit = *una Cappellania mera laicale, ne possa ridursi in alcun tempo a beneficio semplice, ne sia capace di veruna affezzione, o riserva, ne vi possa*

aqui-

aquistar jus alcuno il Vescovo o Dateria Apostolica; praeterea declaravit = *il Capellano sempre amovibile*, tandemque concessit, ut onus missarum etiam *per alium* impleri posset. Quae omnia, ut adversantur beneficio Ecclesiastico, ita evincunt Capellaniam habendam esse tamquam laicalem, ut late *Piton. Discept. Ecclesiastic.* 17. *num.* 18.

Ad alterum vero quod spectat scilicet ad passivam vocationem prælatio quidem passive vocatis ex littera fundationis data videtur solumodo Sacerdotibus ex linea masculina, & fæminina familię Fioravanti. Nam Testator jussit = *essendovi un Sacerdote si nella linea mascolina, che femminina debba questo esser preferito a tutti gl'altri, che non saranno Sacerdoti nella nomina a detta Cappellania*. Sed si Sacerdotes ex Familia prælationem obtinere debent supra cæteros, qui Sacerdotes non sunt, manifesta videtur mens fundatoris, ut si non adessent præsbiteri descendentes, tum reliqui de Familia Cappellaniam consequerentur. Nam exclusio in uno casu, argumento ducto à contrario sensu est inclusio in ceteris casibus non expressis, *Rota in Romana Fideicommissi* 23. *Junii* 1786. §. 7. *coram R.P.D. Cesarei*.

Quatenus vero Cappellania adjudicanda non sit Thomæ Mazzani, tunc ipse deprecatur suspensionem nominationis quoad ipse major factus ad Ordines promoveri poterit. Obesse videtur petitæ gratiæ prejudicium quod inferretur Præsbitero de Alexandris, qui jus quæsivit ad Cappellaniam statim ac a medietate vocum patronalium præsentatus est. Suspensio vero nominationis in prejudicium tertii concedi non solet *Card. de Luc. de Jurpatronat. Discur.* 71., *Monacel. in Formul.* 7. *in supplem. ad Tom.* 3. *tit.* 2. *num.* 109. *pag.* 144. Ponderandum tamen est ab EE. VV. quod Thomas ex linea feminina Fundatoris descendit, & ideo inter Patronos recensetur. Nam juspatronatus relictum est = *nella linea mascolina de miei parenti più prossimi ed in mancanza della linea mascolina succeda la linea femminina*. In his porro terminis patronatus cum sit gentilitius, in singula descendentium capita defertur *Rota in Gerunden. Beneficii* 4. *Aprilis* 1753. §. 12. *coram Canilliac*. Si igitur Thomas est patronus, & summa paupertate laborat, tum non desunt exempla hujusmodi suspensionis concessæ etiam conjuga-

tis

tis in levamen indigentis patroni *in Aurimana Cappellaniæ 22. Martii 1755, eademque 15. Decemb. 1787. & in Lauretana Cappellaniæ 23. Januarii 1796.*

Ex his deliberandum proponitur:

An, & cui debeatur Cappellania Fioravanti, seu potius sit consulendum SSmo pro suspensione nominationis in casu &c.

Affirmative favore Thomæ Mazzani.

Sess.22.Cap.6. de Reform.

VINTIMILIEN. REDUCTIONIS Carolus Franciscus Fenoglio *anno* 1678. testamento legavit decem Loca Montium Cameralia in fundum Missae quotidianæ, jubens preterea, ut quatenus *li suddetti 10. LL. di Monte fossero estinti o tutti, o in parte, in tal caso obbligo, e voglio, che detti miei Eredi restino obbligati di nuovo a collocarli in luogo canto, e sicuro, e trattanto durerà tal collocazione da farsi, resteranno tenuti pagare del proprio tal reddito pagava li Monti non intendendo, ne voglio, che patisca la celebrazione della Messa quotidiana*. Defuncto Testatore sex ex dictis Locis Montium extracta fuere restitutis scutis centum in singula loca. Illico, qui hæredes erant Fundatoris, scuta hæc sexcentum ab extinctione retracta, in alia Loca cameralia collocarunt, sed vix LL. 4. 70. centes. comparare potuerunt. Qua ex re cum fundus celebrationi Missarum destinatus imminutus esset, facile Cappellanus anno 1781. reductionem ab Episcopo exoravit, ita ut tot Missæ celebrari deberent quot ex fructibus responderent elemosinæ solidorum quatuordecim monetæ Genuæ, ea adjecta conditione, ut Missarum numerus augeretur, si fructus accrescerent. At fructus ob publica rerum discrimina primum integre cessarunt, nunc summo opitulante Principe ex parte solvuntur. Quare Hieronimus Fenoglio, qui nunc simul Patronus, & Cappellanus est novam reductionem implorat. Vicarius Capitularis exposita confirmans refert *annuum redituum Cappellaniæ totum consistere in LL. Montium. Eleimosina manualis in solidis sexdecim monetæ Genuæ taxata fuit, quam quidem in presenti auctam potius, quam*

quam diminutam censeo . Statim ac fructus LL. Montium insoluti remanserunt , celebratio etiam suspensa remansit , & an sint , qui attentis peculiaribus circumstantiis ad supplementum teneantur , perpendere poterunt EE. VV. ex particula fundationis .

Quamquam post semel ab Episcopo impetratam reductionem egrius nova reductio concedatur ad ea quae passim tradidit S. Congregatio , & praecipue *in Interamnen. Reductionis Missarum* 30. *Augusti* 1788. , attamen cum fructus LL. Montium a quadriennio omnino cessaverint,qui nunc nonnisi in duplici quinta parte exiguntur , sequitur , ut deficiente congruo reditu reductio missarum concedenda sit , nisi adsit , qui teneatur ad supplendos fructus imminutos. Sane ex testamento dubium oriri potest , num hæredes Fundatoris compelli possent ad supplementum . Nam jussit , ut si Loca Montium pro fundo Cappellaniæ assignata = *fossero estinti o tutti , o in parte* = hæredes tenerentur = *pagare del proprio tal reddito pagava li Monti non intendendo , ne voglio patisca la celebrazione della Messa quotidiana* = Quare hæc finalis dispositio late patere videtur ad omnes casus , quibus celebratio missæ quotidianæ imminui poterat,ut post *Text. in* §. *Diponat Novell,* 110. docet *Rota decis.* 64. *part.* 19. *Recen.*

Verum præ oculis habeant EE. VV. quod Testator ita concepit dispositionem suam = *lascio , e lego per legato Luoghi dieci Monti di Roma per mercede d'una Messa quotidiana* = Incipit ergo a fundo , & inde pergit ad onus,ut proinde fundus stet *taxative* , eoque tradito a supplemento hæres liberatur secundum theoricam *Felin. in Cap. super Literis de Rescriptis* quam exornat *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. ultim.* §. 32. Ponderandum quoque est,quod Fundator injunxit *l'obbligo alli sudetti miei Eredi sempre venisse l' occasione che li sudetti Luoghi di Monte fossero estinti o tutti o parte in tal caso voglio , che d. miei Eredi restino obbligati di nuovo a collocarli in luogo cauto , e sicuro .* Quo loci non omittendum , quod labente sæculo decimo septimo (anno siquidem 1672. testamentum scriptum est) a Camera Apostolica extrahebanturLL. Montium , ut pretium restitueretur.Quare id significasse Testatorem patet ex eo , quod jussit hæredibus= *di nuovo a collocarli in luogo cauto , e sicuro* = Aliter enim hæredes non possent *di nuovo collocarli* = nisi pre-

pretium accepissent. Hinc sequitur, quod dum Fundator dixit *estinti o tutti o parte* intellexit de extractione, & restitutione pretii, non de suspensione fructuum, cum non posset prævidere, ea quæ nostris temporibus evenerunt; ac proinde cogendi non videntur heredes ad supplementum, cum huic oneri subjectos fuisse constet, si neglexissent collocationem restituti pretii extractorum LL. Montium = *e frattanto durerà tal collocazione da farsi resteranno tenuti pagare del proprio tal redito non intendendo, ne voglio che patisca la celebrazione della Messa.* Unde cum hæc non videatur dispositio generalis, sed peculiaris, extendenda non est ultra casum expressum ad *Text. in Leg. 49. ff. de R. J. Rota in Romana Fideicomissi* 13. *Junii* 1794. *§. final. cor. bo. me. Priolo*.

Quoad *modum*, quo hæc reductio concedi posset, certe quidem ab *anno* 1781., quo primum locum habuit reductio, Missæ celebratæ fuerunt cum ælemosina solidorum quatuordecim Januensium. Nunc elemosina manualis excrevit ad solidos sexdecim. Quamquam vero agatur de onere perpetuo, ita ut non nisi ad taxam perpetuæ impleri debeat, attamen cum reductio expetita sit post implementum, ea fieri posse videtur ad taxam *manualis* veluti *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., & *in Sigina* 29. *Novembris* 1788. *ad III. Dubium*.

Hinc deliberandum erit.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Affirmative ad Manualem.

Sess.22.Cap.6. de Reform.

NARNIEN. CANONICATUS. Postremis testamenti tabulis anno 1796. scriptis Nicolaus Massoli legavit = *scudi mille in un censo di tal somma per eriggere un Canonicato in detta mia Parrochia* (quæ erat Colleggiata Ecclesia S. Michaelis Arcangeli Oppidi Stronconii) *con obbligo di tre Messe la Settimana, e voglio che ritirandosi detto Censo, non possa il Canonico ritenere il denaro, ma si debba depositare sotto pena di caducità, e per questo nomino D. Francesco Massoli mio Nepote* = Hæc alia præterea reliquit legata; scilicet = *Item lascio scu-*

scudi 100. alla Collegiata di S. Michele per quattro legati con il Notturno . , . . lascio altri scudi 36. per due Offizi per l'anima mia = Item lascio scudi 25. alla Cappella di S. Francesco di Paola di sei Messe da celebrarsi il giorno della Festa = Item lascio altri scudi venticinque alla Madonna SSma del Confalone coll' obbligo delle Messe da celebrarsi il giorno dell' Assunzione = Item lascio scudi 25. all' Oratorio di S. Filippo coll' obbligo di Messe sei da celebrarsi il giorno della Festa = Item lascio alla Chiesa di S. Eugenio scudi sessanta per celebrarvi la Messa le Feste in tempi d' Inverno , e d' Estate. Ex quibus legatis annua Sacra 96. celebrari debebant, & præstanda erant pro fundis *scuta* 285. ab Octavio , & Hyacinto Massoli Testatoris Nepotibus , & heredibus institutis.

Plures in Inventario post Testatoris obitum confecto adnotati leguntur census qui in unum collecti attingunt summam scut. 2202. 83. Inter hos principem obtinet locum Census in sorte scutorum 1000. cujus debitor erat Joannes Baptista Giovannelli . Hic die 15. Martii 1798. nulla præmissa per duos Menses ante denonciatione, ut fert Bulla Piana , sortem census obtulit Fratribus Massoli in tesseris nummariis non excedentibus summam scutorum 50. , & isti incunctanter eam acceptam tulerunt , censumque retrovenderunt . Vix decem interpositis diebus abrogatæ fuerunt Schedæ papyraceæ supra valorem *scut.* 35. , ita ut asserunt Fratres Massoli , ex restituta sorte scutorum 1000. periisse *scuta* 680. , & residualem summam *scut.* 320. ab iisdem collocatam fuisse in novum Censum cum Communitate *Stronconii* . Rati igitur hæredes , quod legatum pro erectione Canonicatus esset *taxativum* in hoc censu ex parte perempto neglexerunt hactenus Canonicatus erectionem . Siluerunt Canonici Collegiatæ S. Michaelis inter publicam rerum omnium perturbationem . Restituta veteri disciplina cum vigilantissimus Narniensis Antistes in S. Visitatione compulisset Fratres Massoli ad hanc erectionem faciendam , isti a S. Congregatione deprecati sunt ut , quoniam census ille erat in parte peremptus , & quæ supererant scuta 320. satis esse non poterant ad implendum onus Canonicatui adnexum trium missarum in singulas hebdomadas , ita hæc summa conjuncta cum aliis scutis 285. pro aliis legatis Missarum superius expressis

converteretur in fundum Capellaniae, Canonicatus loco, erigendae cum onere omnium Missarum tum Canonicatui, quam respectivis legatis praedictis adjecto.

Interrogatus est Episcopus, qui acriter commutationi repugnans sedulo exponit rationes inferius recensendas, ex quibus concludit *essem in sensu, quòd omnino juxta mentem testatoris sit deveniendum ad erectionem Canonicatus, quodque pro hujusmodi effectu assignandi sint ex hæreditate ejusdem Fundatoris unus, vel plures census qui cum illo scutorum 320. jam investito summam conflent scutorum* 1000. *a Testatore designatam* = Quare rejecta est instantia Fratrum Massoli per Rescriptum *diei* 13. *Septembris* 1800. = *Servandam esse Testatoris dispositionem* = Illis tamen reclamantibus maturiori examini res commissa est *in Folio*, & Episcopo injunctum, ut prefigeret terminum unius Mensis Canonicis, qui jura sua deducerent. Hæc remissa sunt in scriptis, & Canonici summa angustia pressi, cum non habeant, unde sumptus ad causam pertractandam suppeditent, postulant ab EE.VV. ut dignentur ponderare ea, quæ mihi exposita sunt, quæque inferius recenseam.

Modis omnibus servandas esse Defunctorum voluntates jubet D. Gregorius *in Can. ultima voluntas quæst.* 13.; nec remota justa, & necessaria causa indulgendæ sunt commutationes voluntatum ut ad prescriptum SS. Concilii *Tridentini Sess.* 22. *Cap.* 6. *de Reform.* semper tenuit S. Congregatio, ut videre est *in Romana Commutationis Voluntatis* 27. *Junii* 1786., *& alibi passim*: Fratres Massoli commutandæ voluntatis causam ex eo repetunt, quod census taxative pro Canonicatu erigendo legatus ex parte peremptus sit, ita ut quod superest erectioni canonicatus sit impar injunctis omnibus sustinendis oneribus. Duo itaque inquirenda: Utrum assignatio fundi fuerit taxativa, ut peremptio cedat damno legatarii, & utrum fundus perierit sine culpa Fratrum Massoli. Nam si fundus non est taxativus; vel ille peremptus sit culpa hæredum, tum isti ad supplementum tenentur sive ex presumpta voluntate Testatoris, sive loco damnorum ad notata per *Benedict. XIV. de Sinod. Diœces. lib.* 13. *Cap. ultim. n.* 32. *Rota decis.* 456. *num.* 34. *cor. Merlino*, adeoque servanda esset voluntas, nec commutatio esset concedenda.

Ajun

Ajunt Fratres Massoli pro fundo Canonicatus relictum esse censum in parte deperditum. Nam testator legavit = *lascio scudi mille in un censo di tal somma per eriggere un canonicato* = Quamquam enim legata sit quantitas in genere, scilicet *scudi mille*; attamen cum adiecta sit species = *in un censo di tal somma* = , & in hereditate unus repertus sit census hujus summæ; videtur legatam quantitatem cohibitam ad speciem adjectam, & ad censum scutorum mille hæreditarium. Semper enim species adjecta derogat generi superius expressii *Leg. Sanctio legum* 41. *ff. de pœn. Leg. in toto* 80. *ff. de R. J.* & præcipue species restringit genus, quoties utrumque conjunctim exprimitur in eadem oratione, ut unum ad alterum referatur ut post *Tex. in L. Quæsitum* 78. §. 1. *ff. de legat.* 3. concinne explicat *Averan. Interpret. Jur. lib.* 3. *Cap.* 24. *num.* 11. Hinc deducunt quod Fundus pro Cappellania legatus sit Census Giovannelli, cumque dispositio a fundo incipiat, & deinde ad onus pergat, fundus taxative legatus videatur juxta theoricam Fellini *in Cap. super Litteris de Rescript.* Negant porro quod eorum culpa census perierit. Quamquam enim ultro a debitore sortem acceperint, attamen nisi id fecissent, debitor eosdem compellere posset judicis imperio. Nam quoties Debitor solvit fructus per duos menses decurrendos, potest sine disdicta, & in ipso temporis momento censum redimere cum a jure sit, ut quod debet quis certa die, statim solvere queat §. *In diem. Instit. de verb. obligat. L. Quod certa die* 70. *ff. de verb. obligat.*

Negant contra Canonici, quod pro Cappellania erigenda legatus sit fundus Giovanelli. Nam legata est quantitas = *lascio scudi* 1000. = & quamquam additum sit *in un censo di tal somma*, attamen non expressit Testator, quod esse deberet Census Giovanelli, qui ex parte peremptus est. Quare hæc adjectio accipienda est tamquam modus, quo facienda erat solutio quantitatis; itaut ante traditionem, census non perierit damno legatarii, sed ipsius hæredis, cum eadem quantitas etiam nunc tradi possit ex aliis Censibus, qui salvi ex hæreditate supersunt. Legata autem quantitate fundus semper *demonstrative* relictus fuisse videtur, & hæredes ad supplementum tenentur, ut limitat *Benedictus XIV. loco citat. num.* 33., & statuit *Sac. Congregatio in Brixien.* 1. *Decembris* 1685. Ajunt

 præ-

præterea Canonici, quod culpa Fratrum Massoli evenerit deperitio fundi. Nam ex Constitutione Piana disdicta ante duos menses facienda est in commodum Creditoris, adeoque hoc invito non licet Debitori solvere ante præscriptam diem *Donell. Comment. de Jur. Civil. Lib. 6. Cap. 11. num. 3.* Hinc Fratres Massoli non procul a culpa sponte retroventionem Census fecerunt, quam poterant recusare duplici ex capite; *Primo* quia ex Constitutione Piana necessaria est disdicta *per duos menses ante*, nec potest debitor cogere venditorem ad retroventionem, nisi elapso bimestre *Cenc. de Censibus quæst. 103. num. 18. & seq.*, *Antonell. de tempore legal. lib. 3. Cap. 3. numer. 5.*, *Salgad. Laberint. Credit. lib. 2. cap. 29. num. 23.*, *Rota post Cenc. de Censib. decis. 508. num. 11.* *Secundo* ex rumore mutationis monetæ; cum enim ad retroventionem ineundam offerentur Schedæ papyraceæ deterioris valoris, & quarum imminebat demonetatio, ideo à Creditoribus sive ab ipsis fratribus Massoli omni jure poterant recusari, ut post *Text. in leg. Eleganter §. Qui reprobos ff. de Pignorat. Action.*, docet *Rota decis. 67. num. 10. cor. Ansaldo*. Quare licet judex depositum jussisset, nihilominus superventus cedularum interitus cessisset damno debitoris, non Creditoris, qui justa causa reprobos nummos accipere recusaset.

Ex his dignentur EE. VV. deliberare.

An & quomodo sit locus commutationi voluntatis, seu potius sit exequenda dispositio Nicolai Massoli in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

NULLIUS, SEU S. LAURENTII IN CAMPO DEMOLITIONIS ORATORII, ET TRANSLATIONIS ONERUM. Publicum, sed parvum Oratorium Sodalitatis SSmæ Conceptionis situm inter Abbatialem, & Parochialem Ecclesiam S. Laurentii in Campo ruinosum est ita, ut ex intrinseco vitio Parietum reparari nullo modo possit, nisi solo æquatum, denuo a fundamentis extruatur. Ita retulere duo Periti, quorum alter a Confratribus, alter ab Abbate Commendatario electus fuit. Uterque præterea æstima-

mavit expensam ad novam constructionem necessariam scut. 150. ultra pretium, ex diruendis cæmentis retrahendum. Quibus impensis pares non sunt Societatis reditus, qui calculantur in annuis scutis 32. 46., ex quibus deductis oneribus *in scut.* 27. 44. supersunt annua *scuta* 5. 2., & præterea largitiones Fidelium, quæ obveniunt in annuis circiter scutis 12.

His de causis Confratres in comitiis habitis die 4. *Octobris* 1801. cunctis Suffragiis Oratorium transferre statuerunt una cum oneribus, & legatis in annuis Missis 102. ad Cappellam S. Demetrii Abbatialis Ecclesiæ, quam instaurandam deliberarunt ex pretio *cæmentorum* demoliendi Oratorii. Preces in id primum obtulerunt Emo Abbati Commendatario, qui consensum præstitit, dummodo Confratres ad restaurationem Cappellæ S. Demetrii tenerentur. Nunc igitur Confratres utramque veniam ab Emis Vestris postulant demoliendi Oratorii, & transferendi Societatis onera ad prædictam S. Demetrii Cappellam. Atque Emus Abbas narrata confirmans censet *rescribendum esse pro gratia petitæ demolitionis, & profanationis memoratæ Ecclesiæ SSmæ Conceptionis, necnon pro gratia translationis Societatis una cum omnibus onoribus, oneribus, & legatis Missarum ad descriptam Cappellam S. Demetrii Martyris iis potissimum motus rationibus* = quæ erunt inferius recensendæ.

Concilium Tridentinum licet reparationem commendet Ecclesiarum = *ne ea, quæ sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant, & ex hominum memoria excidant* =, ubi tamen pares non sint illarum reditus demolitionem permittit *cum facultate Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi* = quæ sancita sunt *in sess.* 21. *cap.* 7. *de Reformat.*. Quæstio igitur est facti, utrum Societas habeat, unde reparationi Oratorii prospiciat. Sane ex oblatis calculis constat, quod ex reditibus certis Sodalitati supersunt annua scuta 5. 2., & præterea habet eleemosynas quæ attingunt quotannis *scuta* 12. Cum igitur immunia ab oneribus supersint annua *scuta* 17. hoc exhuberanti peculio facile suppleri posset impensa scutorum 150. quot requiruntur juxta Peritos ad Oratorii instaurationem, scilicet imposito passivo Censu, ad cujus fœnus exsolvendum, & sortem ratatim extinquendam per annuum depositum

suf-

sufficere videatur annua scuta 17., cujusmodi remedia in reparationem Ecclesiæ passim probavit Sacra Congregatio, & præcipue „ *in Forolivien. 13. Junii 1788. ,& in Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ 20. Februarii* 1796.

Præstat tamen meminisse rationes, ex quibus Emus Commendatarius demolitionem, & translationem permittendam arbitratur. *I. quia nulla alia, quibus labenti Ecclesiæ provideatur, suppetunt media*, neque Census impositionem decet fieri super incertis eleæmosynarum obventionibus. *II. quia memorata Cappella S. Demetrii cum sit penitus derelicta, nullumque ibi celebretur Sacrificium ut ad elegantiorem formam redigatur ex Peritorum judicio requiritur tantum impensa scut.*44. *quæ Societas facile sibi potest comparare, tum ex nonnullis fructibus Census jam decursis, & nondum solutis, & partim ex piis benefactorum subsidiis. III. quia Confratres cum hac impensa vires Societatis non excedente Ecclesiam sibi perpetuo acquirunt stabilem, & permanentem. IV. quia Populo cum Demolitione Ecclesiæ SSmæ Conceptionis nullum infertur præjudicium immo cum hujusmodi translatione ad recensitam Abbatialem, quæ Matrix est, majori ipsius commodo consulitur. V. quia Emus Abbas suum præstat assensum.*

Demolitione permissa, onerum, & Missarum translatio necessario permittenda est; quamobrem S. Synodus Tridentina *loco citat.* jubet ut *Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati transferre possint beneficia ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sunt & ob eorum inopiam nequeunt instaurari* sub lege tamen ut erigant *altaria, vel Cappellas sub iisdem invocationibus*, vel saltem apposita Icone S. Titularis diruendi Sacelli, ut statuit S. Congregatio *in Patavina* 11. *Julii* 1801.

Emergit ex his dubium.

An, & quomodo sit locus demolitioni Oratorii, & translationi onerum in casu &.

Non proposita cum sequenti.

Sess.21. cap.7. de Reform.

SUTRINA UNIONIS PARÆCIÆ. Prope Civitatem Roncilionis extat Pagus ex adjacenti lacu appellatus *Vico*. Olim incolis refertus erat cum suo Parocho, qui fines Paræciæ habebat conterminos cum Parrochiali, & Collegiata Ecclesia SS. Petri Apostoli, & Catherinæ Ci-

Civitatis Roncilionis . Nunc vero deserta antiqua via consulari Pagus habitatoribus caruit , qui lares ad proximam Civitatem transtulerunt . Quare collapsis domibus *Vici* vix paucas habent casas Piscatores, qui vesperescente cælo proximam petunt Civitatem. Numinerus vero animarum accrevit in Parochiali SS. Petri & Catherinæ Roncilionis ad 2820. capita circiter , ut unus Archipræsbiter , qui Paræciam regit , satis non sit ad exercendam curam , sed indigeat Cappellano qui eum coadjuvet. Hinc defuncto nunc Rectore contermine Pareciæ *Vici* Arhipresbiter ipse deprecatur suppressionem hujus Pareciæ , & Unionem alteri SS. Petri , & Catherinæ Roncilionis sub lege tamen retinendi Cappellanum , qui onera supprimendæ Pareciæ impleat, & Sacra in superextanti Ecclesia *Pagi* diebus festis conficiat.

Episcopus in sua Informatione exposita confirmans refert , quod : *reditus præbendæ Archipræsbiteralis satis sunt circumscripti ; nam vix deductis illius oneribus, scuta centum attingunt , ideoque aliquo subsidio indiget Orator , ut sumptus Vice-Curati substinere valeat . Fructus vero Præbendæ Vici tenues admodum sunt & ascendere possunt ad annua circiter scuta* 67. *comprehensis scutis* 36. *quæ per Chirographum san. mem. Clementis XII. adsignata fuerunt anno* 1740. *pro congrua Rectoris , quæque a R. C. A. persolvantur . Onera vero Rectoratus ejusdem consistunt in annuis circiter scutis* 24. *Quæ cum ita sint mihi videtur suspendi interim posse ad tempus , nempe per decennium , illius Rectoratus collatio, addictis fructibus Archipræsbytero Oratori cum obligatione retinendi Cappellanum, qui etiam onera prædicti Rectoratus adimplere , & singulis diebus fæstis in Ecclesia Vici sacrum peragere teneatur . Dixi ad tempus tantum, quia si forte contigeret, Pagum denuo inhabitari posset presto esse Parochus, qui Curam exerceat. Quod si post elapsum tempus & aliæ domus prolabantur & nullus adhuc sit incola , tunc uniri poterit Rectoratus ad formam SS. Canonum Parochiali , & Collegiatæ Ecclesiæ Roncilionis .*

Ex Concilio Tridentino *Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.* probatur Parochialium unio in casu , quo Parrochialis fatiscens sit exigui redditus , si nullo ex præscriptis remediis reparari possit . Constat tamen apud omnes Canonistas , quod uuiones hujusmodi conceduntur , si adsit Pareciæ necessitas *Can.*49. *Caus.*26. *Quæst.*1. , si con-

concurrat utilitas *Cap. Exposuisti* 33. *de Præbend.*, & pro forma accedat consensus Capituli *Cap. Tua nobis de iis, quæ fiunt a Prælat.* *Clement. Ultim. de excessu Prælat.*, & certatim tradunt *Turricel. de Union. cap.* 6. *num.* 18. *Lotter. de Re Benefic. quæst.* 28. *num.* 134. & *Sac. Congregatio in Leopoldien. Unionis* 1. *Septembris* 1736. Neque vero in casu proposito abesse videtur necessitas, cum Paræcia Vici fatiscens non sit, ut non suppetant media ad reparationem necessaria, neque Ecclesia Parochialis Roncilionis inopia premitur, dum Archipresbyter congruam conciliarem habeat; Utilitas vero excluditur ex eo, quod unita Paræcia imminueretur divinus cultus. Tandem non constat exquisitum fuisse consensum Capituli, quem semper necessarium esse duxit Sac. Congregatio, & præcipue *in Forosempronien. Translationis Parœciæ, & Applicationis* 19. *Decembris* 1701.

Nihilominus animadvertendum est, quod Paræcia Vici nunc prorsus inutilis est, cum deserto pago, & habitatoribus vacuo nullæ amplius sint animæ, quæ illi Rectori subjiciantur. Rursus ponderandum, quod habitatores Vici domicilium transtulerunt ad Civitatem Roncilionis, itaut Archipresbiter aucto animarum numero ad capita circiter 2820. solus curam animarum præstare non possit, eique necessarius sit Cappellanus Curatus. Ut igitur hujus stipendio consulatur necessaria videtur unio, cum ex reditibus Paræciæ supprimendæ novis oneribus Archipræsbyter supplere valeat. Postremo observandum est, quod cultus divinus non imminuitur, cum non convertatur Parochialis Vici in usus profanos, sed in eadem omnia Missarum onera implebuntur, & præcipue in diebus fæstis ut Piscatores, qui lucente die ad lacum accedunt, Sacris possint interesse.

Si hæc minus suadeant suppressionem, & unionem Paræciæ Vici, videant EE. VV. num saltem concedenda sit suspensio nominationis Rectoris ad decennium applicatis interim reditibus Archipresbytero Roncilionis, qui onera impleat & Cappellanum retineat, ut Episcopus *in sua Informatione* proponit.

Dubium est.

An & quomodo sit locus suppressioni, & Unioni Parœciæ, seu potius suspensioni nominationis, & applicationi redituum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 19. Junii 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NULLIUS, SEU S. LAURENTII IN CAMPO DEMOLITIONIS ORATORII, ET TRANSLATIONIS ONERUM. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo sit locus demolitioni Oratorii & translationi Onerum in casu &c.

Affirmative juxta votum Emi Abbatis, servata in prophanatione forma Sacri Conc. Trid. & apposita Icone SSmæ Conceptionis ad Altare S. Demetrii.

SUTRINA UNIONIS PARÆCIÆ. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

An & quomodo sit locus suppressioni, & unioni Pareciæ, seu potius suspensioni nominationis, & applicationi redituum in casu &c.

Negative in omnibus.

FIRMANA. Quæsitum est in Congregatione *diei 19. Decembris proxime elapsi* = *An, & cujus favore, & quomodo sit concedenda Emphitheusis* = bonorum Sodalitii S. Mariæ de Misericordia S. Elpidii ad Mare, & EE. PP. rescripserunt = *Dilata, & scribatur Archiepiscopo pro nova affixione edictorum super capitulis a D. Secretario efformandis juxta mentem; transmissa nova particula Catastri, quoad bona, de quibus agitur*. Quæ prescripta fuere impleta sunt omnia. Nam Capitula concinnavi *juxta mentem* Sac. Congregationis, quæ ea fuit = *ut unienda essent Capitula tam in prima, quam in secunda licitatione per Sodales proposita; ut dandæ essent oblationes ad formam Capitulorum, alias non reciperentur; ut annuus Canon offerendus sit in pecunia numerata metallica computanda juxta valorem currentem de tempore solutionis; ut demum oblationes intra terminum quadraginta dierum* *Sess. 25. cap. 11 de Reform.*

a die affixionis consignandæ sint in manibus Secretarii S. Congregationis.

Capitula hujusmodi Archiepiscopo Firmano transmissa sunt cum Litteris hujus Sac. Congregationis, quibus eidem relata superius *mens* patefacta est. Placitis ipse EE. VV. satisfaciens Edicta vulgavit *die* 26. *Januarii proximi præteriti*, & reformata capitula publici Juris fecit in utroque Tabulario Archiepiscopali, & foraneo Terræ S. Elpidii; demumque de his certiorem reddens Sac. hanc Congregationem particulam Catastri remisit, ex qua constat, quod bona Sodalitatis sunt in quantitate *Modiolorum* 480. & in valore scutorum 12948. 82. Terminus quadraginta dierum ad afferendas oblationes juxta datam legem in novis Capitulis incæpit a die affixionis 26. *Januarii*, & expiravit *die* 7. *Martii* 1802. Intra hoc tempus quinque OblatoresSchedas mihi consignarunt, in qua omnes publicata capitula accepto tulerunt. Nomine vero Canonis spopondit scilicet *FRANCISCUS PENNESI OLIVIERI scuta* 1229., & preterea *scudi* 27. 31. *sopra qualunque altra maggiore offerta*, *JOSEPH GERARDINI BULGARINI scuta* 1100., *JOSEPH MENAVENTO scuta* 1022., *LAURENTIUS EVANGELISTA scuta* 950. *DOMINICUS BARDINI* scuta 721. Tandem post expiratum terminum nempe die 12. *Martii* 1802. DOMINICUS DELLA VALLE suam attulit oblationem in scutis 900.

Cum Franciscus Pennesi Olivieri & Laurentius Evangelista contendant inter se de Emphitheusi obtinenda (nam ceteri oblatores a judicio latitant) reproponitur causa sub primævo dubio, & cum libellis utrinque EE. VV. distribuendis. Ille namque Pennesius Olivierius, cum cæteros oblatores quantitate Canonis superaverit in scutis 129., sibi jure vindicat Emphitheusim. Contra Laurentius Evangelista prælationem postulat iisdem conditionibus, & eodem, quem Pennesius obtulit, soluto Canone. Hoc prælationis jus deducit ex eo, quod in prima licitatione ipse melior fuerit oblator. Hinc sibi asserit jus prelationis tum ex *dispositione* Juris *in leg. Congruit Cod. de locat. Pred. Civil.* in qua in rebus Fiscalibus (quibus æquiparatæ sunt res Ecclesiæ) veteres possessores novis conductoribus praeferuntur, *si facta per alios augumenta suscipiant*, tum ex *equitate* quam amplexa

est

est Sac. Congregatio, quae aliquando pro eodem pretio primo oblatori prelationem concessit. Allegat ad hoc tria exempla concessae praelationis, quorum duo pertinent ad emptores in *Neapolitana* 28. *Septembris* 1697. *Lib.*47. *Decret. pag.*436. *&* *in Reatina* 28. *Septembris* 1726. tertium de Emphitheusi agit in *Firmana Emphitheusis* 29. *Julii* 1786.

Hinc dubium est.

An, & cujus favore, & quomodo sit concedenda Emphitheusis in casu &c.

Affirmative favore Francisci Pennesi Olivieri salvo jure vigesimae & sextae per Bullas, & amplius.

VELITERNA FRUCTUUM CENSUS. Legatam a Joachimo Setini pecuniam scut. 3344. 83., ut fructus omnes Missis celebrandis cederent constituta elemosina obolorum 15., Capitulum Collegiatae Sanctae Mariae Pietatis Civitatis Corae collocavit in Censum cum defuncto Alexandro Prospero Buzi stipulato die 23. *Februarii* 1785. instrumento, in quo usurae trientes, sive scut. quatuor in singula centum conventae fuere. Census hujusmodi debitor nunc est Sacerdos Antonius Prosperi Buzi, qui cum Romae esset *die* 5. *Julii* 1798., qua die lata lex erat de abrogandis *cedulis*, statim Coram advolavit, & sequenti die 6. extrajudicialiter per interpositam Comitis Josephi Cataldi personam Capitulo nunciavit, se statim Censum redempturum in tot *cedulis*, quas deposuisse simulavit. Corae promulgata adhuc non erat lex, quae Cedulas proscribebat, eademque prorsus ignota erat Capitulo. Quod subverens, ne si debitor redempto censu *Cedulas* traderet, istae quam primum essent periturae, ut publicus ferebat rumor, studuit rem componere cum Prospero, qui proposuit se, neque tum, neque per triennium proximum Censum redempturum, si conventae in impositione usurae quadrunces, ad triunces reducerentur, scilicet a scutis quatuor ad scuta tria in singula centum. Postridie convocantur Comitia Capitularia, placuit conditio, acceptata est, dataeque fuerunt Canonico Cammerario facultates, ut Instrumentum reductionis stipularet, quod *eadem die* 7. *Sess.24.cap.7. de Reform.*

 con-

confectum est, nulla tamen accedente, vel reservata venia Apostolica, vel saltem Ordinarii.

Verum, cum in Civitate Corae vulgata est lex de proscriptione *Cedularum*, novit tum demum Capitulum se deceptum a Prospero, cui abrogatis cedulis impossibile erat censum retroemere. Graviter tulit concessisse reductionem fructuum, ex qua celebratio Missarum diminuebatur. Quare prae sua religione hactenus integrum Missarum numerum celebravit. Tacite hęc Canonici dissimularunt toto tempore publicarū perturbationum. Restituta vero ad sua munera Sac. Congregatione, hanc supplicarunt, ut authoritate sua irritaret Instrumentum cum Prospero initum super reductione usurarum, simulque absolutionem concederet pro incursis censuris ob stipulatam reductionem fructuum nullo reservato, vel obtento beneplacito Apostolico.

Rogatus est Emus Episcopus Veliternus, ut, quae sua sententia esset, patefaceret. Qui post quam omnia accurate investigavit, & questionibus subjecit Comitem Cataldi, qui in illo negocio mediator fuit, tandem refert = *Ego postquam cuncta, quae ad eruendam veritatem necessaria erant diligenter exquisierim, Canonicorum postulationem justitiae, & aequitati consonam putarem*. Et ex rationibus mox enucleandis concludit = *petitioni Canonicorum esse annuendum* = Ut cuique suum jus tribueretur, rescriptum est *Ponatur in Folio citata parte*. Hinc *in contradictione* litigantium concordatum est *primum dubium*, quod pertinet ad solutionem fructuum census. *Alterum dubium* super absolutione a censuris *ex officio* addendum censui. Ut sua jura utrinque deducerent, dictus est dies, & semel, iterumque prorogatus. Proponitur hodie causa cum una *allegatione* Capituli EE. VV. de more distribuenda, cum Sacerdos Prosperi nil mihi adhuc exhibuerit.

Nullum, proindeque irritandum dicunt Canonici Instrumentum reductionis fructuum Census tum spectata *forma*, tum *substantia* contractus. Deficit namque Beneplacitum Apostolicum, quod omnino requirebatur, cum ageretur de Censu, qui pertinet ad Ecclesiam & destinatus est in fundum Legati Missarum. Cum vero reductio fructuum sapiat alienationem, & secumferat remissionem debiti, ideo salva forma bene-

pla-

placitum Apostolicum non erat omittendum ad censuram *Extravagan: Ambitiosæ de Reb. Ecclesiæ non alienan.*, & tradidit *Rota* passim,& precipue *in Decis.* 139. *num.*11. *cor. Emo Card. Herzan, & Sac. Congregatio in Ariminen. Beneplaciti* 29. *Maii* 1780.

Si porro contractus *in substantia* spectetur, Canonici contendunt dolo Prosperi factum fuisse,ut concederent reductionem fructuum. Nam ipse Romæ erat die 5. Julii cum rogata est lex Cedulas proscribens;ipse Coram venit,& cum Cedulis prorsus careret, ut Cataldus testatur, nihilominus depositum simulavit, ut in Canonicos timorem inferret redemptionis census in ea papyracea moneta,quam proxime perituram unusquisque conjectura prȩvidebat.Quod si dolus malus est machinatio *alterius decipiendi causa cum aliud agitur, aliud simulatur*, ut definit Ulpianus *in leg. Hoc edicto* §. *dolum ff. de dolo malo*;dubitari non posse videtur,quin *Prosperus* simulaverit redemptionem census, ut reductionem fructuum obtineret. Quæ vero dolo facta sunt per restitutionem in integrum irritantur ad *Text. in leg. ea vero* §. 3. *ff. pro Socio*, *Rota decis.*27. *num.*1. *cor. Ratto*, *& in Veliterna Donationis*, *& Manutentionis* 18. *Martii* 1791. §.7. *cor. R.P.D. Cesarei*.

Idcirco vero Canonici in reductionem consensisse dicunt, quia putarunt factum fuisse depositum, & ignorabant legem latam fuisse de abrogatione *cedularum*. Falsa vero causa, & ignoratio, ubi dat causam contractui, cum errorem inducat, obligationem prorsus vitiat, ut post *Text. in Leg.* 116. *ff. de R. J. Leg. si ex falsis Cod. de Transact.* docet *Rota decis.*6. *num.* 8. *coram Falcon. de legat.*, *& in Camerinen. Nullitatis Transactionis* 4. *Februarii* 1784. §. 3. *coram R. P. D. Resta*. Cum vero ex hoc contractu reductionis fructuum Ecclesia læsa sit,& causa pia, quȩ ferre cogeretur diminutionem Missarum,quæque ex facto administratorum lædi certe non poterat, hinc eisdem restitutio in integrum conceditur, ut irritato contractu procul a se omne avertat detrimentum, *Rota dec.*312. *num.*6. *cor. Lancetta, & in Interamnen. Manutentionis, & Reintegrationis* 29. *Aprilis* 1777. §.3. *coram bo.mem. Mannelli*.

Contra hæc, tacente Prospero,prȩ munere observandum censeo,quod reductio fructuum concessa videri posset in correspectivitatem pacti, quo Prosperus sese obstrin-

strinxit de se abstinendo a redemptione census intra triennium proximum, id quod in eo chartæ monetatæ discrimine Capitulo utile esse poterat. Sed videant EE. PP. si hæc utilitas, quam Capitulum ad tempus consequebatur, perpetuum detrimentum reductionis fructuum compensare possit. Deinde ex hoc pacto non satis reiicitur dolus, & circumventio, quæ contractum inficit. Tandem ponderandum, quod Prosperus facile se ab hujusmodi pacto expedire poterat, cum *ex Constit. Piana* irritetur, *Rota dec.*313. *part.*15. *num.*7. *Recen.*. Quare si EE. PP. putent contractum reductionis rescindi oportere; tum sane fructus census erunt solvendi in scutis quatuor pro singulo centenario ad formam Instrumenti *diei* 23.*Februarii* 1785. pro summa liquidanda.

Quoad censuras, de quibus est secundum Dubium, eas infligit = *absque declaratione ipso jure* = *Extravagan. Ambitiosæ &c.* contra alienantes res Ecclesiæ neglectis solemnitatibus, ut docent *Quaranta in Sum. Bullarii verb. alienatio num.*49., *Thesaur. de Penis Cap.* 2., & Sac. Congregatio in *Romana Cisterciensium* 1.*Septembris* 1614. *tom.*21. *Decret. pag.* 54.. Sed Canonicos excusare potest quædam bona fides ex eo, quod falsa causa, & dolo Prosperi circumducti utilem putarunt reductionem, ne acceptis in redemptione Cedulis, iisdemque abrogatis legati fundus omnis deficeret. Posita bona fide facilius concedenda videtur absolutio.

Gemina proponuntur Dubia.

I. *An, & in qua summa sit locus solutioni fructuum census in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione a Censuris in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam Instrumenti 23. Februarii 1785.

Ad II. Affirmative.

*Sess.*25.*cap.*11 *de Reform.*

FIRMANA EMPHITEUSIS. Alphunsus Verzieri *anno* 1639. ex asse hæredes scripsit Sodalitates SSmi Sacramenti, & Rosarii Gryptæ Azzolinæ hæc jubens = *e la mia presente disposizione abbia luogo de' Fidecommis-*

misso perpetuo . . . . . Ordino che niun giudice di qualsivoglia autorità possa por mano, ingerirsi disporre ne far decreto, o ordine veruno in questo mio testamento, ma il mio erede sia assoluto Padrone, ed esente da qualsivoglia ordine, decreto, o disposizione di qualsivoglia Giudice, o Ordinario, ne esso erede sia obligato in nessun modo obbedire . . . . Commando che li miei eredi non possano divertire ne giorni, ne sostanza veruna, e verun altro modo di quello che è disposto, quantunque fosse risoluta dal Consiglio della Compagnia quale ciò s'intenda, e reputa nullo, e di niun valore. Hæredibus vero injunxit onus Missarum, de quibus nihil juvat disserere, cum hęc in controversiam non veniant.

Ab eo tempore utraque Sodalitas ita semper bona hujusmodi administravit, ut impletis oneribus quidquid superesset in Subsidium pauperum converteret. Nam vendit Pauperibus triticum, aliaque genera hujusmodi inferiori pretio, quam Forum utitur, & in publicis calamitatibus sæpe Communitati subvenit mutua data pecunia, ita ut vices suppleat Montis Subsidiarii. Anno 1792. nomine *de Zelanti delle Compagnie* post affixa edicta datæ sunt preces Sac. Congregationi pro inennda Emphiteusi bonorum ad Sodalitates spectantium. Unicus tum accessit Oblator Jacobus Brancadoro, qui canonem in scutis 260. a quocumque onere immunem obtulit. Ex quo utilitas emphitheusis eruebatur, cum bona Sodalitatis supputato decennio darent annua scuta 257. ut *in sua Informatione* tunc retulit Archiepiscopus Firmanus, qui pro ineunda emphitheusi Sententiam dixit. *Ex Rescripto diei* 24. *Novembris* 1792. jussa est nova ædictorum affixio; sed repugnantibus ceteris Confratribus res infecta remansit ad annum *usque* 1801. . Nam tunc *i Zelanti* in vim Rescripti *diei* 24. *Novembris* Ædicta publicari curarunt, & inter multos oblatores precipuus fuit Fulgentius Travalloni, qui nomine canonis obtulit scuta 320.

Qua ex re cum Populus Gryptæ Azzolinæ commotus esset, Confratres habitis Comitiis recusarunt Emphitheusim inire. Hinc Promotori Fiscali Curiæ Archiepiscopalis citationem specialem coram *Vice-Auditore* SSmi præsentarunt, ut inhiberetur, ne ad concessionem Emphitheusis procederet. Tunc judicio adfuit

Ful-

Fulgentius Travalloni, ut Confratribus obsisteret, & Causa ad Sac. Congregationem ablegata fuit. Interea Populus Cryptæ Azzolinæ preces obtulit SSmo, ut concessionem Emphitheusis impediret. S. autem Pontifex rescripsit = *Alla Sac. Congregazione, che prenda in considerazione le circostanze della Propolazione* = Auditus est Archiepiscopus Firmanus, qui narrata confirmans addit = *Sed ne contractus hic ad exitum perducatur obicem parant ii, qui ad hæc usque tempora bona ipsarum Sodalitatum administrant. Optime enim noscentes, non posse in posterum, si idem contractus absolveretur, in privatam utilitatem aliquid convertere, Emphitheusim ipsam, quo possunt modo, avertere conantur*. Hinc causa ad *Folium* ablegata, licet semel, iterum & tertio destinata esset propositionis dies, attamen Travallonus vadimonium semper deseruit. Proponitur nunc causa cum Allegatione Sodalitatum, quæ de more EE. PP. erit distribuenda.

Prætermissa quæstione, quam agitat Defensor Sodalitatum, quod istæ non recenseantur inter loca Ecclesiastica, ex quo canonica institutione erectæ non sint, ac proinde libera confratribus sit administrandi potestas, ut ex doctrina *Baldi in Authen. hoc jus num.* 3. *de SS. Eccles.* tradunt *Redoan. de Reb. Eccles. non alienan. Rubric.* 27. *num.* 16. *Card. de Luc. de Alienat. Discurs.* 1. *n.* 11. *Rota decis.* 313. *n.* 6. *part.* 19. *Recen.*, hac prætermissa quæstione eo redire videtur examen, num subeat justa, & necessaria causa, cur in Emphitheusim concedi debeant bona, & num concurrat loci pii utilitas. Nam si hæc duo absint, tum juste repugnant Emphitheusi confratres, ut *ex Text. in Extravagant Ambitiosæ de Reb. Ecclesiæ non alienan.*, & *S. Concilii Tridentini Sess.* 25. *cap.* 11. *de Reform.* tradit *Fagnan. in Cap. Nulli num.* 3. *de Reb. Eccles. alienan.*, *vel non, Rota decis.* 409. *num.* 6. *coram Molines*. Maxime cum ipsis a Testatore relicta sit libera administratio, dum jussit = *che il mio erede sia assoluto Padrone, ed esente da quel si voglia ordine, decreto, o disposizione di qualsivoglia Giudice*.

Negant Confratres ullam subesse justam, & necessariam causam, cur ineunda sit Emphiteusis: Nam agitur de bonis, quæ jam sunt meliorata & in optimo statu, ut Periti referunt, cum contra ex natura Emphiteusis sit, ut bona sint sterilia & ad meliorandum concedantur

§. *Adeo*

§. *Adeo verum Instit. de locat.*, *& conduct.*. Utilitas porro longe exulare videtur habito respectu ad usum legatorum redituum. Nam cum segetes, quæ ex hisce bonis colliguntur, pauperibus mitiori pretio vendi soleant, & bona hujusmodi in Subsidium pauperum sint destinata, jam si Emphitheusis concederetur, licet Canon annuus esset maximus, attamen Populus non haberet, unde Segetes compararet. Quæ sane Populi utilitas præ oculis maxime habenda erit ex rescripto SSmi: *Alla S. Congregazione del Concilio, che prenda in cousiderazione le circostanze della Popolazione*.

Observandum tamen est, quod Archiepiscopus notat in *sua Informatione*, Administratores nempe Societatum dissentiri ob privatum utilitatem, quam capiunt ex administratione, quamque concessa Emphytheusi amitterent; Sed cum eidem Antistiti jus sit exigendi redditionem rationis ex Trident. *Sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.*, cum eas Administratores reddidisse asserant, seque paratos exhibeant ad eas expungendas, quamdiu eidem Archiepiscopo placuerit, hinc satis forte consultum videri posset periculo, ne res Societatum in privatorum comodum traducantur.

Quibus non obstantibus si EE. PP. censeant Emphitheusim esse concedendam melior oblator fuit Fulgentius Travalloni, qui Canonem obtulit in scutis 320., quæ longe superant *scuta* 257., quæ ex bonis Sodalitiorum quotannis redibant. Quamobrem concludit Archiepiscopus in sua Informatione *cum itaque oblator sit per se aptus solvendo*, *& præterea ad prestandum Fidejussorem se obligat; censerem idcirco, ut contractus ipsius Emphitheusis salvo jure Vigesimæ, & Sextæ ab EE. VV. adprobari possit*.

Dignentur itaque EE. PP. dirimere Dubium.

An, & cui sit concedenda Emphitheusis in casu &c.

Negative.

Sess.23.Cap.6. Reform.

GERUNDEN. Ab eo tempore, cujus nulla extat memoria, in Capitulo Cathedralis Gerundensis paulatim coaluit Massa, cujus reditus partim erogantur in distributiones quotidianas, quae Capitularibus residentibus obveniunt, partim in Anniversaria, & Missas. Sed reditus hujusmodi, qui in Missas, & Anniversaria erogantur, quique in censibus consistebant, alii pertinent ad certas fundationes, de quibus constat unde derivent, & quae onera praeseferant, alii sunt prorsus incerti, & eorum origo, adnexaque onera omnino latent. Hoc certum est, quod sequioribus temporibus Massa tulit diminutionem. Nam seviente bello sortes census nonnullae deperditae sunt. Quae vero fuerunt restitutae in *Terrenis* investitae multo minus, quam fructus census, reddiderunt. Accessit deinde, quod Gerunda obsidione clausa, solvi debuerunt plurima tributa, & deinde liberata, inexacti fuerunt fructus ad scuta quingentum. Hinc missae, & anniversaria inadimpleta fuerunt; Hinc Capitulares creditores erant nomine Distributionum pro mensibus triginta sex. Hinc tandem Massa impar evasit tam ordinariis oneribus, quam extraordinariis expensis. Quare Procuratores Massae (qui sunt ex Capitulo duo Canonici, totidemque Beneficiati) anno 1738. deprecati sunt a Sacra Congregatione onerum reductionem, simulque ut certa constitueretur norma, qua ex Massa, & distributiones consequi, & Missae, atque anniversaria celebrari possent. Exquisita est *Informatio* Episcopi Gerundensis, qui sedulo rem illustravit, & media opportuna patefecit. Ut vero in re tanti momenti tutior esset judicium S. Congregatio rem omnem ablegavit cl. me. Card. Bellugae, qui elucubratissimum protulit Votum, in quo moderavit nonnulla, quae ab Episcopo proposita fuerunt.

Votum hujusmodi sex constat summis Capitibus. *I. Ut quoad reditus certos onera, quae a Fundatoribus imposita sunt, exacte impleantur; Quod si ista majora sint reditibus, tum Episcopus deveniat ad reductionem. II Ut non fiant in posterum nova investimenta, nisi accedente Episcopi licentia. Aliter nulla sint, & Administratores teneantur de proprio Massam reintegrare III. Ut quolibet anno imponatur pretium fructibus, qui inter Praebendatos dividentur, & ad eorum rationem, & pretii sta-*

stabiliti assignentur quoque onera correspondentia. *IV. Ut ex reditibus incertis desumatur id quod Episcopus necessarium judicabit pro augumento Distributionum. Ne autem ex hoc detrimentum proveniat Animabus Fundatorum Anniversaria supprimenda erunt, & id quod remanet detractis distributionibus, & extraordinariis expensis erogetur in celebrationem tot missarum lectarum ad rationem stipendii manualis.* *V. Ut suspendantur Missæ, quæ ex incertis reditibus celebrandæ sunt, donec Præbendati reintegrentur pro eorum Creditis, cum exacte onera adimpleverint, licet tantam diminationem sustinuerint.* *VI. Ut missæ, quæ usque adhuc non sunt celebratæ adimpleantur ad rationem manualis stipendii; exacte quidem si redditus sint certi, & si incerti sint, juxta numerum ab Episcopo determinandum.* Ex quibus Sac. Congregatio die 22. Septembris 1742. rescripsit = *In omnibus juxta Votum Emi Relatoris* = Quæ omnia Episcopus Gerunden. executioni mandavit.

Nunc vero pro temporum conditione, cum incommodum videatur inire quotannis fructuum computationem, & æstimationem prætii, & ad ejus rationem constituere onera, ut statuitur *in Cap. III. Voti Emi Bellugæ*; hinc Procuratores Massæ postulant, ut singulis certis fundationibus assigentur tot census, loco eorum fundorum, qui olim a Procuratoribus Massæ comparati fuerunt, ut eorumdem Censuum reditus celebrationi Missarum cedant. Episcopus Gerundensis huic petitioni in una, alteraque Informatione favet. Nam in prima Informatione ait = *Jam vero, quoad commutationem, sive consignationem Censualium fundatoribus faciendam loco, & vice earum pecuniarum, quibus Protectores dictorum bonorum emptionem effecerunt, eam admodum utilem fore censeo, & non minus rationi consentaneam*, ex iis, quæ erunt inferius recensenda. In secunda vero Informatione, ut patefaciat Instantiam a Protectoribus expositam, refert = *ad restituenda fundationibus censualia, cum in amministratione jam existant quamplurima, possunt ea, quæ necessaria sunt, & aliunde melioris conditionis, earumque adimplemento assignari, ac proinde non sunt dismembranda ab Ecclesiæ reditibus, neque*

fundatorum hæredibus tradenda, sed tantummodo separatim administranda. Neque Fundi, seu possessiones in quibus aliquam modo partem habent ipsæ fundationes, neque ullæ aliæ alienandæ sunt ad reinvestienda capitalia in censibus, sed prædia, & possessiones deinceps integræ ad massam communem, sive mensam Capituli pertinebunt, e contra vero cuncta bona Fundationum erunt sita in Capitalibus Censuum, in quibus Capitulum nullam partem habebit.

Hoc igitur unum queritur, utrum ex Massa communi separandi sint census, & assignandi certis Fundationibus ita ut hac expleta separatione census pertineant ad Fundationes; & Prædia, & Possessiones ad Massam Capitularem. Huic separationi obstare posset consuetudo, ex qua semper in communi massa cumulati fuere redditus tum ad Capitulum, tum ad Fundationes spectantes. Quidquid vero ex longa invaluit consuetudine cum pro lege sit *Leg.* 79. *ff. de R. J.*; ita non temere abrogandum est, ut tradit *Rota in Romana Manutentionis* 5. *Aprilis* 1793. §. 7. *coram Priolo*. Rursus obstat Decretum Sac. Congregationis *anni* 1742., quo cum probatum sit Votum Emi Bellugæ, probata quoque est communis Massa, & administratio. Tandem ex hac separatione timendum est, ne Capitulum detrimentum, capiat. Nam cum Census multo uberiores, quam Prædia, fructus reddant; jam si Census Fundationibus assignentur, imminui poterunt Massæ Capitularis reditus.

Nihilominus ab EE. VV. ponderanda sunt ea, quæ Episcopus adducit, ut suadeat hanc assignationem *æquam* esse, & *utilem*: *Æquam*, quia Fundationes hujusmodi constabant ex censibus. Prædia autem comparata sunt cum restitutis sortibus censuū preter voluntatem Fundatorum; quare si nunc census iterum Fundationibus adscribantur, res eo redibit, unde initium duxit. *Utilis* vero hæc erit assignatio censuum. Nam certi erant reditus singularum fundationum, nec pro varietate annonæ, & pretii fructuum, ut hactenus factum est, modo in majori, modo in minori quantitate quotannis statuentur.

Si probata erit EE. VV. hæc assignatio Censuum, tum statendus erit modus, quo hæc ipsa assignatio fieri de-

deheat. Nam ex iis, quæ constituta fuerunt in Voto Emi Bellugæ Decreto Sac. Congregationis probato, hoc unum erit moderandum, ut assignatio Censum fiat respectivis certis fundationibus. Quod vero pertinet ad onera implenda, ad incertas fundationes, retinenda erunt, quæ in eodem *Voto* constituta, & jamdiù exequuta fuere.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus assignationi censuum in casu &c.

Negative.

ROMANA REDUCTIONIS ONERUM. Valentinus Onorati postremis tabulis legavit Capitulo, & Canonicis Basilicæ S. Mariæ Trans Tyberim = *Il Corpo della mia Casa tanto vecchia, quanto fabricata di nuovo ..... che sarebbe annuo frutto di scudi* 112. *obligando detto Capitolo di far celebrare una Messa quotidiana perpetua in detta Chiesa, ed a questo effetto elegga detto Capitolo un Cappellano apposta per dir questa Messa, e che anche sia abile a confessare, quale confesserà in d. Chiesa tutte le Domeniche, e Feste commandate, e se gli diano quattro scudi il Mese per dir la Messa, e per confessare, ne si debba mai tralasciare la celebrazione etiam, che la Casa, e Bottegha restasse spigionata, e con longhezza di tempo deteriorasse* = Preterea idem Testator alia onera a Capitulo adimplenda reliquit: Scilicet = *Item che il Capitolo, e Canonici siano obligati di contribuire dieci scudi moneta per la Pompa funebre solita a farsi in detta Basilica il Venardi Santo al SSmo Crocifisso in perpetuum, assegnando a questo affetto dieci scudi moneta dell'entrate annue, che si caverranno da tutto il corpo della Casa, e Botteghà* = *Item che nel giorno della Festà dell' Invenzione della SSma Croce alli* 3. *Maggio siano parimenti obligati d. Capitolo, e Sig. Canonici fare la festa ogni anno assegnando a questo effetto altri scudi sei dell'entrata come sopra, e si tenga una Lampada accesa ogni giorno al SSmo Crocifisso.* *Sess.* 25. *Cap.* 4. *de Reform.*

Tan-

Tandem dispositionem suam absolvit Onoratus, *e non volendo accettare questi oblighi detto Capitolo, o vero accettandoli, e non sodisfacendoli lascio ed istituisco il dominio delle sudette case, e botteghe da far sapone alli Signori Beneficiati di detta Chiesa di S. Maria in Trastevere per eseguire quel tanto si è detto di sopra alli Signori Canonici, e non volendo li sudetti Beneficiati accettare li sopradetti oblighi, ed accettandoli non si vogliano sodisfare, lascio il dominio delle sopradette case, e bottegha alla Chiesa e Sagrestia di SS. Cosimo, e Damiano in Campo Vaccino con obligo, che in detta Chiesa nell' Altare privilegiato se non sia impedito, altrimenti in qualsivoglia altro Altare di detta Chiesa si dica una Messa quotidiana perpetua per l'anima mia, e di tutti li miei parenti etiam che dette case, e bottega restassero spiggionate con obligo ancora di dir ogni anno in perpetuum una Messa cantata per l'anima mia e de' miei Parenti infra l' ottava di SS. Cosma, e Damiano;*

Hæc onera, quæ annuam ferunt impensam scutor. 72. 64. Canonici prævio Indulto Sacræ Congregationis acceptarunt, & impleverunt. Nunc vero cum decennali inita supputatione constet, quod ex legatæ Domus annuo reditu subductis instaurationum impensis supersint quotannis scuta circiter 57. 7. idcirco Canonici, & Capitulum deprecantur Sacram Congregationem pro reductione Missæ quotidianæ, Eminentissimus Protector, exposita confirmans ait = *Iam vero tenuis adeo reditus, cujus augendi spes nulla opitulatur, singulis implendis legatis impar nunc omnino dignoscitur; & Capituli religioni, & liberalitati tribuendum si ad hanc usque diem adamussim impleta fuerint, ut ideo nunc jure optimo reductio postulari videatur. Inter pia legata, de quibus res est, Missæ quotidiane onus recensetur, cujus reductionem petunt Capitulum & Canonici. Nam cætera legata quæ ad nonnullos intra annum dies fæstos solemni ritu in Ecclesia celebrandos potissimum pertinent, haud putant sine populi admiratione, & offensa imminui, aut auferri posse, quod quidem consilium, hoc præsertim tempore non improbandum videtur. Quibus sane cognitis cum ob imminutos reditus piis legatis exequendis*

dis destinatus, onerum reductioni justus aditus recludatur, neque alia suppetere opportuna media videantur, Canonicorum, & Capituli votis annuendum censerem, ita tamen, ut Missarum numerus imposterum superextanti redditui domus respondeat cæteris impletis oneribus, ad rationem tamen elemosinæ manualis.

Petitur reductio ex diminutione redituum fundi legati. Nam ex domo, quæ olim dabat annua *scuta* 112., vix nunc singulis annis percipiuntur *scuta* 57. 7. Quæ cum imparia sint sustinendis oneribus, annuam summam scutorum 72. 64. attingentibus; profecto dum Capitulum ab exequutione legati detrimentum capit, jure postulare videtur onerum reductionem. Nam si contractus ad læsionem vergit; tum etiam post acceptationem, & exequutionem conceditur reductio ut docet *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *Cap.* 23. *num.* 23., & in hisce terminis obligationes Missarum reduxit Sacra Congregatio *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759., *in Albinganen.* 12. *Septembris* 1778., & *in Anconitana Missarum* 16. *Martii* 1782.

Duo tamen animadvertenda sunt. *Primum* quod fundus non deterior evasit, sed tantummodo diminuti sunt reditus sive quia pensiones domus abjectæ sunt, sive quia inexactæ manserunt. Quare fieri poterit, ut imposterum augeantur, vel adhibitis diligentiis integre exigantur, vel tandem per concessionem in Emphyteusim major ex domo reditus curari possit, quamvis in id alias inutiliter Capitulum incubuisse testetur Emus Protector ob deteriorem Domus conditionem quæ assiduos exigit reparationum sumptus, gravissimumque fuerit manutentionis onus. *Alterum* ponderandum est, quod testator expresse prohibuit, *ne si debba mai tralasciare la celebrazione della Messa etiam che la casa restasse spigionata, e con longhezza di tempo deteriorasse*. Quare si cum hoc onere Capitulum acceptum tulit legatum, non potest nunc ob reditus decrementum frui reductionis comodo, ut novissime definivit Sac. Congregatio *in Urbevetana Contractus* 10. *Aprilis nuper elapsi*. Attenta præcipue caducitate inflicta a Testatore, *o non volendo* (scilicet Capitulum) *accettare questi oblighi, ovvero accettandoli,*

doli, e non sodisfacendoli. Nam hoc casu substituit primum Beneficiatos ejusdem Basilicæ, mox Sacrarium Sancti Cos., & Damiani. Quare concedi non posse videtur reductio, nisi substituti interpellentur, velint nec ne præstare exequutionem legati. Semper enim eos, quorum interest, & præcipue substitutos in casu caducitatis audiendos esse duxit Sacra Congregatio, ut in *Forosempronien. Translationis, & Applicationis* 19. *Decembris* 1801.

Nihilominus si EE. PP. in reductionem convenerint, statuendus erit *modus* concedendæ reductionis. Quamquam plurima sint onera a testatore relicta, attamen Capitulum Missæ quotidianæ reductionem postulat. *Nam* (ut refert in sua Informatione Emus Protector) *cætera legata, quæ ad nonnullos intra annos dies fæstos solemni ritu celebrandos potissimum pertinent, haud putant sine populi admiratione, & offensa imminui, aut auferri posse, quod quidem consilium hoc præsertim tempore non improbandum videtur*. Hinc reduci postulant Missam quotidianam ad taxam perpetuæ pro ea summa, quæ, cæteris impletis oneribus, superest.

Verum ubi celebrationi Missæ alia conjungantur onera, potius hec reducenda sunt, quam Missæ, cum ex his defunctorum animæ majus suffragium consequantur, ut notat *Fagnan. in cap. Ex parte De Constit. n.*34. *Monacel. Form. leg.* 19. *tit.* 10. *p.* 1. & S. Congr. *in Lunen. Sarzanen.* 13. *Maii* 1728. *& in Derthonen. Reductionis* 19. *Maii* 1787., quæ præcipue obtinet regula, ubi Testator dispositionem à Missis incipiens earum celebrationem prædilexisse videatur, ut tradunt *Passarin. de statu hominum Tom.* 3. *Quæst.* 187. *num.* 1095., *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. Ultim.* §. 23., *& Sac. Congregatio in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., *& in Urbanien.* 30. *Augusti* 1783. Cujus prædilectionis non ambiguum argumentum suppeditat in præsenti casu lex à Fundatore dicta *ne si debba mai tralasciare la celebrazione etiam che la casa, e bottegha restasse spiggionata, e con longhezza di tempo deteriorasse*. Neque si reducantur cætera legata ulla poterit in populo excitari admiratio. Non enim omittenda idcirco erit celebratio Festorum, sed minori pom-

pompa, & apparatu exhiberi poterit. Nam Testator jussit, ut contribuerentur ex reditibus domus scuta decem = *per la pompa funebre solita farsi nel Venerdì Santo* = quare hæc assignata fuere in augumentum apparatus celebrationis festi, ut proinde hoc reducto legato, solum celebritas minuetur.

Quæ vero concedenda sit reductio Missæ pendet ab arbitrio EE. PP. Ponderandum est quod a Fundatore taxata fuit æleemosyna in scutis quatuor in singulos menses, quo casu locus esse non videtur *taxæ perpetuæ*, ut *in Nepesina Reductionis Onerum* 24. *Julii* 1734., *& in Viterbien. Capellaniæ* 11. *Januarii* 1744., *& in Senogalien. Reductionis Missarum* 23. *Aprilis* 1796. Ad præscriptam vero æleemosinam reditus scutorum 57. nedum implemento Missæ quotidianæ suppetunt, sed annua supersunt scuta novem eroganda in cætera onera.

Ex his EE. VV. deliberandum proponitur.

An, & quomodo sit locus reductioni Onerum in casu &c.

Negative in omnibus.

MESSANEN. IRREGULARITRTIS. Anno 1800. die 29. Augusti cum in agro Civitatis Sagni Messanensis Diæcesis rixarent inter se hinc Fratres Naselli, illinc Cataldus Barreca, ejusque Fratres, prodit armatus balista ignea Sacerdos Paulus Naselli, ut a jurgio Fratres suos removeret, rixamque sedaret. Fit ei obviam Cataldus, & in eum primum injuriosa verba, mox balistam convertit, qua explosa sauciatus est Sacerdos Naselli, qui ingenti cruore perfusum se conspiciens subito animi impetu abreptus, & ipse Barrecam Sclopi ictu vulneravit. Ab acceptis tamen vulneribus brevi convaluit Sacerdos Nasellius, dum vicissim Barreca post viginti dies occubuit, licet duo Medici opinentur magis quam a vulnere, processisse a febri, in quam ipse incidit. Cum igitur Sacerdos homicida absolutionem a Sac. Pænitentieria obtinuerit, nunc dispensationem ab irregularitate postulat. Quibus de precibus Messanensis Antistes refert = *quod antequam* *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

e vivis excesserit Cataldus Barrecca , & Sacerdos Naselli publice sibi invicem pepercerunt , quemadmodum subinde Andreas , & Concepta parentes defuncti , & Cajetanus Præsbiter germanus ejusdem , instrumentis publicis cuicumque cesserunt liti , neque ex parte Fisci quidquam metuendum superest, cum nullum usque adhuc processum instaurare cœperit ; quin post laudatam interesse habentium cessionem a qualibet instantia destitisse potius videatur. Litteris demum a Vic. Foraneo Engii, ubi hodie moratur Nasellius verax istius de patrato facinore pœnitentia , ejusdemque constans emendatio asseveratur . Hisque notatis Emis Vestris decernendum relinquit, an Orator ad sui Ordinis exercitium sit restituendus ,

Cum non constet quod homicidium commissum sit ex insidiis, vel industria , itaut in casu non obtineat dispositio *Text. in Cap.* 1. *de Homicidio voluntar.* inquirendum erit num acciderit vim vi repellendo de quo loquitur *Clem. Unic. de homicidio , & Sancta Synodus Tridentina in Sess.* 14. *cap.* 14. *de Reformat.* Certe Nasellius dum prodit armatus non videtur dedisse operam rei licitæ , itaut crimen si non *in effectu* , saltem *in causa* voluntarium dici debeat, ut tradit *Fagnan. in Cap. Quidem de Homicid. num.*2., *Monacell. formul. legal.*3. *num.*34. *tom.* 2. *& Sac. Congregatio in Feretrana Irregularitat.* 19. *Decembris* 1801. Maxime cum homicidium non processit ex opere præter operantis prævisionem , & voluntatem, secundum distinctionem traditam *a D. Thoma* 2. 2. *Quæst.* 64. *art.* 8., de qua plene *Fagnan. in Cap. Ad Audiendam* 12. *de Homicid. Tom.*5. *pag.*131. *num.*7.

Cæterum provocatus fuit Nasellius primum verbis, mox vulnere ita ut cum *iracundia ab omni consilio & mente deturbet, ut dum quis irascitur insanire credatur* , ut inquit *D. Hyeronimus in Epist. ad Decentium* , ita minus facinus & facilius remittendum in Oratore considerari potest . Maxime cum ex naturali impulsu in rixam venerit , ut Fratribus opitularetur , quo casu saltem irregularitas dispensanda videtur , ut observat *Fagnan. in Cap. Petitio* 24. *de Homicid. num.* 15. Nec desunt idoneæ dispensandi causæ , scilicet remissio partis , Fisci silentium , *& verax de patrato facinore pœnitentia* . Obstare quidem posset , quod recens sit me-

memoria delicti a biennio commissi, quando ad eam obliterandam necessarium est decennium ut censuit *Rota in Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §. 13. *cor. Elephantutio*, vel saltem *triennium* cum emendatione vitæ juxta doctrinam *Panormitani in Cap.* 21. *num.* 2. *de Accusat.*, *Antonell. de Regim. Eccles. lib.* 1. *Cap.* 6. *num.* 17. & *Sac. Congregatio in Salernitana Irregularitatis* 22. *Augusti* 1795. Sed agitur non de promovendo, sed de jam permoto, quo casu pronius dispensationem concessit solet Sac. Congregatio *in Savonen. Irregularitatis* 26. *Martii* 1780.

Dubium proponitur.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

NUCERINA APPLICATIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Duo legata Missarum scripta sunt in Testamento Mariæ Ottaviani Orlandi Pergulensis condito sub Annum 1790., in quorum altero sola *celebratio* Missarum, in altero etiam *applicatio* injungitur. Nam legavit = *alla Ven. Chiesa Parrochiale della Castagna scudi duecento cinquanta Romani da darseli per una sol volta affine di rinvestirli, ed unirli ad altri effetti e beni della Chiesa Parrochiale coll'obligo però, e peso al Pievano pro tempore, di far celebrare sempre, ed in perpetuo in ogni Festa di precetto, oltre la propria Messa parrochiale, un' altra Messa a maggior spirituale vantaggio di quel popolo, che possa con tal mezzo avere il commodo di due Messe, e così meglio santificare la festa, e sodisfare al precetto.* Itidemque legavit = *scudi tre romani al mio Confessore con peso, ed obligo di celebrare in suffragio dell'anima mia numero sei messe.*

Sess. 22. *Decret. de Observ.*, & *vit. in celebr. Missæ.*

Qui tunc regebat Plebaniam *della Castagna* Sacerdos Joseph Palazzi assentiente Episcopo Nucerino legatum, injunctumque onus acceptavit, & pecuniam legatam anno 1795. receptam in emptionem census impendit.

Cum vero in illa rurali cura fere nunquam alius commoretur Sacerdos; hinc Parochus singulis diebus festis a finitimis locis eum advocavit; qui stipendio in annuis scutis duodecim constituto Missam celebraret, quin tamen eam pro anima Fundatricis applicaverit. Ita quoque factum hactenus est a moderno Plebano Barnaba Lametti. Verum ob mox subortum ea de re dubium preces dedit Emis Vestris ut decernant, an sit locus applicationi. Quatenus vero pro applicationis onere senserint, tum postulat absolutionem quoad præteritum ob missas non applicatas, simulque in futurum reductionem, vel facultatem abdicandi legatum, quod *in caso non venisse accettato* devolvi jussit Testatrix *alla Ven. Chiesa del Monastero di S. Chiara di Sassoferrato collo stesso peso, ed obligo di Messe*. Idque precipue, cum census, qui est legati fundus, utpote initus anno 1795. reductionem subierit ad Tariffam, ita ut sors diminuta sit ad scuta 215. & fructus annui ad scuta 12. 80. in moneta argentea; Quare si facienda quoque sit applicatio singulis festis, cum elemosina triplo major requiratur, sane non sufficerent annui reditus fundi legati ad voliti oneris implementum.

Episcopus Nucerinus in sua Informatione censet non esse locum applicationi ex rationibus, de quibus inferius sermo redibit. Si tamen huic oneri locum esse putent EE. PP., tunc rem ita componendam esse proponit. Ait enim = *Si legato idem Parochus renunciaret prout in ejus Supplici Libello exposcit, nemo certe alius ex vocatis a Testatrice illud assequi curabit, cum immo quisque ex interesse habentibus a me auditis illi valedicat. E contra vero, quia beneficio duplicis Missæ diebus festis Parochianos orbari mihi maxime displiceret, rem ita componi posse censerem, si nimirum Orator & ejus pro tempore Successores Sacerdotem, qui diebus festis in Ecclesia Parochiali alteram Missam celebret, providere propriis sumptibus obstringantur, & vicissim legati fructus percipiant sub obligatione applicationis sex dumtaxat Sacrificiorum pro anima Testatricis*, cui quidem reductionis consilio Oratorem assentiri concludit.

In primo dubio quæritur de applicatione Missæ. Sane ex

ex jure applicationem voluisse censetur, qui certum reliquit Missarum emolumentum, ut tradit *Fagnan.in Cap. Significatum de Præbend. num.* 44. Præsumendum est enim, ut quisque velit, quod in suam redeat utilitatem prescripta Sacrorum celebratio *Card. de Lugo disput.*20. *de Eucharist. Sect.*1. *num.*23. Verum ut bene observat *Bened.XIV.de Sacrif.Missæ lib.*3.*Cap.*9. *per tot.* controversiæ hujusmodi ex presumpta voluntate Testatoris dirimuntur. Hinc S.Congreg. aliquando pro applicatione stetit cum illam volitam fuisse ex voluntate Testatoris apparuerit, ut in *Asculana* 29. *Augusti* 1789. *ad I. Dub.*, *& in Mutinen. Applicationis, & Reductionis Missarum* 26. *Julii* 1791. *ad I. Dub.*; aliquando e contrario cum nihil de voluntate constiterit, applicationem rejecit ut *in Mediolanen. Applicationis Missarum* 11. *Maii* 1748.

Tria aut in proposito casu demonstrant Testatricem noluisse applicationem. Primum finalis causa legati, quæ ea fuit, ut Populus posset = *Santificare la Festa, e sodisfare il precetto* = Id quod per solam celebrationem impletur, quin necessaria sit applicatio. Et quando Missa relicta est in aliam causam, quam in suffragium animæ, scilicet *in honorem alicujus Sancti* tum locum non esse applicationi statuit Sac. Congregatio in allegata *Mediolanen.*. Deinde ex impari emolumento relicto. Nam cum ad hanc Missam perficiendam extraneus advocandus sit Sacerdos, hic certe triplo majorem requirit elemosinam si applicare debet, ut testatur Episcopus. Quare dum Testatrix non reliquit congruam elemosinam, non censetur voluisse etiam applicationem. Tandem discretiva, ex qua eruitur, quod in legato Missarum Confessario relicto applicationem præcepit, & in hoc nihil meminit = *Nam præsumitur eum, quemadmodum in his quas voluit sibi applicari, disserte idipsum jussit, ita reliquarum, de quarum applicatione nil declaravit, voluisse Sacerdoti liberam applicationem relinquere*, ut docet *Benedict. XIV. de Sacrif. Miss. Lib.*3. *cap.*9. *num.*3., *& Pignattell. consult.* 138. *num.*5. *tom.* 6.

Quod si nihilominus EE. PP. censeant applicandam esse Missam, tunc sane statuendus erit modus, quo hec applicatio fieri possit. Nam fundus impar evasit impleu-

plendo oneri, ut Episcopus testatur. Hic proponit, ne Populus altero Sacrificio diebus festis careat, ut Missa singulis festis de præcepto celebretur, & secties tantum in anno applicetur.

In altero *dubio* quæritur de absolutione quoad Missas in præteritum non applicatas. Constat sane de bona fide Parochi, qui putabat non esse applicandam Missam, & in ipso adest impotentia, facilius tum a Sac. Congregatione concedi consuevit absolutio ut *in Foro-livien. Reductionis* 13. *Junii* 1789.

Ex hisce duo proponuntur Dubia.

I. *An & quomodo sit locus applicationi, & respective Reductioni Missæ festivæ in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum S̃mo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Die Sabbathi 17. Julii 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MESSANEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

NUCERINA APPLICATIONIS, ET REDUCTIONIS. *Sess. 22. Decr. de Observ. & vitan. in celebr. Missæ.*

I. *An, & quomodo sit locus applicationi, & respective reductioni Missæ Festivæ in casu &c.*

Et quatenus Affirmative.

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Provisum in primo.

CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ. Semel jam, iterumque in S. Congregatione proposita hæc Causa fuit, in qua de institutione ad Cappellaniam a Cecilia Manni erectam contendunt inter se Præsbiter Joseph *Sess. 22. cap. 4. de Reform.*

seph Salvatori, & Clericus Franciscus Sisti. Die scilicet 23. *Januarii* 1802., cum quaesitum esset *An*, & *cui sit danda institutio*, rescriptum fuit = *Affirmative favore Salvatori* = Hinc Clericus Sisti impetrata nova Audientia *die* 20. *Martii* 1802. rogavit EE.PP. = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* =. At haesit anceps resolutio aedito responsu = *Dilata*, & *coadiuventur probationes per Salvatori super passiva vocatione*.

Ut igitur Praesbiter Joseph Salvatori in nova Allegatione de more distribuenda, mandatis EE.VV. obtemperet, se probare satagit *attinentem* esse Familiae Manni. Nam probata hac descendentia certum est, quod passiva vocatio ex fundatione descendentibus data sit. Ad hanc demonstrandam descendentiam profert depositionem Parochi, qui, relatione habita ad Codices Parochiales, testatur Praesbiterum Josephum ortum habere ex familia promiscue nominata *Salvatori & Lateri*, ejusque ascendentes in gentilitio suorum majorum sepulchro fuisse compositos. In Sacra Gentis *Salvatori*, & *Lateri* olim concessit Cristophara Manni, quae consanguinitate juncta erat Caeciliae Manni Fundatrici. Idem confirmant duo annosi Testes, & *Secretarius* Communitatis. Quę quidem descendentia confirmatur ex eo, quod haec Familia Salvatori consequuta est emolumenta omnia, scilicet legatum studiorum, & subsidia dotalia descendentibus Familiae Manni relicta, quaeque ex judicio Sac. Congregationis addicta fuerunt iis de Familia Salvatori tamquam e stirpe Gentis Manni derivantibus, ut videre est in Folio *Civitatis Plebis Legati studiorum* 16. *Januarii* 1768., & *in Civitatis Plebis Subsidii Dotalis* 17. *Junii* 1797.

Quas probationes satis sibi esse putat Praesbiter Joseph, cum agatur contra Clericum Sisti, qui prorsus extraneus est a Familia, quo casu necessariam non putat rigorosam probationem per gradus distinctos, sed sufficere ait genericam etiam per testes, adminicula, & conjecturas, ut tradit *Gratian. Disceptat. Forens. Cap.* 869. *num.* 1. *Garz. de Benefic. part.* 7. *Cap.* 15. *num.* 28. *Rota Decis.* 1062. *num.* 2. *coram Lancetta*, & *in Tridentina Cappellaniae* 27. *Junii* 1755. §. 6. *coram Amadeo*. Ex Foliis itaque superiorum propositionum, ex his, quae nunc profert Praesbiter Salvatori

ri, & tandem ex jam deductis a Clerico Sisti, qui sua jura tum distributa resumere precatur; EE. PP. dignabuntur dirimere Dubium,

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis dimisso Beneficio SSmi Salvatoris, & amplius.

MELEVITANA CANONICATUS. Dum immortalis, semperque recolendae memoriae S. Pontifex Pius VI. apud Carthusianos Florentiae diversabatur, instante utriusque Siciliae Rege multas delegavit Metropolitanis Neapolis, & Panormi facultates ex indulto dato *die* 18. *Julii* 1798.. Prae caeteris eisdem concessum fuit = *di provedere, e conferire in nome della S. Sede, ed in qualità di Delegati Apostolici li Beneficj semplici, Dignità, e Canonicati, benchè riservati, nel caso soltanto però, in cui il servizio della Chiesa, o la necessità del Culto non patiscano dilazione nel provedere*. Quae facultates Metropolitae Panormitano concessae translatae postea fuerunt in Archiepiscopum Heraclensem Supremum Siculi Regni Judicem, ut ex Rescripto ejusdem S. Pontificis Pii VI. *diei* 25. *Martii* 1799. = *Attentis expositis, & durantibus hisce temporum impedimentis substituimus Archiepiscopo Panormitano Archiepiscopum Heraclensem, eique potestatem facimus utendi omnibus, & singulis facultatibus pro Siciliae Regno ultra Pharum jam concessis, & in Indulto diei* 18. *Julii superioris anni jam expressis*. *Sess.22.cap.4. de Reform.*

Ratus est Heraclensis Archiepiscopus posse his uti facultatibus in Insula Melitae. Quare, cum per obitum Canonici Josephi Grillet *in mense Majo* 1799. Apostolicae Sedi reservato vacasset in Cathedrali Melitensi Canonicatum, sive Praebendam D. Blasio nuncupatam, eam tamquam Apostolicae Sedis delegatus per litteras expeditas *diei* 13. *Decembris* 1799. contulit Praesbitero Michaeli Cassar = *de consensu Episcopi Melitensis, dummodo ad ipsum liber pateat accessus* =. At novus provisus nullo modo obtinere potuit assensum sui Episcopi Melitensis, qui obsidione detinebatur in Civitate *Valletta* terra, marique, copiis, clas-

sibusque clausa. Quare iterum supplicavit Archiepiscopo Heraclensi = *per l'opportune providenze, mentre al Vescovo non può aversi altra communicazione, che furtiva, e pericolosa* =. Cui, ut occurrerent difficultati Metropolitanus Heraclensis per Rescriptum *diei* 4. *Aprilis* 1800 mandavit = *Vic. Generali ejusdem Melitensis Episcopi, ut consensum præfati Episcopi supplens litteras diei* 13. *Decembris* 1799, *favore Præsbiteri Cassar expeditas exequatur*. Hujusmodi Rescriptum cum delatum esset ad Vicarium Generalem, iste *die* 7. *Junii* 1800. decretum pro exequtione tulit, & postera die *octava Junii* Præsbiter Cassar nactus est possessionem Canonicatus, quam usque in præsens retinet, & choro semper interfuit.

Interea dum hęc agebantur, Episcopus Melitensis, licet obsidione clausus, rescivit in Cathedrali vacasse quinque Canonicatus. Cum autem jam *a die* 30. *Septembris* 1798. ab R.P. D. De Petro Delegato Apostolico in Urbe impetrasset facultates, semel postea, iterumque prorogatas = *di poter conferire, quando lo esigga il bisogno li Canonicati, le Parochie, ed altri Benefizj, che fossero vacanti, o venissero a vacare ne' mesi riservati alla S. Sede coll' espressa condizione, che li respettivi provisti sotto pena di nullità nel termine di un quadrimestre riportino le Bolle Apostoliche* =; hinc vacantes Præbendas contulit *die* 23. *Aprilis* 1800., quamquam in præcedenti Martio delegatæ expirassent facultates ob sequutam novi Ponsificis electionem, quæ tamen in Insula Melitę, & pręcipue in Civitate *Valletta* ignorabatur. Inter has collatas præbendas illa erat S. Blasii, quam Archiepiscopus Heraclensis jam concesserat Præsbitero Cassar; quamquam Melitensis Antistes contulit Sacerdoti Laurentio Salibæ longe prius, quam ille in possessionem controversæ Præbendæ ivisset.

Ut primum vero Melitam faustissimum allatum est nuncium de sequuta Regnantis Pontificis Pii VII. vere maximi electione; tum omnes *Provisi* ab Episcopo Melitensi, & præcipue Sacerdos Saliba a Dataria Bullarum expeditionem deprecati sunt, ut R. P. D. De Petro Apostolicus in Urbe Delegatus præscripserat in Indulto Melitensi Episcopo concesso. Quibus præcibus cum ab Emo Pro-Datario rescriptum esset = *Dentur*

tur supplicationes in forma signandi = cæteri Provisi nullo negotio litteras Apostolicas impatrarunt uno excepto Sacerdote Saliba = Huic enim se contradictorem præbuit Sacerdos Cassar, qui protestationem cum *nihil transeat* interposuit, ne illius favore Bulla Apostolica expediretur. Res itaque in vadimonio esse cæpit coram Emo Pro-Datario, qui Episcopum Melitensem interrogandum duxit. Hic vero plurima rescripsit observatu digna. Primum = *che è falso, che difficilmente si poteva avere il consenso del Vescovo prescritto nella Bolla sulla collazione del Canonicato, perchè tanto il General Francese si era incaricato più volte in tutti li bisogni di passare le mie lettere alla campagna; come il Commandante il Blocco Inglese più volte avea permesso, che le lettere mi si passassero dalla Campagna alla Città*. Deinde, *che il Vicario Generale abbia proferita la Sentenza esecutoriale, ciò è stato per un timor panico provato in vista degl' Ordini, che riceveva da Palermo, e dal Comandante Inglese*. Præterea = *s' osservi da' medesimi atti la mancanza della Citazione, che doveva farsi al Procurator Fiscale, che era necessaria per la loro validità* = Rursus notat = *l'invalidità della Collazione del Delegato Apostolico per Malta risulta dall' approvazione di cotesta S. Sede delle Proviste da me fatte nello stesso tempo in qualità di Delegato Apostolico* = & denique de contendentium meritis hæc habet = *Se si vuol riflettere ai meriti personali dei due Competitori, si troverà unicamente meritevole del Canonicato il da me provisto Sacerdote D. Lorenzo Saliba, siccome costa dagli atti della mia collazione fatta nella di lui persona, giacchè il Cassar sebbene adorno di ottimi costumi non ha verun merito in questa Chiesa Maltese*.

Ex quibus Emus Pro-Datarius duxit in contradictorio partium conflictu Decretum ferre *die* 19. *Novemb.* 1801. = *mandavit relaxari Supplicationem Instantis* (Sacerdotis Saliba) *cum Commissione ad Sac. Congregationem Concilii salvis juribus citati* (Præsbiteri Cassar). Expeditæ fuerunt Litteræ Apostolicæ mihi uti a Secretis Sac. hujus Congregationis directæ *in forma Commissaria*, in quibus expresse demandatur = *Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, Canonicatus, & præbenda prædicti adhuc, ut prius vacavisse, & vacare nos-*

 can-

cantur, *quatenus salvis juribus Michaelis Angeli Cassar prout de jure in Congregatione per eum deducendis Canonicatum, seu Præbendam*, *in quibus*, *vel ad quos*, *ut præfatus Laurentius Saliba asserit*, *nemo jus aliquod legitimum acquisivit*, *& dummodo tempore datæ præsentium non sit in his alicui legitime jus quæsitum*, *eidem Laurentio authoritate nostra conferas*. Litigantes monui, ut in Sac. Congregatione sub infrascriptis Dubiis sua jura deducerent; id quod prestiterunt *in Allegationibus*, ut moris est, EE.PP. distribuendis.

I. Dubium pertinet ad exequtionem litterarum Apostolicarum. In hisce enim expresse fassus est Saliba nullitatem Collationis ab Episcopo factæ, quippe qui usus est delegatis facultatibus, postquam electus jam erat novus Pontifex. Quare nititur nova Gratia ex integro concessa in litteris Apostolicis, cujus exequtionem pendere contendit ab illa conditione in iisdem litteris expressa = *dummodo tempore datæ præsentium non sit alicui legitimæ jus quæsitum* = Negat porro idem Saliba, quod Adversario suo Presbitero Cassar (cujus jura tum in Bullis, tum in Decreto Emi Pro-Datarii expresse reservata fuere) nullum sit quaesitum jus *ex collatione* obtenta ab Archiepiscopo Heraclensi tamquam Apostolicæ Sedis delegato, atque *ex successiva possessione* Canonicatus. Nam collationem reprehendit tamquam illegitimam, & inutilem. *Illegitima* quia non constare ait de Indulto eidem concesso, ut in mensibus reservatis conferre posset beneficia in Insula Melitensi. Immo inverosimile esse dicit ejusmodi indultum, statim ac iisdem facultatibus donatus fuerat Episcopus Melitensis, & collationes ab hoc facte probatæ postea fuerunt a Sede Apostolica. Quare presumi non potest, quod quod in præjudicium jurium ordinarii idem conferendi indultum duobus personis concessum sit ad ea quæ tradit *Rota in decis.* 305. *num.* 3. *coram Crispo*, *& in Majoricen. Beneficii* 9. *Martii* 1778. §. 12. *coram Azedo*.

Inutilem vero contendit Saliba collationem a Cassar impetratam sub conditione consensus Ordinarii, semel ac conditionem hanc non implevit, nec consensum reportavit *Rota coram Mantica decis.* 27. *num.* 23., *& coram Ubago decis.* 34. *num.* 2. ita ut ob inadimplementum injunctæ conditionis gratia velut resoluta,

aut

aut revocata videri posset. Nec refert, quod impervius esset accessus, ad Episcopum qui in Civitate *Valletta* obsidione cinctus erat. Nam Episcopus ipse testatur, quod sibi in ea Civitate moranti impeditus non esset litterarum commercium cum reliqua Diæcesi itaut ubi rescivit vacatas fuisse Præbendas eas canonice contulerit. Quare Presbiteri Cassar culpæ tribuendum esse tenet, si ut par erat non fecit diligentias, quibus removeret impedimentum, quominus assensum obtinere posset, velut in terminis *Rota decis.* 475. *num.* 8. *part.* 18. *Recent.*, *& in Celsonen. Canonicatus* 27. *Februarii* 1746. §. *Incassum cor. Cerro*.

Quod attinet ad captam Canonicatus possessionem, eam nil juris attulisse Presbitero Cassar, excipit Saliba. Nam illa *irrita* sit oportet, semelac procedit ab infecta collatione ut firmavit *Rota in Lauretana Cappellaniæ* 28. *Novembris* 1736. §. *At secus coram Calcagnino*, *& in Colonien. Canonicatus* 30. *Junii* 1741. §. 13. *coram Millino*. Preterea *invalida* dicitur, quia capta, nulla præeunte citation e Procuratoris fiscalis, neque capitulariter adepta fuit, ut ad ejus validitatem requirit *Text. in cap. si Capitulo* 5. *de concess. Præbend.* Rursus, cum apprehensa sit *die* 8. *Junii* 1800. *posterior* est collationi ab Episcopo Melitensi facta die 23. *præcedentis Aprilis*. Tandem metu fuit *extorta* a Vicario Gènerali *in vista degli Ordini che riceveva da Palermo*, *e dal Comandante Inglese*. Ex quibus Saliba concludit, quod nullum jus quæsitum fuerit Adversario suo Cassar, ut proinde Gratia Apostolica exequenda sit favore illius, qui ex testimonio Episcopi majora habet in Ecclesia merita per *Text. in Can. si forte distinct.* 65. *Fagnan. in cap. Cum autem num.* 28. *de Jurepatronat.* *Rota in Calaguritana Beneficii super Institutione* 15. *Maii* 1741. §. 2. *cor. Peralta*.

Hæc habet Saliba adversus Cassar, qui contra obreptionis, & subreptionis vitium impingit Litteris Apostolicis ab eo impetratis. Nam reticuit Summo Pontifici collationem factam ab Archiepiscopo Heraclensi, & possessionem quam Cassar in vim collationis nactus est, tum etiam quia falso narravit quod = *Canonicatus, & præbenda prædicti adhuc ut prius vacavisse, & vacare noscantur* = Quæ cum reticita, aut falso expo-

posita fuerint in supplicatione Summo Pontifici oblata vitium obreptionis, & subreptionis præseferunt, ita ut sanari non possit ex notitiis extrajudicialibus, quas aliunde habuerunt Officiales Dataria ut firmavit *Rota in Firmana Erectionis Collegiatæ* 31. *Januarii* 1753. §. 12. *coram Molino*, & *in Pacen. Portionis* 22. *Junii* 1757. §. 9. *coram Paracciano*. Refutat deinde Cassar ea quæ a Saliba superius opposita fuerunt de *invaliditate*, & *inutilitate* Collationis Archiepiscopi Heraclensis. Nam profert Indultum, & Rescriptum (quorum tamen copia simplex, neque authentica mihi exhibita est) in quo conceditur a Summo Pontifice facultas conferendi Beneficia in mensibus reservatis *pro Siciliæ Regno ultra Pharum*. Sustinet præterea, quod Insula Melitæ, quoniam Siciliæ adjacet, habeatur tamquam membrum, & Feudum ejusdem Siciliæ id quod nonnullis excerptis documentis a Cosmographis probat etiam authoritate *Card. de Luca de success. disc.* 38. *num.* 1., & *Sac. Rotæ in decis. apud Card. Petram in Coment. ad Constit. Apostolic. tom.* 2. *pag.* 23. *num.* 13., & *in Append. nuperrim. decis.* 519. *a num.* 10. *ad* 17.. Ex quibus concludit quod Archiepiscopus Heraclensis legitime poterat tamquam Delegatus Apostolicus conferre beneficia in Insula Melitensi.

Nil porro referre ait si collationi non accessit Episcopi consensus. Nam hoc erat ab Archiepiscopo Heraclensi præscriptus = *dummodo ad ipsum liber pateat accessus* = Si igitur aut nullo modo, aut certe difficilius ad eumdem Antistitem accedi poterat, si Cassar hanc difficultatem exposuit eidem Archiepiscopo Heraclensi, si hic jussit, ut per Vicarium Generalem suppleretur; jam succenseri Presbitero Cassar non potest, quod consensum Episcopi non impetrarit. Quare si legitima ex narratis videatur collatio, legitima quoque videri posset capta exinde possessio. Denique quoad hanc negat incussum metum Vicario Generali qui possessionem tradidit jussus quoque a legitima ecclesiastica potestate Episcopi Heraclensis.

II Dubium, quod respicit restitutionem fructuum, pendet a primo super exequtione literarum Apostolicarum. Si enim hanc EE. PP. rejiciant, nulli erant resti-

stituendi fructus. Sin vero decernent exequendas esse literas Apostolicas de quibus agitur, jam, cum Caesar nullo jure hactenus retinuerit Canonicatum, adigendus erit ad fructus restituendos a die captae possessionis ad tradita per Rotam *in Leodien. Beneficii* 27. *Junii* 1791. §.4. *coram Rmo de Bayane*, & alibi passim. Nil autem decerni poterit de fructuum summa nisi praemissa liquidatione.

Ex his alternatim disputatis geminum proponitur Dubium.

I. *An Litterae Apostolicae sint exequendae, in casu &c.*
Et quatenus affirmative.

II. *An, & a quo tempore, & in qua summa sint restituendi fructus in casu &c.*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Affirmative a die motae litis exceptis distributionibus quotidianis.

MONTIS ALTI PAROCHIALIS. Gravis annis, multisque morbis fractus cum esset Praesbiter Joseph Vetri Parochus *S. Mariae de Casalicchio* Oppidi Montis Monaci Diaecesis Montis Alti datus ei est ab Episcopo Cappellanus, sive Æconomus Curatus Presbiter Joannes del Duca. At postea vacata Paraecia per liberam resignationem ipsius Vetri, ab Episcopo *die* 24. *Junii* 1798. indictus est Concursus statuto pro examine *die* 11. *sequentis Julii.* Quinque concurrentes ad Curiam venerunt, ut sua nomina & requisita deferrent. Praestituta die fit examen, indeque scrutinium, in quo ab Examinatoribus omnes approbati declarabantur, licet non omnes iisdem suffragiis. Nam *Praesbiter Joannes Sanctes del Duca* habuit vota XI.; *Praesbiter Carolus Altieri* vota XIV.; *Praesbiter Carolus Angelini* vota XIII., & tandem duo *Clerici Guerrini & Trojani* Vo- *Sess.* 24. *cap.* 18 *de Reform.*

Vota XV. pro quolibet. Vicarius Generalis, qui absente Episcopo concursui præfuit, cuique ab Episcopo mandata erat potestas = *ad curata vacantia concursum indicendi*, *& eadem digniori conferendi* = sero *diei* 11. *Julii* Gratiam collationis signavit favore Joannis del Duca ipsius vacantis Pareciæ tunc Æconomi, quem digniorem reputavit. Sequenti vero die Cancellarius Episcopalis Bullas collationis dedit sub datum antecedentis diei 11. Julii, quo Gratia signata est.

Factum est, ut illa met die duodecima Julii Præsul Marcucci emeritissimus Montis Alti Episcopus in proxima Civitate Asculi hora fere undecima occubuerit. Hujus mortis rumor pervenit ad Civitatem Montis Alti vesperescente cælo. Nihilominus Sacerdos del Duca postera *die* 13. *Julii* nactus est Possessionem Pareciæ S. Marię *de Casalicchio*. At cum nonnulli Parochiani ejus electionem ægre ferrent *anno* 1800. recursum habuerunt ad Vicarium Capitularem vacantis Ecclesię Montis Alti, & acclamarunt in Parochum Præsbiterum Carolum Altieri, qui in concursu majora obtinerat suffragia. Facta hinc est Criminalis inquisitio in Parochum del Duca, qui suspensus a divinis in carcerem detrusus est. At provocante ad suum Metropolitanum Civitatis Firmi omnino absolutus fuit *ex capite innocentiæ*, & ad sua munia Parrochialia reintegratus, simulque damnatus Vicarius Capitularis Montis Alti ad damna, & expensas.

Nihilominus Præsbiter Carolus Altieri præces obtulit Sac. Congregationi, in quibus reclamavit a Judicio Episcopi, qui Præsbiterum del Duca prætulerat in collatione Pareciæ, se prorsus neglecto, quamquam digniore. Rursus ex pluribus capitibus illius collationis nullitatem deduxit. Interrogatus Episcopus Montis Alti, hæc refert *Vicarius Generalis qui concursui præfuit* (*quippe potestas presidendi*, *& eligendi non ei deerat*) *eadem ipsa die undecima Julii post occasum solis dignorem ex approbatis censuit Joannem del Duca*, *& diploma*, *quo Parochus dicebatur cum Immissionis precepto in Tabulario expediri jussit*. *Die duodecima ejusdem mensis hora fere undecima diploma*, *& Immissio a Tabulario Ecclesiastico prodiit*, *quæ tamen diem* 11. *inscriptum habebant*, *& hæc fere hora est qua deces-*

essset meus Marcuccius mortem obiit . Hisce in facto me missis innuit, quę hinc inde afferuntur super irrationabili judicio Episcopi & super nullitate collationis super quibus consulto se abstinet a patefacienda sua animi Sententia = *cum authoritate vestra dignoscenda sint*, *& plura ex jure*, *& plurima ex testimoniis probanda*, *ne judicium meum vestro*, *& frustra*, *& non modeste præferre immature videar* . Proponitur igitur causa in conflictu partium sua jura deducentium, quæ EE. PP. ex circumferendis allegationibus cognoscent.

Duo in controversiam veniunt sub infrascripto dubio scilicet judicium Episcopi, & collationis validitas. Sac. Synodus Tridentina *in sess.24. cap.18. de Reform.* jubet ut ex his, qui in concursu probati fuerunt = *Episcopus eum eligat*, *quem ceteris magis idoneum judicabit* = Quare cum conscientiæ Episcopi hoc judicium relictum sit, ut tradit *Benedict. XIV. de Synodo Diœcesana Lib.4. cap.8. num.9.*, profecto tamquam irrationabile accusari non poterit, nisi constet Episcopum digniore neglecto indignum prætulisse.

Alterius se digniorem putat tum ex actis concursus, in quo ab examinatoribus plura vota quam del Duca consequtus est, tum judicio Episcopi, qui eum selegit in Confessarium Monialium, tum ex electione ab Oppidanis Montis Monaci; qui eumdem ad Cappellaniam S. Benedicti nominarunt exclusis reliquis, & præcipue Sacerdote del Duca; tandem ex multis testibus, qui commendant ipsius doctrinam, Sacerdotales mores, diligentiam per octo fere annos in exercendis muniis Cappellani Curati. Contra vero reprobant del Duca tamquam indoctum, minus diligentem in cura Animarum, criminalibus præjudiciis obnoxium, & talem denique, quem *Plebs odit*, nec eum in Parochum ferre potest.

Præsbiter vero del Duca negat nunc in controversiam adduci posse judicium Episcopi cum *Alterius* intra decendium non appellaverit. Nam S. Pii V. Constitutio *in Conferendis* expresse mandat = *Peracto concursu collataque ei qui magis idoneus judicatus fuerit Ecclesia Parrochiali non admittatur appellatio*, *aut a mala relatione Examinatorum aut ab irrationabili judicio*

Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur = Cæterum profert sua merita, ne indignus Parochia videatur. Præter Confessarii munus, quod ad anno 1786. exercet, sæpe alias curam gessit animarum sive qua Cappellanus Curatus, sive qua Economus in hac ipsa Parecia Sanctæ Mariæ *di Casalicchio*. cum ejus senescens Rector huic muneri erat impar = Testimonio Parochorum, & Decurionum probet = *che hà esercitato il suo officio con commune sodisfazione* = Adversos testes non timet quippe suspectos postquam ipse quamquam accusatus, suspensus, in vinculis coniectus; nihilominus postea absolutus fuit *ex capite innocentiæ*. Affert tandem acclamationem plurium ex ex Patribus familias suæ Pareciæ, ut refutet ex adverso oppositam Plebis inimicitiam. Ex quibus concludit, se non fuisse indignum, qui ad regendam Paræciam eligeretur. Demum ex precepto a curia Ecclesiastica Montis Alti expedito contra Præsbiterum Altieri ejus vitę rationem in discrimen adducit.

In secunda parte dubii disputatur de validitate collationis, idque ex triplici capite. Primum quia non poterat Vicarius Generalis conferre Pareciam. Nam hæc collatio secumfert gratiam, quæ precipue reservata est Episcopo *ad Text. in Cap. Accedens*, & *Cap. Postulastis de Concession. præbend.*, & *Rota decis.* 406. *n.* 1. *part.* 19. *Recen.* Deinde quia si Vicarius poterat conferre ex mandata facultate, hæc expiraverit sequto obitu Episcopi. Tandem, quia ex testimoniis allatis constat, Vicarium contulisse Paræciam, postquam novit Episcopum morte defecisse, ut proinde capta exinde possessio dolo non careat.

Verum ponderandum est, quod Vicarius Generalis ex mandato Episcopi habebat facultatem expressam = *ad curata vacantia concursum indicendi*, & *eadem digniori conferendi* =. Constat autem ex Informatione moderni Episcopi, quod die 11. Julii Vicarius Generalis Gratiam collationis signavit, & postero die *hora fere undecima* Bullæ collationis relaxatæ sunt sub eadem fere hora, qua decessor Episcopus occubuit. Quare cum actus delegatæ Jurisdictionis exerceri cæpit ante obitum mandantis, forte poterat ad finem perduci, licet interea Delegans defunctus sit *ad Text. in Leg. Et*

quia

quia de jurisdict. omn. judic. Cap. Relatum, Cap. Gratum Cap. licet de Offic. , *& potest Delegat.* . Quocirca valida videri posset collatio Paraeciae ita ut legitima sit possessio capta a Praesbitero del Duca *die* 13. *Julii*, quamquam ea die apud omnes Episcopi obitus innotuisset.

Haec summa est utriusque Defensionis, ex qua EE. PP. deliberandum proponitur.

An constet de irrationabili Judicio Episcopi, & de validitate collationis in casu &c.

Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, & amplius.

COMEN· MISSAE PRO POPULO, ET REDUCTIONIS. In regione quam vocant *Valle di Muggio* inter Alpes Helveticas sita curam animarum olim exercebat Capitulum Loci Balermae. Cum tamen experientia compertum esset saepe habitatores Spiritualibus destitui subsidiis, quippe quia saeviente hyeme impervius erat iter ad Parçciam, hinc factum est, ut universa Vallis dispertita esset in multis Vice-Paræciis, quae dicuntur *di Sagno*, *Caneggio*, *Bruzella*, *Monte*, *Gabbio*, *Casima*, *Muggio*, *e Scudellato*. Singulis hujusmodi vice-paraeciis praepositi fuerunt tot Vicarii favore Capituli Balermae, quod jure matricitatis nonnullas annuas Functiones in iisdem Paræciis sibi retinuit. Hisce Vicariis data est congrua per simbolam a Parochianis exigenda, quae plerumque non excedit annua scuta sexaginta monetae romanae, quaeque prae inopia Familiarum in parte etiam persaepe remanet inexacta. Ex his vice-paraeciis illa *di Scudellato* recentioribus temporibus erecta est ex dismembratione alterius *di Muggio*. Parocho sive Vicario *di Scudellato* pro congrua assignata est tum collecta ex Parochianis, ex qua percipit quotannis scuta romana 28, tum Beneficium de jure patronatus laicali Familiç Clericetti, ex quo redeunt quotannis scu-

Sess. 23. *cap.* 1. *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

ta 31. cum onere missae festivae, cujus celebratio translata fuit in actu applicationis ad dies feriales. Quibus conjunctis cum incertis emolumentis in annuis scutis septem Vicarius ille in causam congruae lucratur annua *scuta* 66. Cum vero nunc inter belli calamitates, quae illas regiones grassarunt Vicarii collectam a Parochianis difficilius exigant, & pretia rerum nimium aucta sint, deprecantur a Sac. Congregatione reductionem Missę *pro Populo* ad dies festos solemniores. Parochus vero *di Scudellato* suo nomine postulat reductionem fæstivi oneris, quod adnexum est Beneficio sibi in causam congruæ assignato ad annuas Missas triginta.

Parrochiani ab hac reductione Missæ pro Populo non dissentiuntur. Nam in divisione Pareciarum declararunt nolle se Parochos huic oneri Missæ pro Populo subjectos. Patroni vero Beneficii adnexi Pareciæ *di Scudellato* expresse consensum reductioni præbent. Episcopus Comensis confirmat ea, quæ superius exposita fuerunt, & addit, quod hujusmodi Viceparochi sunt ex illo genere Vicariorum, qui tenentur ad celebrationem *Missæ pro Populo* ad normam Constit. *Benedicti XIV. Cum semper oblatas. Onera autem* (ait) *Viceparochis incumbentia sunt ea ipsa, quæ ceteris animarum Rectoribus competunt. Ceterum regiones illæ satis steriles majori, quam reliquæ premuntur inopia, ac aliunde cariori pretio victualia comparanda sunt. Nullum in hisce temporum angustiis suppetit remedium supplendi, vel augendi congruam. Nonnulli ex Viceparochis cum non habeant, unde vivere possint plures pro dimissione jam insteterunt, ac pertimescendum ne hortamenta mea negligere cogantur ob inopiam.* Quo vero pertinet ad instantiam Viçe-Parochi *di Scudellato* hæc notat = *Reductionem vero Missarum, quam Vice-Parochus Scudellati exorat misserimum esse remedium. Voti ergo essem, ut a Sac. Congregatione præfatorum Viceparochorum precibus indulgeatur.*

Primum Dubium pertinet ad instantiam, quam Vice-Parochi proponunt super reductione Missæ pro Populo. Negant primum se teneri ad applicationem *Missæ pro Populo*, quia proprie Parochi non sunt. Nam neque formalem capiunt possessionem, neque ad

ad titulum hujusmodi Pareciæ Sacris se ordinari possunt, cum velut Vicarii amovibiles reputentur, quos Parochiani in nova divisione Pareciarum ab hoc onere Missæ pro Populo liberatos declararunt. Addunt prætera, quod licet ex Sac. Concilio Tridentino *Sess.* 25. *cap.*1. de *Reform.* declaratum fuerit, quod a jure divino procedat applicatio Missæ pro Populo; attamen numquam a jure divino statutum est, quoties in anno sit applicanda, & ex Constitutione Benedictina *Cum semper oblatas* procedit præfinitum applicationis onus singulis diebus festis. Hinc concludunt, quod ex tenuitate redituum Parochorum, quorum aliunde congruæ consuli nequit, concedenda sit reductio Missę pro populo, ne Vice-Parochi ęgestate coacti parecias derelinquant. Hanc reductionem alias concessam fuisse constat a Sac. Congregatione ex literis in relatione Status Ecclesiæ redditis *Episcopo Albinganensi sub die* 4. *Maii* 1697. in hæc verba *Respondentes autem postulatis circa parochos suæ Diœcesis non valentes ex tenuitate redituum Sacrificium pro populo applicare, Amplitudini tuæ remittendum esse censuerunt EE. PP., ut quod expediens hac in re judicaverit decernere valeat; dummodo tamen in aliquibus saltem diebus solemnioribus præfati Parochi Sacrificium celebrare non prætermittant* = ut constat ex *Libr.* 19. *Visit. Sac. Limin. pag.*62.

Verumtaman ad applicationem Missæ pro Populo tenentur etiam Vicarii amovibiles, quos penes est actualis cura, ut declaravit citata *Constit. Benedict. XIV. Cum semper oblatas* §. 6., ut proinde ad applicationem compelli possint Vice-Parochi hujusmodi, quibus actualis cura animarum commissa est, quamvis nec in titulum paræciam obtineant, nec in ea perpetui sint, atque ad nutum expelli possint, ut statuit Sac. Congregatio *in Ægitanien. Visitationis Sac. Liminum* 18. *Junii* 1789.. Neque hoc onus a se avertere possunt ex consensu parochianorum, cum a jure divino impositum sit, & a Parochis impleri debeat ratione muneris, non bonorum, & congruæ, quam possident ut tradit *Monacell. tom.*4. *in Supplem. ad form.* 7. *n.*3. & definivit Sac. Congregatio *in Ferentina* 15. *Martii* 1735., *& in Tyburtina Applicationis Missæ pro Populo*

pulo 21. *Novembris* 1801. Hinc est, quod licet congrua sit exigua, nec aliis modis augeri valeat ad præscriptam quantitatem, nihilominus Parochi, quamdiu curam retinent, applicare tenentur, ut controversia intimius scrutata statuit Sac. Congregatio *in Civitatis Castellanæ* 26. *August.* 1628. *lib.* 13. *Decret. p.* 62. *& in Forosempronien. Missæ Parochialis proposita die* 25. *Januarii*, *& resoluta die* 8. *Februarii* 1716. in qua disputato Dubio = *An Parochi, de quibus agitur, non habentes Congruam teneantur applicare Missam pro populo saltem diebus fæstis, ita ut sint cogendi* = responsum fuit = *Affirmative*, *& dentur Decreta alias hac de re ædita*, *& signanter in Civitatis Castellanæ &c.*

Attenta vero ægestate id solum indulsit Sac. Congregatio = *Scilicet posse ab iis Parochis ad ægestatem sublevandam stipendium accipi, licet diebus fæstis prebeatur, & Sacrificium quod pro Populo celebrandum fuerat, offerri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alio hebdomadæ die pro populo illud offerentes suo muneri satisfaciant*, ut *Benedict. XIV. in instit.* 16. *num.* 6. refert hanc mentem fuisse Sac. Congregationis *in Ostien.* 29. *Januarii* 1724., & ipse Pontifex factus expressè declaravit in allegat, Constit. *Cum semper oblatas* §. 7.

Quoad instantiam Parochi *Scudellati*, de qua est *secundum Dubium*; postulat hic reductionem Missarum, quæ adnexa sunt Beneficio in partem congruæ eidem assignato. Ex fundatione ei festivum onus incumbit, quod annuas secumfert Missas 82. Onus idem in applicatione translatum est ad dies feriales, cum Parochus diebus festis Missas applicare pro populo teneatur. Reditus qui integre quotannis percipiuntur in summa scutorum triginta unius suppetunt celebrationi Missarum, quo casu non probata insufficientia redituum semper Sac. Congregatio reductionem Missarum rejecit passim, & præcipue *in Seguesien. Reductionis Missarum* 16. *Aprilis* 1791. Maxime cum Vice-Parochus percipiat scuta viginti octo ex collecta a Parochianis, & scuta unum, & triginta ex reditibus Beneficii ita ut habeat summam scutorum quinquaginta, quæ pro congrua Vicariorum, qui perpetui sunt, as-

signa-

signavit S. Pontifex Pius V. *in sua Constit.* cujus initium *Ad Exequendum edita die* 1. *Novembris* 1567.

Nihilominus Episcopus testatur, quod ob aucta rerum pretia, & calamitates, quæ in illis regionibus, bella attulerunt, Parochus *Scudellati* inopia prematur. Huic vero indigentiæ succurri nequit ordinariis remediis præscriptis a Sac. Concilio Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* Quo casu ad levandam indigentiam Parochorum reductionem Missarum concessit Sac. Congregatio *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., *& in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782. *& in Novarien. Reductionis Missarum* 23. *Novembris* 1793.

Cæterum animadvertendum est, quod hæc reductio Missarum, quæ adnexa sunt Beneficio, tum locum habere poterit, quatenus denegetur *in primo Dubio* reductio Missæ pro Populo. Nam Parochus *Scudellati*, una cum reliquis a se hoc onus repellere postulat, unde cum reducto onere Missę pro Populo consequeretur argumentum Congrue, non esset concedenda hęc altera reductio Missarum, quę Beneficio adnexæ sunt, Sin vero harum reductio EE. PP. concedenda videtur, tum ab eorum arbitrio pendet numerus ad quem reducendæ sint. Parochus postulat, ut ad triginta annuas reducantur.

Unum hinc, alterumque proponitur dubium.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missæ pro Populo in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit reducendum Missarum onus adnexum Beneficio unito Parœciæ Scudellato in casu &c.*

Ad I. Negative, & ad Mentem.

Ad II. Negative.

TYBUR-

Sess.21.Cap.7. de Reform.

TYBURTINA EXPENSARUM. Cum duo essent Parochi in parochiali Ecclesia *Castri Madamæ* Sacra hæc Congregatio instante Episcopo Tyburtino *die* 12. *Decembris* 1767. decrevit = *ut cum alter ex his Parochis vita functus esset, unus constituatur parochus superstes nulla ipsi accessione emolumentorum facta, sed datis duobus Vicariis perpetuis, qui eum adjuvent in cura animarum ab Ordinario pro tempore approbandis. Reditus vero tam certi, quam incerti vacaturæ portionis æqualiter inter eosdem dividendi assignentur.* Ita factum est *die prima Septembris anni* 1784. quo cum e vivis excesserit alter ex duobus Parochis; hodiernus Episcopus Tyburtinus prævia abolitione vacantis portionis curatæ, ejusque tituli collativi ad præscriptum recitati Decreti duas Vicarias instituit.

Ad earum unam electus fuit Andreas Panardo, qui ratus posse se libere exercere jura parochialia, hac super re cum Archipresbitero Giustini contentionem suscepit. Sed proposito Dubio in hac S. Congregatione *die* 16. *Junii* 1792. = *An, & quorum Jurium Parochialium exercitium competat Vicariis* = responsum fuit *Negative, nisi de consensu, & licentia Archipresbiteri* = Hinc lis ex lite. Nam Panardus tamquam Vicarius negavit, se teneri ad applicationem missæ pro populo. Qua quidem in controversia obtinuit in Congregatione *diei* 21. *Novembris* 1801. Hac enim die proposito Dubio = *An Vicarii perpetui Castri Madamæ teneantur alternatim cum Archipræsbitero Dominicis, & diebus fæstis applicare Missam pro Populo; seu potius hoc onus spectet ad unum Archipræsbiterum in casu* rescriptum fuit = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* ut videre est in Folio ejusdem diei in causa *Tyburtina Applicationis Missæ pro Populo*.

Nunc vero Vicarii nolunt amplius, ut hactenus fecerunt, contribuere pro dimidia expensas, quas Parochus facere tenetur in Ecclesia Parochiali, scilicet pro hostiis, thure, oleo, cera, funibus, utensilibus, Æditimi stipendio, schedisque implentibus paschale præceptum distribuendis. Qua de re cum exquisitum fuisset Judicium S. Congregationis, hæc ab Episcopo Sententiam suam rogavit post auditum Archipresbiterum, & Vi-

Vicarios patefaciendam. Atque is ex rationibus inferius exponendis censet expensas hujusmodi pro medietate ab Archipresbitero, pro altera medietate a Vicariis pro virili esse subeundas, concluditque in haec verba = *gratis asseritur ad hujusmodi expensas teneri solum Parochum*. *In Terra Castrimadamae tenebantur revera Parochi*; *ergo una cum Parocho tenentur Vicarii*, *qui in locum suppressi Parochi suffecti fuerunt*, *& reditus omnes susceptae portionis curatae percipiunt* =.

Profecto cum Parochus reputetur Sponsus suae Ecclesiae tenetur subire onera pro ornamentis, & illius manutentione. Solemne hinc est in jure, ut nisi contraria adsit consuetudo, vel conventio, vel constitutio Ecclesiae expensae hujusmodi ad Parochum pertineant ut de oleo lampadum tradit *Barbos. de Offic.*, *& potestat. Parochi part.* 2. *Cap.* 20. *num.* 30. de cera, & Candelis docet, *Gavant. in Manual. Episop. Verb. Benedictio num.* 12., & in genere quoad provisionem SS. Utensilium post *Text. in Cap. de his de Eccles. aedif.* docuit *Albert. de SS. Utens. Cap.* 12. *pag.* 204. *num.* 142. *tom.* 1., *& Rota in Colonien. Utensilium* 24. *Martii* 1760. §. 2. *coram Frangipane*. Quare Vicarii, qui Parochi non sunt, non aliter compelli possent ad has expensas, nisi constet ex peculiari consuetudine, conventione, vel Statuto hujusmodi oneri fuisse subjectos, a quo ex jure eximuntur.

Reque vera Archipresbiter Justini nititur consuetudine, ex qua in Oppido Castri madamae cum duo essent Parochi pro virili has impensas faciebant. Postquam vero una portio curata supressa est, & in illam subrogati fuerunt duo Vicarii, isti una cum Archipresbitero expensas contulerunt, quae ad suppressam portionem curatam pertinebant, ita ut Archipresbiter pro medietate, Vicarii pro altera medietate quotam expensarum darent. Praecipue, quia reditus tam certi, quam incerti Parochiae suppressae non accreverunt Parocho, sed inter Vicarios dividuntur, unde si fruuntur iisdem emolumentis, quae ad extinctam portionem curatam spectabant, aequum videtur, ut praestent onera eidem portioni inhaerentia. Absurdum autem esse

V dicit

dicit, ut Vicarii percipiant incertos reditus ex benedictione domorum, ex Baptismis, matrimoniis funeribus, & Parochus teneatur solus conficere expensa pro Schedis Paschalibus, pro parochialibus codicibus & pro funibus, quæ occasione funerum consumuntur. Et sane Vicarii dum contribere nolunt iis expensis quæ necessariæ sunt ad percipienda incerta *Stolæ*, & nihilominus emolumenta percipiunt, sane locupletari tentant cum aliena jactura contra monitum *Text. in L. 64. ff. de R. J.*

Hæc profert Archipresbiter Giustini, probatque in sua Informatione Episcopus. Contra Vicarius Panardo, cum neget se ab Episcopo auditum, in scriptis mihi exhibuit, quæ EE. VV. patefacerem. Principio enim falsum esse dicit, quod Vicarii teneantur ad expensas, quas suppressa portio curata subire debebat. Nam in Decreto S. Congregationis *die* 12. *Decembris* 1797. jubetur quidem, ut reditus certi, & incerti vacaturæ portionis dividantur inter Vicarios, sed nullatenus præscribitur, ut a Vicariis sustinerentur onera, quæ suppressus Parochus præstabat. Quin putandum sit Archipræsbitero damnum inferri, si solus nunc subeat impensas, quas olim ante Vicariorum institutionem cum altero Parocho dividebat. Nam unus nunc est qui habet jura Parochialia, quique a duobus Vicariis adjuvatur in excipiendis confesionibus, in assistendis moribundis, & in toto illo parrochiali labore. Quod quidem quale quantumque commodum afferat ex eo patere dicunt Vicarii, quod cum duo essent Parochi, uterque utebatur ope alterius Præsbiteri stipendio conducti, ex quo ipsi soli parochialibus muneribus supplere non possent. Quare si Archipresbiter nunc expensa hujusmodi caret, si habet duos Coadjutores, si unus Archipræsbiter juribus Parochialibus fruitur, æquum videtur ut ipse unus expensas suppleat ad Curam Animarum exercendam necessarias.

Ex his concludunt Vicarii, non esse incongruum, quod incerta Stolæ ipsi percipiant, quæ eis dantur in compensationem majoris laboris, quem nunc Vicarii subire tenentur. Neque si per duodecim annos Vicarii in expensas contribuerint, exinde sequitur ut nunc inde-

indebitum onus a se repellere nequeant. Sive enim has expensas errore ducti fecerint, sive quia se Parochos putabant; certe quidem, quoties ex jure Vicarii in has impensas contribuere non tenentur, brevissima duodecim annorum contraria observantia ex errore inducta nullum eisdem inferre videtur præjudicium. Dubium est.

An Vicarii Castrimadamæ teneantur ad expensas, de quibus agitur in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

ROMANA REDUCTIONIS ONERUM. Gregorius Quinziani anno 1764. in Ecclesia *S. Mariæ in Via Lata* Urbis erexit = *un Benefizio residenziale da accrescersi agli altri sette ivi esistenti*. Fundum Beneficio taxative constituit in viginti LL. Montium, ita ut *non possa il Rm̄o Capitolo, nè il Collegio de' Beneficiati possano avere azzione, o jus alcuno di pretendere la reintegrazione, o supplemento, perchè la sua determinata volontà è d'offrire a Dio li venti Luoghi di Monte, e non più; ne possa il Beneficiato pro tempore per le cause sopra espresse domandare in alcun tempo alcuna benchè minima reduzzione, o diminuzione di tutti li pesi imposti*. Hæc autem onera precipua injuncta fuere: Scilicet *servitium chori* una cum ceteris beneficiatis sub pena fallentiarum obeundum juxta Constitutiones Capituli, quæ prescribunt servitium *alternativum* per hebdomadas excepto quadragesime tempore, aliisque diebus in quibus *communis* est interessentia, & quatuor mensibus æstivis, qui Capitulares *per quarteriam* choro adsunt; *applicatio* Missæ conventualis sine ullo emolumento; *applicatio*, & *celebratio* in eadem Ecclesia Colleggiata duarum Missarum in singulos menses pro expiatione animæ fundatoris; & tandem *celebratio* Missæ sine applicatione in Ecclesia *Sess. 25. Cap. 4 de Reform.*

S. Mariæ supra Minervam, quo die in ea recurrit Fæstum Beatę Stephanę Quintiani.

Qui nunc possidet hoc Beneficium Præsbiter Joseph. Jaccarini postulat a S. Congregatione, ut pro diminutione redituum LL. Montium pari ratione onera reducantur. Preces remissæ fuerunt Emo Diacono audito Capitulo. Hoc reductioni assentitur certis tamen propositis conditionibus, ut nimirum Orator exemptus sit a servitio chori in diebus tantum *communibus* exceptis solemnioribus, & toto quadragesimę tempore demptis diebus Dominicis, S. Joseph, & Annunciationis B. M. V.; ut missarum hebdomadalium oneri pro medietate satisfaciat; ut punctaturis subiiciatur, quibus diebus choro interesse tenetur, de reliquorum vero fallentiis, attenta prefata servitii reductione, pro medietate tantum participet; ut tandem missę annuæ viginti quatuor ex fundatione quotannis celebrandæ reducantur ad duodecim, scilicet unicam in singulos menses, & firma remanente, quę in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam est celebranda. Laudatus Emus probans Capituli Votum ait, quod reditus beneficii non consistunt nisi in fructibus LL. Montium, *unde* EE. VV. *valeant inde arguere, an proposita reductio sit congrua, & æqua* =.

Reductioni Missarum repugnat voluntas Fundatoris, qui expresse jussit *nè possa il Beneficiato pro tempore domandare in alcun tempo alcuna benchè minima riduzione, o diminuzione de' pesi.* Quæ sane prohibitio Fundatoris cum per contractum acceptata fuerit, sequitur, ut onera sint adimplenda, licet nunc impar evaserit emolumentum, ut docet *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. Lib. 13. Cap. 25. num. 23.*, & Sac. hæc Congregatio statuit in *Senogallien. Reductionis Missarum 23. Aprilis* 1796. Deinde fructus Beneficii redeunt nunc ad annua *scuta* 24. Missæ celebrandę sunt quotannis vigintiquatuor. Unde detracto hoc onere, quę supersunt *scuta* 21., & 60. conjuncta cum distributionibus, satis esse videtur pro servitio Chori, quod prestat Beneficiatus cum *alternativa*, & tempore æstivo *per quarteriam*.

Hæc tamen usque eo obtinent, quo onerum accepta-

tio

tio non vergat ad iniquitatem, & læsionem quæ in obligationibus tractum successivum habentibus a futuro eventu etiam estimari solet, ut tradit *Zanch. de læsion. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 37., *& Sac. Rota in decis.* 237. *num.* 7. *coram Ratto*. Quare, dum annui redditus *a scutis* 60., quæ a LL. Montium tempore assignationis redibant, ad *scuta* 24. imminuta sint, & rerum pretia in duplum sint aucta, profecto læsio aperta videtur, si eadem onera Beneficiatus subire deberet pro annuis scutis 24., quæ olim præstabat pro scutis 60. Inverosimile autem est quod testator nostrorum temporum discrimina mente revolveret, ut, proinde illa prohibitio, ne reductio peteretur, intelligenda est, si qua levis accideret, & momentanea redituum diminutio, non si ad tertiam fere partem redigeretur. Quibus in terminis non raro Sac. Congregatio reductionem concessit *in Syracusana Missarum* 10. *Marti* 1759. *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., *& in Anconitana Missarum* 16. *Martii* 1782.

Ad *modum*, quod attinet a Capitulo propositum reducitur servitium Chori ad dies feriales, in quibus magis necessaria est præsentia Oratoris, qui in diebus communibus a servitio eximitur, & Missæ ad medietatem celebrandæ reducuntur. Quamquam vero ubi una cum celebratione Missarum conjunctum est servitium Chori, potius hoc, quam Missæ reducantur ex doctrina *Fagan. in cap. ex Parte de Constit. num.* 34. *Passarin. de statu hominum Tom.* 2. *quæst.* 187. *num.* 1095. §. 23. *& Sac. Congregatio in Derthonen. Reductionis Onerum* 19. *Maii* 1787.; attamen ab hac regula receditur ex contraria fundatoris voluntate, si ex ea appareat servitium Chori prætulisse celebrationi Missarum ut facere consuevit Sac. Congregatio *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., *& in Urbanien.* 30. *Augusti* 1788.. Quod vero Fundator Quinziani prædilexerit servitium Chori patet, tum ex causa finali, dum institutum voluit = *un benefizio residenziale da accrescersi agl' altri sette ivi esistenti* =; tum etiam ex ordine scripturæ, dum de Chori servitio prius meminit quam de Missis; & denique ex summo studio, quo Choralem interessentiam per suum beneficiatum præstandam ad instar aliorum explicavit; quas circumstantias ad eruendam Fundatoris

toris voluntatem in proposita quæstione plurimum conferre tenet *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ultim. num.* 23.

Hinc emergit dubium.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

ABELLINEN. DISPENSATIONIS. Cum anno 1784. multi adolescentes ex vicinis Oppidis simul convenissent, ut in profesto die ad proximum Pagum animi recreandi causa accederent; inter hos fuit Clericus Michael Martucci e terra *Mercogliano*, qui armatus sclopo venatorio cum aliis una iter fecit. Ut omnes pervenerunt, quo tendebant, juvenem nacti sunt loci indigenam, plerisque, & præcipue Martuccio ignotum, qui eos advenas comiter exceptus vino multo refecit, & vesperescente cælo ipsis comes factus est, ut eos ad suas domus deduceret. Qua turba tandem divulsa, cum Martuccius, & ignotus juvenis remotis cæteris soli essent, hic illum præcedere jussit, & licet nulla orta esset rixa, attamen quia temulentus erat in Martuccium balistam igneam, quam gestabat sepius dirigebat, ut eum enecaret. Quod cum Martuccius novisset precibus & lacrimis eum, ut à proposito desisteret, exorabat: sed frustra omnia. Juvenis enim balistam igneam tandem in eum explodit; cumque juvante fortuna eum non læsisset, festinanter iterum balistam onerare satagebat. Tunc vero Martuccius certæ mortis terrore perculsus, & sui non amplius compos in ebrium Juvenem balistam exoneravit, atque interfecit. Post patratum hoc homicidium per annos duodeviginti optimam tenuit vitæ rationem, & pænitens factus nunc in Cappuccinorum Familiam nomen suum vult profiteri. Sed cum ei obstet commissum homicidium à Sacra Congregatione deprecatus est dispensationem ab irregularitate, & à regula Seraphici Ordinis, quæ vetat, ne criminosi in cætum recipiantur.

Narrata retulit Episcopus Abellinensis, qui præterea hæc addit = *constat partem cum eo gratis se jam composuisse,*

fuisse, cujus compositionis vi a Fisco, & a Magna Curia Vicariæ Neapolis omni ex parte absolutus, & liber etiam dimissus fuit, qua libertate domi suæ degens gaudet. Nec pœnitentiam peragere omisit. Pedes enim Romam accessit, factaque D. Petri Apostolorum Principis penitentiario peccatorum suorum confessione, satisfactionum ab eo sibi per duorum annorum spatium impositam jam adimplevit. Quod autem constans fuerit, & sit vitæ emendatio non solum testati sunt Archipræsbiter, & alii fide digni conterranei fatentes ipsum postquam tribus retroactis annis exercitiis Spiritualibus in religiosa domo vacaverit, semper inde pie, & devote vixisse, sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ sæpe sæpius frequentando, verum etiam ipsa hujusmodi stirictissime vitæ electio in ætate circiter triginta annorum, quos agit, satis seperque declarat. Et quod ex superiorum licentia in Cappuccinorum Familiam acceptatus sit, ex iis, quæ rescivi, nullus dubitandi locus relinquitur. Tandem animi mei sententiam aperiens censeo posse EE. PP. ob superius exposita cum Oratore super irregularitate, quam ob præfatum crimen incurrit, benigne dispensare ad finem; ut in præfatum Cappuccinorum Ordinem ad aliorum exemplum ingrediatur, professionemque emittat.

Nullam affici irregularitate eum *qui mortem aliter vitare non valens suum occidit invasorem* definit *Clement. Unica de homicid. volunt, vel casal.* Et quamquam D. *Thomas* 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 7. *ad* 3. putet, quod homicidium ad sui defensionem patratum secumferat irregularitatem, & hanc ipsam Sententiam sequi videatur Sac. Concilium Tridentinum *in sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*, dum dispensationem ab irregularitate jure quodammodo indulgendam statuit in homicidio = *non ex industria, sed casu, vel vim vi repellendo* = commisso; attamen hæc eatenus accipienda sunt, quatenus, qui ad se defendendum interfecit aliquem, justum excessit defensionis modum; ut *Clementinæ dispositionem, & Decretum Tridentini* conciliant Canonistæ, & præcipue *Suar. decis.* 46. *de Censur. sect.* 1. *num.* 3. *Navar. Consil.* 36. *tit. de homicid. voluntar. &c. Pirhing. in Ius Canon. lib.* 5. *tit.* 12. *sect.* 3. §. 1. *num.* 77. *Schmalzgrueber in jus Ecclesiastic lib.* 5. *part.* 2. *tit.* 12.

Illud

Illud igitur inquirendum est, num Martuccius, qui certe commisit homicidium ad sui defensionem, & ut vim vi repelleret, tamen id fecerit servato *moderamine inculpatæ tutelæ, & non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam* ad monitum *Text. in Cap. Significasti 2. de Homicid. Volunt.* itaut *necessarium* prorsus homicidium commiserit.

Dubitandi ratio ex eo oritur, quod antequam homicidium patratum sit ipse Martuccius indulsit vino, & arma venatoria gestabat. Quare cum daret operam rei illicitæ, homicidium si quidem in *effectu* necessarium, in causa tamen voluntarium renunciari posset, ut tradit *Fagan. in Cap. Quidam de Homicid. num.2.*, *Monacell. Formul. legul.* 3. *num.* 34. *tom.* 2., & *Sac. Congregatio in Feretrana Irregularitatis* 19. *Decembris* 1801. Nihilominus ponderandum, quod non constat Martuccium fuisse ebrietate captum, ut causam dederit rixæ. Patet immò, quod nullum jurgium inter Socios fuerit, quoad una simul fuerunt. Non ergo Martuccius causam ullam præbuit homicidio. Cum vero ex relatioce Episcopi constet, quod Martuccius injuste aggressus fuerit, quod modum servavit in sui defensione, quod demum ad se tuendum incontinenti homicidium commiserit; probata sane videntur tria illa requisita, quæ ex frequentiori DD. Sententia concurrere debet, ut moderamen inculpatæ tutelæ intercessisse videatur; secundum doctrinam *Clari* §. *Homicidium num.* 34., quam illustrat *Reiffenstuel. in jus Canon. Lib.* 5. *Tit.* 12. §. 4. *num.* 132.

Reque vera Episcopus affirmat Oratorem aggressum fuisse ab ignoto juvene, cum cæteri socii essent remoti. Sive hoc ex mala aggressoris mente processerit, sive ex furore, vel ebrietate, hoc certum est, quod *causa* aggressionis fuit injusta, semel ac Martuccius nullam præbuit rixandi occasionem, ut post *Text. in leg. Si quis* 3. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* observat *Farinac. prax. Criminal. quæst.* 123. *num.* 74. Rursus ex relatione Episcopi patet, quod Martuccius precibus, & lacrimis exoravit Aggressorem, ut à proposito desisteret, & extrema expertus est, quin aliquid profecerit. Cum fugam arripere nil juvaret, merito se defendit post explosionem adversæ balistæ igneæ, & cum vi-

vidisset aggressorem iterum illam cunctantem. Quod si nemo injustam aggressionem expectare tenetur, certe *modum* servasse is dicendus est, qui se defendit postquam per primam balistæ explosionem in vitæ discrimen fuerat adductus, ut tradit *Avila de Censur. part.* 3. *disput.* 5. *sect.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 1. Tandem idem Episcopus testatur, quod mors aggressori à Martuccio inflicta est ictu Sclopi, quod gestabat ad venationem *minutissimis plumbeis globulis* oneratum, ut dubitari non possit, quin homicidium commissum sit in continenti ad vim repellendam, ut monet. *Text. in cap. Si vero de Senten. Excommunicat. leg. Quod est* §.9. *ff. de vi armata*.

Cæterum num tria hæc requisita rite nec ne observata sint ad moderamen inculpatæ tutelæ, deliberandum erit ab Emis Patribus, cum hoc pertineat ad prudentiam Judicis teste *Pirhing. in jus Can. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 9. Quod si dubia res videatur, tum saltem apertum est ex relato Decreto Concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* quod irregularitas hujusmodi sit *dispensabilis*. Præcipue quando subsunt causæ ad dispensandum idoneæ, licet agatur de Clerico promovendo, cum quo severius procedi solet. ut statuit Sac. Congregatio *in Savonen. Irregularitatis* 26. *Martii* 1780. Causæ vero hujusmodi sunt: partis & Fisci compositio, pœnitentia per triennium exercita de patrato facinore, & obliteratum jam a memoria hominum delictum post cursum decem & octo annorum, & tandem propositum capessendi religiosum institutum strictioris observantiæ. In quibus terminis, licet ageretur de homicidio prorsus voluntario Sacra Congregatio dispensationem pronius concessit, ut *in Messanen. Irregularitatis* 12. *Junii* 1781.

Postulat præterea Martuccius dispensationem a regula Ordinis Seraphici, qua cavetur, ut adoptandi in familiam = *sieno di buona fama, ma gl'infami, come chi fosse stato convinto di peccato nefando fosse stato in Berlina, o publicamente frustato, o avesse fatto delitto scandoloso come libello famoso, tradimento, o simili, non sia ricevuto* = Homicidium quidem secumfert infamiam *ex Can. Infames* 17. *Caus.* 6. *quæst.* 1. Sed hoc pertinet ad homicidium voluntarium injustum; non

X vero

vero ad necessarium commissum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nam cum ex jure naturæ permissa sit sui ipsius defensio; hinc nulla irrogatur infamia sive facti, sive juris in eum, qui ad sui tutelam alterum occidit *Reiffenctuel. in Ius Canon. Lib. 5. tit. 37. §. 3. num. 35.* Quare sive certa sit, sive dubia qualitas necessarii homicidii velut ad propriam defensionem patrati à Regulis Ordinis dispensatione indigere videtur Orator, cui cæteroquin viam sternit acta diu pœnitentia, & commendatissima post homicidium habita vitæ ratio, qua priores culpas delevit.

Hinc deliberandum proponitur.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Die

Die Sabbathi 21. ***Augusti*** 1802. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

ROMANA REDUCTIONIS ONERUM. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Affirmative juxta mentem: mens est quod adimpleantur omnia onera Missarum, & reducatur servitium Chorale juxta votum Emi Diaconi exclusa deductione participationis fallentiarum donec augeantur redditus.

ABELLINEN. DISPENSATIONIS. Hæc causa pertinet ad Folium præcedentis Congregationis *diei* 17. *Julii*. Postquam vero Episcopus Abellinensis Informationem remiserat, ex litteris recenter datis Emo hujus Sacræ Congregationis Præfecto certiores reddit EE. VV., quod *Orator Michael Martucci natus, & adultus in Oppido Meremiani Jurisdictionis Abbatis Generalis Montis Virginis Nullius Diœcesis non jam meæ hujus Abellinensis, est ipsius Abbatis Generalis in præsentiarum subditus, ac proinde ad Abbatem ipsum Generalem spectat ejusmodi cognitio, & delegatio*. Videant hinc EE. PP., num differenda sit causæ decisio, ut Abbas Montis Virginis audiatur. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Dubium est:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Dilata, & audiatur Abbas Montis Virginii.

ess.25.cap.11 e Reform.

FIRMANA EMPHITHEUSIS. Proposita hæc causa est in Congregatione *diei* 19. *Junii nuper elapsi*, in qua vadimonium deserente Fulgentio Travalloni, frustraque dilationem deprecante interrogati EE. PP. = *An, & cui sit concedenda Emphitheusis* = responderunt *Negative* = Ex impetrato novæ Audientiæ beneficio Travallonus *in sua allegatione* de more distribuenda multa affert, ut bona sodalitatis *SSmi Rosarii, & Sacramenti Criptæ Azzolinæ* in Emphitheusim concedantur, licet Sodales huic Emphitheusi acriter repugnent.

Nam primum contendit, quod Emphitheusis utilis sit Sodalitati. Siquidem ea, quæ communiter possidentur communiter negliguntur, & præcipue in bonis Sodalitatum, in quibus Administratores quotannis mutantur, Præcipue cum tamquam utilem Emphitheusim hujusmodi probet Archiepiscopus, cui semper plurimum est deferendum, ut tradit *Turricel. de Reb. Eccl. non alienan. cap.9. num.37. & Rota decis.* 219. *num.9. coram Herzan.* Accedit, quod dum Sac. Congregatio jussit, ut publicarentur ædicta ad accersendos oblatores, visa est in genere probasse utilitatem Emphitheusis. Tandem hanc utilitatem ex facto probat Travallonus. Nam ex hisce bonis vix redeunt annua *scuta* 257., & ipse obtulit annuum Canonem in scutis 320.

Demonstrata hoc modo utilitate ineandæ Emphitheusis nil negocii facessere dicit, si Confratres abnuant Emphitheusim. Nam cum iste dissensus nulla justa causa nitatur, ab hac Sac. Congregatione omnino poterit suppleri, ut ad *Text. in Cap. Nullus, ibique Glossa in verb. offeratur de Jurepatronat,* tradit Rota *decis.* 14. *num.*4. *coram Falconer. de Jurepatron.* Quod eo maxime obtinere debet, cum in Constitutionibus Synodalibus *Tit. de bon. Ecclesiastic., eorumque administrat.* expresse caveatur, *ut ad omnes fraudes propulsandas, pro viribus curent omnium piarum Sodalitatum curatores ea bona vel locare, vel in emphitheusim ad tertiam generationem masculinam concedere, petita tamen Apostolica authoritate.* Neque si Verzierus Testator ex cujus hæreditate hæc bona procedunt, mandavit, quod *il mio Erede* (scilicet Sodalitates) *sia assoluto padrone, ed esente da qualsivuglia ordine, decreto, e disposizione da qualsivoglia Giudice, nè es-*

sa

so Erede sia obligato in verun modo obedire; idcirco non possint cogi confratres ad ineundam Emphitheusim. Nam privati hominis voluntate tolli nequeunt jura supremæ Potestatis *Leg. Non dubium Cod. de legibus*.

Quin fraudentur pauperes, in cujus commodum venduntur fruges, si bona hæc in Emphitheusim concedantur. Num sive Sodalitates distribuant triticum, sive pecuniam, semper pauperes ælemosinis sublevari poterunt. Hæc habet Travallonus, Sodalitates pro reassumptione preteritæ allegationis deprecantur. Quatenus autem EE. VV. a decisis recedant ita, ut Emphitheusim ad tertiam generationem masculinam concedendam putent, tum certe addicenda videtur Travallono, qui meliores obtulit conditiones.

Deliberandum proponitur.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

VITERBIEN. EXEQUTIONIS CONCORDIÆ. Post rerum publicarum discrimina Civitas Viterbii multo ære alieno obruta consulere nequibat publicæ Annonæ, quæ *anno* 1800. in dies ingravescebat. Ne populus fame ad seditionem incitaretur, publici Representantes a Summo Pontifice deprecati sunt, ut aliquam pecuniæ summam in hanc Annonæ causam erogandam imperaret a Conventibus Regularium, quorum decem Viterbii exstabant. Tres ex hisce, scilicet *Hierosolimitarum*, *Carmelitarum Congregationis Mantuæ*, & *Minimorum* tempore republicani tumultus suppressi carebant Cænobitis, ut vix unus esset, aut alter, qui dictos Conventus incoleret, & bona administraret. Septem vero reliqua Cænobia, nimirum *Ordinis S. Dominici nuncupat. Gradus*, & *S. Mariæ Supra Quercum*, *S. Augustini*, *Carmelitarum Ex-* *Sess.21. cap.9. de Reform.*

cal-

calceatorum, *Cruciferorum*, *Minorum Conventualium*, *ac Servorum B. M. V.* omnia erant Religiosis plena, Communitatemque efformabant. Itaque in oblatis SSmo precibus id postularunt publici Representantes = *che per li primi la Communità Oratrice sia sostituita ad usufruttuarne la rendita per anni quindici coll' obligo della manutenzione del Culto nelle Chiese, sodisfazione de' pesi, e passando agl' individui de' medesimi un onesto assegnamento. Per i secondi poi, che somministrino un sussidio di scudi tremila da ripartirsi sù di essi a proporzione delle rendite.*

Quibus precibus ad Emum Præfectum hujus Sac. Congregationis delegatis ab Emo Cardinali Secretario Status rescriptum prodiit sub diem 1. *Septembris* 1800. = *Sanctissimus audita relatione Emi D. Cardinalis Carandini Sac. Congregationis Concilii Præfecti deputavit Congregationem compositam ex infradicendis personis, nempe Emo Episcopo, R. P. D. Delegato Apostolico, D. Vicario Generali dicti Emi Episcopi, Auditore dicti Delegati, & D. Archidiacono Ecclesiæ Cathedralis, quæ Congregatio comperta expositorum veritate, agnitaque necessitate imploratæ subventionis provideat Apostolica authoritate circa petita; imposita expressa lege, quod pecuniæ ex dicta subventione retrahendæ non in aliam omnino erogentur Causam a deputatis per publicum consilium eligendis, quam ad occurrendum publici furni necessitatibus sub pœna omnimodæ reintegrationis a publico consilio, singulisque in solidum consiliariis præstandæ. Quod si a dicta Congregatione subministrationem aliquam decerni contingat, pro qua persolvenda æs alienum a loco pio contrahi oporteat, idem SSmus Emo Episcopo facultatem impertit necessariam, opportunamque licentiam concedendi.*

Cum *die* 3. *Septembris* 1800. Rescriptum hujusmodi apud acta Cancellariæ Episcopalis productum esset, *sequenti die* 9. Congregatio deputata Decretum tulit. *Previe le mature riflessioni toccatasi la verità dell'esposto, e conosciutasi l'urgenza, e la necessità dell' implorata sovvenzione: Decreta, che la Communità possa usufruttuare per anni quindici li beni delli tre Conventi già soppressi, e che non formano Communità, cioè delli Minimi, Gerolimini, e Carmelitani della*

Con-

Congregazione di Mantova. Ab aliis vero septem Conventibus imperavit pecuniam in summa *scutorum termillium* Communitati repraesentandam, ita tamen, ut haec illis fructus compensativos scutorum quatuor in singula centum rependeret.

In vim hujus decreti Congregationis deputatae Communitas Viterbii nacta est possessionem bonorum, quae ad tres Conventus suppressos spectabant, quaeque ex recitato Decreto eidem usufruenda data erant ad quindennium. Dum vulgatis edictis conductiones, locationesque inire studebat, censuit eadem Congregatio, ut Communitas ageret cum Religiosis ad hoc, ut isti bona recuperarent & sponderent certam annuam summam Communitati persolvendam. Placuit utrinque conditio, & Instrumentum Concordiae *die 6. Decembris* 1800. stipulatum est inter Coenobitas & Communitatem, in quo haec restituit bona Possessoribus; isti vero repromiserunt annuam quantitatem scut. 700., scilicet a Hierosolimitanis *scuta* 188. 55., a Carmelitis *scuta* 403., & a Minimis *scuta* 108. 45. persolvendam & praeterea manutentionem Ecclesiarum, implementum onerum, & alimenta Religiosis praestare spoponderunt.

Paucis tamen ab inita concordia interpositis mensibus, Religiosi Minimi reclamarunt ad SSmum tamquam gravati, tum ex Decreto Congregationis deputatae, tum ex successiva concordia, ita ut quidquid, vel in Decreto jussum, vel in Concordia conventum esset, exequtioni committere recusarent. Quaerela hujusmodi a Sacratissimo Principe commissa est judicio hujus Sac. Congregationis. Prae more interrogatus est Emus Episcopus, ut super praecibus Sententiam suam aperiret. In transmissa Informatione rem ab initio narrat, ut hactenus exposita est, additque: *Post haec modo insurgunt Oratores, qui falsis innixi suppositis, proprium factum, ac stipulatam conventionem cum Communitate initam impugnare conantur. Quorum praeces ab EE. VV. mihi benigne remissae pro informatione auditis interesse habentibus veritati manifesto adversantur*: multis adductis rationibus inferius recensendis, unde *Votum* suum concludit in haec verba. *Ideoque putarem EE. VV. illorum instantiam rejecturos fore ad hoc, ut Communitas beneficio dictae subven-*

ventionis frui valeat, *ne Populus fame pereat*; *vel ob panis deficientiam perturbationes*, *ac tumultus excitet*. Interea Emo Episcopo e vivis erepto mandatum est Vicario Capitulari, ut diem præstitueret *publicis Repræsentantibus ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione*. Id, quod nunc præstant *in allegatione* EE. PP. distribuenda una cum altera, quam Religiosi trium Conventum exhibent.

Queritur in I. *Dubio* utrum exequendum sit Decretum Congregationis Deputatæ die 9. *Septembris* 1800. ædito, quo data est Communitati Viterbii facultas usufruendi ad quindennium bona trium Conventuum suppressorum; rursus utrum exequenda sit Concordia inter Communitatem, & Religiosos stipulata. Isti omnes intendunt nervos, ut demonstrent Decretum illud nullitate, & injustitia laborare, & proinde non exequendum ad censuram *Text. in leg. Nam & si ff. de injust. & irrit. testam.*, *& Rota decis.* 283. *num.* 4. *part.* 12. *decis.* 650. *num.* 4. *part.* 18. *Recent.* Tria vero adducunt nullitatis capita, scilicet *defectum Jurisdictionis*, *defectum citationis*, *& excessum facultatum*.

Primum defecisse, ajunt, jurisdictionem, quia numquam productum fuit in actis Rescriptum Pontificium diei 1. *Septembris* 1800., qua deficiente productione quæri non poterat judici delegato exercitium jurisdictionis, licet aliunde novisset concessas sibi fuisse facultates, ut *ad Text. in Cap. Super eo de Appellat. Cap. Si is cui de Offic. Delegati in 6.* docet Rota *in Recen. decis.* 143. *num.* 2. *part.* 2, *cor. Eichio decis.* 171. *num.* 10. *ad* 16. Præterea contendunt defuisse Congregationi deputatæ jurisdictionem, cum non constet ex actis, quod exploraverit veritatem expositorum, & necessitatem petitæ subventionis: adeoque cum a SSmo ei jurisdictio data fuerit sub hac conditione *comperta expositorum veritate*, *agnitaque necessitate imploratæ subventionis*, defuit Jurisdictio conditione non impleta, sub qua data est per *Gloss. in Cap. cum plures de Offic. Delegat. in 6. Rota coram Puteo decis.* 283. *num.* 1. Deinde Religiosi reclamant *defectum Citationis*, quæ requirebatur omnino, cum ageretur *de gratia* concessa sub clausula = *comperta expositorum veritate*, ex qua cum deputetur Executor mixtus, hic sine citatione procedere non potest, ut ad *Text. in Cap. Licet Episco-*

scopus de Praelen. docet *Rosa de exequt. Litter. Apostolic. part.* 1. *Cap.* 4. *n.* 145., & Rota *in Majoricen. Praeeminentiarum*, *& funerum* 11. *Junii* 1756. §. 7. *coram Olivatio*. Tandem nullitatem Decreti derivant Religiosi ab *excessu facultatum*. Nam licet Communitas Viterbii postulasset a SSmo, ut sibi addiceretur ususfructus ad annos quindecim; attamen ex Rescripto data facultas est Congregationi deputatae, ut provideret = *circa petita*, *imposita expressa lege*, *quod pecuniae a dicta subventione retrahendae non in aliam omnino erogentur causam*. Ex quibus concludunt Religiosi, quod Congregatio deputata nunquam usumfructum, sed aliquam tantum subventionem concedere posset.

Ad *injustitiam*, quod attinet Decreti Congregationis deputatae, negant Religiosi, quod nulla probatur necessaria causa, cur implorata subventio concedi oporteret, adeoque Decretum peccat contra legem Rescripti SSmi, quod non nisi *agnita necessitate* subventionem indulget. Non enim necesse erat, quod Communitas Viterbii de suo exerceret furnum panis promercalis, cum illud posset locatum dare: Preterea etiamsi Furnus exercendus esset; attamen Communitas, cum haberet pecuniam ex venditione panis in praeteritum retractam,& quam exigere poterat ex conspicuis creditis, proinde non ei opus erat nova subventione a Religiosis exigenda. Tandem si quatum fuisset necessitas publicae annonae; ea ad illum annum esset duratura. Quare injusta reputari debet imperata per quindennium subventio, quae solvenda etiam erat in illud tempus, in quo cessata publica calamitate, nihilominus Religiosi subministrare tenerentur annua *scuta* 700. & in quindennium summam *scutorum* 10500.

Quatenus deneganda videatur exequtio Decreti Congregationis deputatae, eo minus exequendam esse contendunt Religiosi Concordiam, quippe initam ex errore, & falsa causa. Nam putarunt ipsi ex Decreto Congregationis Deputatae teneri se ad cessionem ususfructus; Quare si in stipulata concordia haec fuit causa ineundi contractus, si haec falsa nunc detegitur; exploratissimi juris est, quod concordia, quae fal-

sa nititur causa, omnino, & ipsa concidat, ut post *Text. in leg. Ex falsis Cod. de Transact.* statuit Rota reliquis omissis *in Auximana Transactionis 6. Martii* 1795. §. 2. *cor. Priolo*.

Contra haec Communitas Viterbii acerrime defendit validitatem, & justitiam Decreti Congregationis deputatae. Nam probat, quod Rescriptum Pontificium in Cancellaria Episcopali productum, & registratum fuit *die 3. Septembris* 1800. Cum vero in hoc Rescripto facultates aeconomicas Congregationi deputatae datas fuisse contendat, hinc extranea esse dicit, quae superius allata sunt de executore mixto, & necessitate citationis. Negat porro, quod S. Pontifex dederit tantum facultatem, ut aliqua subventio, numquam vero ususfructus ad quindennium concederetur. Nam ipse expresse jussit, ut Congregatio deputata *apostolica authoritate provideat circa petita*. Quare si Communitas Viterbii a SSmo postulavit usumfructum bonorum trium Conventuum, videtur, quod Congregatio deputata posset providere circa petitum usumfructum. Ex quibus Communitas se rejecisse putat impactas nullitates ex defectu jurisdictionis, & citationis, & excessu facultatum.

Justum vero fuisse Decretum illud evincere studet Communitas, tum ex testimonio Episcopi, qui testatur expunctas fuisse rationes, ita ut Congregatio compertam habuit necessitatem Communitatis; tum ex aliis documentis quae nunc afferuntur, unde evincitur immane Communitatis aes alienum, summa annonae charitas, ut aliter publicae necessitati consuli nequiret. Nemo enim illis temporibus furni conductionem requirebat, nisi Communitas triticum suppeditaret. Quamquam vero usufructus ad annos quindecim esset duraturus etiam eo tempore, quo deficeret publica calamitas; attamen erogandus est in dimissionem aeris alieni contracti in hanc causam. Vindicata autem validitate, & justitia Decreti exequendam esse tuetur Concordiam, quae utilis fuit Religiosis, dum ex hac minus prestant, quam usufructus ferret, si bona per Communitatem administrarentur.

Quae in II. *Dubio* de fructibus proponitur disputatio pendet omnis ab exequtione Decreti, & Concor-

Y diae.

ditæ. Prout enim hæc exequenda vel secus decernent EE. PP.; erunt, vel non restituendi fructus.

Geminum proponitur Dubium.

I. *An, & quomodo sit locus exequtioni Decreti diei 9. Septembris 1800. Congregationis deputatæ, & successivæ Transactionis in casu &c.*

Et quatenus Negative.

II. *An, a quo tempore, & in qua summa sint restituendi fructus in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam concordiæ.

Ad II. Negative.

TOLENTINATEN. VIGESIMÆ, ET PRÆLATIONIS. Ex Rescripto hujus S. Congregationis diei 12. *Septembris* 1801. publicata fuerunt Proclamata, ut accerserentur oblatores ad ineundam certis propositis conditionibus locationem bonorum, quæ Canonici Regulares Congregationis Lateranensis possident in Civitate Tolentini. Cum melior ex voto Episcopi accessisset oblator Joachim Pascucci, qui annuam pensionem in scutis *termille* pensitare spondidit; hinc eadem Sacra Congregatio *die* 20. *Februarii nuper elapsi* rescripsit = *Pro facultate juxta petita arbitrio, & conscientiæ Episcopi Maceratensis pro locatione ad quatuor novennia incipien. anno currenti favore Joachim Pascucci pro annua pensione scutorum termillium in pecunia numerata metallica juxta valorem currentem de tempore solutionis, & prestita idonea fidejussione per Episcopum extrajudicialiter approbanda, & cum aliis pactis, & conditionibus ad formam oblationis, salvo jure vigesimæ, & sextæ* = Probante Episcopo Petrus Silveri pro Pascuccio fidejubendo intercessit, & *die* 24. *Martii proxime præteriti* locatio conductio ad normam Rescripti stipulata est. Antequam viginti dies a stipulata locatione elaberentur *Sess.* 25. *cap.* 11 *de Reform.*

 tur;

rur, scilicet *die* 16. *sequentis Aprilis* Dominicus Morichelli, qui in licitatione inter oblatores adfuerat, acceptavit conditiones cum Pascuccio initas; & praeterea obtulit *scuta* 160. nomine *vigesimæ*. Quæ cum Pascuccio intimata fuerit, hic acceptavit vigesimam, in ejusque causam *scuta* 160. ultra *scuta* 3000. repræsentare promisit. Postquam vero *die* 13. *Aprilis* jam expiraverat terminus idoneus ad offerendam vigesimam, venit ad acta *die* 22. *Aprilis* Joseph Balestra, qui in eamdem vigesimæ causam obtulit scuta 140. *sopra la vigesima apposta da Morichelli, obligandosi in tutto di pagare scudi* 3300. Orta hinc controversia est, utra ex duabus vigesimis esset admittenda. Episcopus unam, alteramque admisit *si & in quantum*, & satius duxit acta remittere ad S. Congregationem, ut suum cuique ex litigantibus jus tribueret.

In informatione autem hæc habet præcipua ad quæstionem dirimendam. *Morichellius*, inquit, *exiguum possidens certum patrimonium, & solum Mercaturæ addictus, licet honesta persona, cum non habeat unde de proprio idoneam dare possit securitatem annuæ responsionis* 3160. *ab ipso oblatorum, & nulla data, solumque promissa fidejussione, videtur collusivam fore ejus oblationem in præjudicium Pascucci. Oblatio vero Josephi Balestra non videtur esse in termino vigesimæ presentata, quia terminus vigesimæ expirabat die decima tertia Mensis Aprilis a die Decreti executorialis, & stipulationis sequutæ die vigesima quarta Martii, e contra dicta oblatio præsentata fuit die* 22. *Aprilis, novem dies post a termino vigesimæ. Deinde preterquamquod Joseph Balestra oblator non possideat, nisi scuta mille circiter libera, accedebat pro Fidejussore suo PetrusBascioni in minori ætate constitutus, & Canonicus Franciscus Bascicni relevans Petrum nepotem suum, qui non habent majorem comunem possidentiam, quam scut.* 1368. 54. *juxta æstimum Catastri*.

Itaque Pascuccius a S. Congregatione postulavit, ut penitus reiiceretur utraque vigesimæ oblatio, vel saltem si illa Morichelli esset admittenda, tum ut sibi prælatio concederetur. Cui quidem instantiæ, cum obsisteret Morichellius causa *ad Folium* remissa est, ut in conflictu partium dirimeretur sub infrascripto Dubio, in quo primum quæritur, utra ex oblatis vigesi-

mis

mis sit a limittenda. Neutram recipiendam esse contendit Pascuccius in *allegatione* de more distribuenda. Non illa Morichelli. Nam licet hic intra legitimum tempus vigesimam obtulerit; attamen reiiciendus sit tamquam minus idoneus locationi, cum ipse exiguum possideat censum, nec ullo modo prestitit fidejussorem, adeo ut sperni debeat vigesimarius minus idoneus, qui vincere non potest legitimum deliberatarium, ut tradit *Monacell. Formul. Tom.* 1. *Tit.* 5. *Form.* 15. *num.*6. Eoque minus admittenda est Vigesima Josephi Balestra. Nam ultra terminum viginti dierum fuit proposita, ut nec etiam favore Ecclesiae recipiatur, ne jus deliberatario quaesitum tollatur, ut ad *Text. in Authen. Hoc jus Cod. de SS. Ecclesiis* tradit *Corradin. de jure praelat. quaest.*65. *num.*2. *Rota in Romana Appaltus Lignorum* 15. *Ianuarii* 1742. §. *Allegata in fin. cor. Calcagnino*,

Verum cum Morichellius, & Balestra nondum mihi sua jura exhibuerint, prae munere notandum est, quod Vigesimam a Morichellio intra legitimum tempus oblatam recusare non potest amplius Pascuccius, statim ac illam expresse acceptavit. Quamquam vero Balestra oblationem suam protulerit post viginti dies; attamen cum data fuerit *sopra la vigesima di Morichelli*, censenda est augumentum potius, quam novae vigesimae oblatio. Unde cum nova deliberatio facta non sit, ne Ecclesia laedatur, huic forsan videtur concedenda restitutio in integrum, si lapsus sit sit terminus oblationi a jure prescriptus. Neque idcirco reiiciendus est uterque Vigesimarius quippe qui solvendo minus idoneus, nec praestiterit fidejussorem. Nam hoc respicit interesse Ecclesiae, eique caveri poterit, si in hac admittenda vigesima, ea interponatur conditio, ut exhibeatur fidejussio ab Episcopo approbanda.

Postquam EE. VV. utramlibet probaverint Vigesimam, tum inquirendum erit in secunda parte dubii, quis in locatione sit praeferendus. Dubitandi ratio oritur tum ex *Text. in leg. Licet ff. De in diem addit*, ibi = *Licet autem venditori meliori allata conditione addicere posteriori, nisi paratus sit plus addiicere prior*; tum etiam ex *Benedictino motu proprio anni* 1742., in quo deli-

be

beratario rerum fiscalium prælatio tribuitur, si intra decendium post expiratum terminum vigesimæ præstitutum aliquid ultra vigesimam addat. Ex quibus videri poterit, quod ad prælationem obtinendam non satis sit Pascuccio, si vigesimam acceptaverit, sed eam quoque augere oportebat.

Contra Pascuccius nititur dispositione alterius *Text. in Leg. Necesse ff. de in diem addit.* ibi = *Necesse autem habebit venditor meliore conditione allata priorem certiorem facere emptorem, ut quod alius addidit ipse quoque addicere possit*. Quidquid vero sit de modo addicendi in diem in rebus fiscalibus, de quibus agit *Benedictina*; certum est, quod in locationibus bonorum Ecclesiæ S. hæc Congregatio discusso articulo censuit, quod prælatio danda sit primo deliberatario pro eodem pretio, ut in *Neapolitana* 17. *Augusti*, & 28. *Septembris* 1697. *lib.* 47. *Decret. pag.* 377., & 455., & *in Reatina* 28. *Septembris* 1726. *in Firmana Emphiteusis* 29. *Junii* 1786., & *in Placentina Deliberationis*, & *Prælationis* 9. *Septembris ejusdem anni*.

Hinc emergit dubium.

An, & quæ vigesima sit admittenda, & cujus favore sit locus prælationi in casu &c.

Affirmative pro vigesima a Morichellio oblata, concessa tamen in casu de quo agitur prælatione favore Pascucci dummodo aliquid addat ad formam Constitutionis Benedictinæ salvo jure sextæ.

Sess. 23. *Cap.* 6. *de Reform.*

FULGINATEN. CANONICATUS: Geminas Cappellanias erectas in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Majoris Hispelli, & de jure patronatus ejusdem Capituli possidebat anno 1661. Præsbiter Septimius Mancini. Hic cum Capitulo ægit, ut, aucta Cappellaniarum dote ex tribus Prædiis, quæ Mancinius donavit, & reservato jurepatronatu favore Capituli, Cappellaniæ erigerentur in Præbendam Canonicalem in eadem Collegiata institutam. Cujus votis cum consensisset Capitulum, authoritate Ordinarii erectio facta est, & probata præcipua lex, quam Mancinius in-

indixit pro collationibus in posterum a Capitulo faciendis = *al qual Canonicato dopo la prima vacanza possano come sopra il Capitolo, Canonici, e Priore pro tempore nominare una persona virtuosa di Maestro di Cappella, o di cantore, come meglio parerà più utile, ed espediente per la Chiesa, quali Successori in detto Canonicato siano anche tenuti, ed obligati prestare il loro servizio. o sia di Maestro di Cappella, e di Cantore gratis in tutti li luoghi, tempi, ed occasioni, che bisognerà alla Chiesa.*

Vacato nuper Canonicatu, scilicet *die* 27. *Martii* 1801., Capitulum nominavit Sacerdotem Fridericum Trabalza. Duo tamen huic impedimento erant, ne Canonicatum obtineret; Scilicet imperitia in cantu contra fundationis leges, & retentio alterius Beneficii *sub eodem tecto*. Quare dispensationem postulavit a Dateria, quæ tamen concursum per Edicta indicendum duxit. Tres tantum, ait Episcopus, *produxere se postulantes*, nempe; ille ipse *Trabalza*, quem Capitulum nominavit, *Clericus Hilarius Ramagnini*, qui ætatem agit annorum septemdecim, & post vacatum canonicatum initiatus clericali tonsura *die* 30. *Maii* 1801., & tandem *Franciscus Tomasetti* decem annis natus, qui nondum adhuc inter clericos Ecclesiæ nomen dedit. Capitulum nihilominus præstitit in præsentatione facta favore Trabalza, qui iterum SSmō supplicatus est pro Gratia cum derogatione.

Verum Dataria *Votum* hujus S. Congregationis, & hæc *Informationem* Episcopi exquisivit. Arbitratur Antistes *neminem ex Orationibus voti compotem fieri debere, ei innixus rationi quod nec in uno illæ qualitates, & requisita concurrant, quas nimis diserte Donationis leges jubere videntur. Animadverto enim omni ex parte sollicitum donatorem fuisse, ut ad canonicalem præbendam, is nonnisi nominari posset, qui se in arte musica apprime instructum exhiberet, vel un Maestro di Cappella abile, ed idoneo a tal professione = vel = altro sogetto virtuoso = Presbiterum vero Trabalza æque ac Ramagninum, & Tomassinium his qualitatibus destitutos manifestum est. Siquidem ille artis musicæ omnino ignarus est; hi primis musicis rudimentis salutatis vix manum ferulæ subduxerunt, quippe qui*

ambo in puerili ætate constituti. His accedit, quod eo tempore, quo acciti concurrentes fuerunt ab edicto, uterque puer clericali qualitate carebat.

Causa ablegata est *ad Folium*, ut in partium conflictu decideretur. Verum Præsbiter Trabalza alterum Canonicatum consequtus ab hac lite recessit. Redit igitur controversia ad *Tomassinium, & Ramagninium*, quorum ille de more allegationem EE. VV. exhibet; hic vero cum expensis idoneus non sit mihi in scriptis sua deduxit, ut ea in Folio exponerem.

Cujus favore sit relaxanda supplicatio quæritur *in primo dubio*. Ex fundatione requiritur *una persona virtuosa, o di Maestro di Cappella, o di Cantore* quæ ad Canonicatum nominari debeat. Constans autem in jure est, quod nemo beneficium consequi possit, nisi præstet ea, quæ in fundatione præscripta fuere ut docent *Garzia de Benefic. part.* 7. *Cap.* 1. *num.* 111. *Rota cor. Buratto decis.* 680. *num.* 1. Episcopus vero putat prorsus hac qualitate destitutos esse Ramagninum, & Tomassinium, sed hoc opinione sua ductus affirmat. Nullum enim præmissum est experimentum in cantu, quod cum necessariũ videretur, dum agitur de prębenda ex fundatione danda iis, qui in cantu excellent; ita mirum est quod in concursu a Dataria injuncto, omissum fuerit examen.

Nihilominus Tomassinius suam peritiam in cantu probare satagit testimonio eorum, qui musicen callent, & imperitiam evincere studet Adversarii sui Ramagnini. Quare contendit sibi deberi prælationem tum quia peritior in cantu, tum quia Ecclæsiæ hactenus inservivit, ut in concursu præferendus sit, ut tradit *Pax Jordanus Lucubrat. lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 203. *Piton. discept.* 109. *num.* 18. *Rota in Recent. dec.* 584. *n.* 3. *part.* 18. Contra Ramagninus plures testes adducit, qui deponunt eum = *esser fornito di una dolce, e grata voce, e di una buona maniera, e disposizione al canto, ed alla musica, per cui giudico, che potrà vieppiù perfezzionarsi tanto più, che esso è figlio di Domenico Ramagnini attual Maestro di Cappella della Collegiata di S. Maria Maggiore di Spello*. Preterea Ramagninus ætatem habet annorum sexdecim, quæ ad beneficia consequenda idonea est *ex Trident.*

Sess.

Sess. 23. *Cap.* 5. *de Reform.* Et tandem adducit paupertatem suam testimonio Parochi comprobatam.

In *altero dubio* quæritur num favore Tomassini concedenda sit dispensatio, qua indiget, ut beneficium Ecclesiasticum consequi possit, cum ei in ætate annorum decem impedimento sit allegatum Decretum Tridentini in *Sess.* 23. *Cap.* 5. *de Reform.* Hæc autem subalterna quæstio pendere videtur a primo Dubio. Nam si EE. VV. judicabunt Tomassinium esse qualificatum ex fundatione, tum hæc erit idonea causa, cur concedi possit dispensatio, quæ passive vocato plerumque indulsit S. Congregatio, & precipue in *Beneventana Dispensationis* 14. *Julii* 1779. Quod si contra Ramagninus sit qualificatus, cum hic ætatem habeat legitimam, ejus juribus præjudicium inferri nequit per dispensationem, quam postulat Tomassinius; Nam, ubi agitur de jure alteri tollendo dispensationem denegavit S. Congregatio *in Tusculana Dispensationis* 8. *Augusti* 1801.

Proponuntur Dubia.

I. An, & cujus favore sit relaxanda Supplicatio in casu &c.

II. An sit locus dispensationi favore Tomassini, in casu &c.

Ad 1., & 2. Negative in omnibus.

SPOLETANA CONCURSUS. Indicto per Antistitem Spoletanum *die* 31. *Martii nuper elapsi* concursu ad vacantem Pareciam S. Blasii, Villæ Gasciæ unus tantum adfuit Præsbiter Aloysius Amori, qui se examini subjecit. A prosinodalibus Examinatoribus tres propositi fuerunt sequentes casus. *Ses.* 24. *Cap.* 18 *de Reform.*

PRIMUS = *Livius filius discolus ad Parochum tempore paschali ita se accusat. Primo odio habui parentes;*

 in-

irreverenter erga illos egi. Rixas seminavi inter eos revelando ea, quæ Mater contra Patrem dixerat; matrimonium invitis parentibus contraxi: quæritur I. quid respondendum a Parocho in genere odii, & irreverentiæ erga parentes II. quid de seminatis rixis. III. An Livius graviter peccuverit matrimonium contrahendo invitis parentibus. Quibus ita respondendum duxit Parochus Amori; scilicet ad I. *Cum odium sit aversio ab objecto, quod maximopere a charitate repugnat, ac Dei mandato, qui nostros etiam inimicos diligendos esse jubet, proindeque omni malo animo hominem in proximum spoliari vult, cumque irreverentia erga parentes gravis sit contumelia, quæ divino præcepto opponitur, nempe = honora Patrem, & Matrem = Parochus monere tenetur talem discolum filium esse in stricta obligatione odium erga parentes deponendi, seseque illis toto animo reconciliandi, aliter non satisfaciet divino jussui = Si offerens &c. vade prius reconciliari fratri tuo = Ultro monendus erit dictus filius, ut debitam in posterum reverentiam parentibus præstet, & honorem =* Ad III. *Ex D. Petro cum = charitas operiat multitudinem peccatorum = Parochus malum a filio commissum demostrabit in seminando rixas. Illas enim dicet esse causas gravis odii, & scandali, multaque præjudicia enasci in familia, quibus proinde filius monendus est, ut provideat, nempe excusaticnem mali allati petendo a parentibus, & dicendo se id causa odii fecisse, & modo se cupere, & velle, ut mutuus inter eos enoscatur amor. Quod si dictus filius renuerit se reconciliare parentibus, debitam illis præstare reverentiam, & pacem inter illos curare, poterit parochus ab illo absolutionem differre* Ad III. tandem ita respondit: *Nisi forte parentes fuissent irrationabiliter inviti graviter Livium peccavisse matrimonium ita contrahendo, quia est res magni momenti, & plurium causa discordiarum esse posset. Insuper ait quoad hoc Divus Thomas = Quandoque injuria fit parentibus, puta cum ipsi reluctant = Sed quod injuriosum est parentibus, gravis est offensa: Ergo &c.*

SECUNDUS casus propositus fuit. *Quidam fur sustulit e domo Petri decem modia tritici, quæ immiscuit cum aliis decem suis modiis, quæ habebat in horreo;*

 Item

Item sustulit salinas decem Vini, quas reposuit in uno ex suis doliis; vendidit inde omnia Paulo, qui modo non retinet, nisi solam medietatem Tritici, & vini, aliam medietatem consumpsit. Quæritur I. An admonitus Paulus de re furtiva possit eam reddere furi, ac sic repetere pretium solutum sive bona, sive mala fide emerit. II. An Petrus habeat jus repetendi a Paulo triticum, simulque vinum absque ulla solutione III. an Paulus ad aliquid teneatur relate ad triticum, aut vinum aut vinum consumptum. Has quæstiones, ita examinatus solvit. Ad I. *aut Paulus emit bona fide, vel non. Si bona fide emit, & certus est furem posse compensare damnum Petro illatum poterit rem furtivam furi reddere, & pecuniam ab eo repetere, quia ad eam jus habet. Si vero mala fide emit, cum ipse etiam damnum illatum teneatur resarcire, quia dolus, & fraus nemini patrocinatur, nisi fur id possit, rem furtivam furi reddere non poterit, sed Petro tamquam domino reddere tenetur* Ad II. *Petrum omnimode jus habere absque ulla solutione pretii triticum, & vinum a Paulo quoad quantitatem sibi ablatam, quam quantitatem Paulo devolutam casus exponit, quia semper Petrus habet jus ad rem suam* Ad III. *teneri Paulum restituere pretium justum rei consumptæ, si bona fide emit. Si vero mala fide teneri etiam ad damna, quæ Petro evenissent.*

TERTIUS casus ita expositus fuit ab examinatoribus = *Parochus reperit penitentem ignarum circa rudimenta fidei necessario scienda: Quæritur quomodo gerere se debeat Parochus, ut rite fungatur munere suo.* Hoc autem Sacerdos Amori dedit responsum = *Certum est rudimenta fidei esse medium necessarium ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, quibus nisi pœnitens polleat absolvi non potest. Cumque juxta casum agatur de rudimentis in generali, quod notabile tempus ad pœnitentem instituendum supponit, Parochus, ut rite suo jure fungatur pœnitentem monebit de sua obligatione sciendi rudimenta necessaria, de circumstantia, quod illum absolvere non possit; illique mandabit præsertim si sit proprius Parochus, ut sæpe ad se pergat, & tandiu donec bene in talibus sit edoctus, quod pœnitens per alios etiam curare tenetur, & tunc iterum sibi confitendum se præstet, ut absolutionem accipiat.*

Præterea datus ei est locus Evangelii = *Ego vado, quæretis me, & non invenietis* = *Joann.* XVII., ut conciunculam scriberet, in qua Præsbyter Amori Textum applicavit ad peccatores pænitentiam procrastinantes ad mortis articulum. Hos increpans ait = *Non lasciando voi la colpa, e tornando di giorno in giorno a peccare il merito da voi si toglie della grazia divina, per cui da noi sen fugge, ed inutilmente ricerchiamo il nostro unico bene* = Hinc probandum assumit = *che ricercando Iddio, e la sua grazia in punto di morte, vi mancherà il tempo, avendo questo vi mancherà il modo, e avendo il modo, non lo ricercherete dove può trovarsi*. Ex quibus concludit, quod in mortis articulo *saranno li desiderj vani ed inutili, perchè non avvalorati da un amor grande di Dio* = *Anzi saranno vane speranze, e lusinghe, e guai! a chi di esse si pasce*.

Quibus omnibus ab Examinatoribus perlectis, scrutinioque facto per secreta suffragia rejectus fuit Præsbiter Amori. Nam ex duodecim votis vix quinque secunda, reliqua septem adversa consequutus est. Hinc Episcopus novum concursum indicendum putavit *die 25. Aprilis proximi præteriti*. Tum Sacerdos Amori reclamavit ad Sac. Congregationem de irrationabili judicio examinatorum. Preces remissæ fuerunt Episcopo, ut votum suum aperiret *non retardata interim provisione Parœciæ*. Episcopus vero transmissis actis concursus exposita confirmans inquit = *In secundo concursu Sacerdos Amori ultra solita edicta licet invitatus, & præsens in hac civitate noluit intervenire. Bene quidem alii duo Parochi sese examini subjiccere, & ambo approbati fuere, & signanter unus ex iis, qui quasi cuncta vota favorabilia reportavit. Justi, & honesti sunt examinatores, nec Sacerdos Amori solus in concursu poterat dubitare de eorum favore erga alios, nec de eorum justitia, unde mihi videtur non esse audiendum*.

Cum ex Tridentino *sess.* 24. *Cap.* 18. *de Reform.* Examinatoribus synodalibus data sit potestas probandi, vel rejiciendi concurrentes ad Paræciam, hinc irrationabile dici non potest illorum judicium, nisi injustum probetur. Ut igitur dignoscatur quomodo se ab examine expedierit Præsbyter Amori, acta concursus sub-

submittenda censui judicio insignis Theologi Romani, qui ita suam Sententiam profert.

Ad primum casum. *IN PRIMA responsione tripliciter erratum est. Primum quia non solum Parochus monere debebat filium, ut odium deponeret, seseque toto animo reconciliaret, quod fieri potest interioribus tantum actis, sed etiam, ut externa significatione a patre veniam impetraret, quod necessarium erat ad satisfaciendum patri offenso. Quod si confessarius noverat Christi præceptum = Vade prius reconciliari = oscitans certe fuit, dum modum reconciliationis pœnitenti non injunxit per actus etiam externos. Deinde erratum est, cum ommissa sit distinctio circa injuriæ speciem, an scilicet per percussionem, quod erat necessarium, cum talis irreverentia in ea Diœcesi sit in prima Classe Episcopo reservata. Tertio notari potest illa assertio quod = irreverentia erga parentes gravis sit contumelia =, quæ assertio generatim sumpta de omni irreverentia falsa est. Non enim quævis irreverentia gravis censetur contumelia, sed quidem, si gravis sit irreverentia. In SECUNDA responsione erratum est, dum dixit, "quod poterit Parochus absolutionem differre à filio pœnitenti, si ipse renuerit se reconciliare parentibus, debitam illis præstare reverentiam, & pacem inter illos curare. Nam indisposito pœnitenti, si confessarius non speret illum animum immutaturum, non solum potest, sed omnino etiam DEBET negare absolutionem, ne sacrilegam impertiatur absolutionem. IN TERTIA responsione falsa est ratio adducta, = quod injuriosum est parentibus, gravis est offensa = Nam hæc propositio generatim sumpta prout sonat, falsa est, cum tantum tunc sit gravis injuria, cum ex gr. indignam personam ducere vellet uxorem, quæ gravi dedecori familiæ esset.*

Ad secundum casum notatur IN PRIMA responsione illa propositio = *quod emptor bonæ fidei certus esse debeat furem compensare posse damnum Petro illatum = Nam hæc propositio est contra communem, ex qua affirmatur; nullam injuriam fieri Domino, si emptor bonæ fidei, ne ipse innocens damnum habeat, rem reponit in statu, in quo erat antequam eam emeret. IN SECUNDA responsione erravit Præsbyter Amori, dum affirmavit Petrum jus habere repetendi a Paulo triticum. Nam per immixtionem cum tritico furis,*

ipsius evaserat, licet cum obligatione refundendi tantumdem simile triticum. Quare Paulus non triticum Petri, sed ipsius furis in ea hypothesi emit. Nullum ergo jus Petro est illud repetendi a Paulo, sed a fure tantumdem simile. IN TERTIA responsione erravit, dum dixit, quod emptor bonæ fidei teneatur restituere justum pretium tritici consumpti. Nam ipsum triticum non erat Petri, cum bona fide emit; sed per immixtionem factum jam erat furis; cui manet obligatio restituendi Petro tantumdem simile, ut supra dictum est, quæ obligatio ad Paulum bonæ fidei emptorem non est transmissa.

Ad tertium casum *turpiter erravit Præsbyter Amori, cum nescivit distinguere inter ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, & quæ necessitate præcepti, quæque ignorantia hominem reddat incapacem justificationis, quæque non; cum hæc omnia pueri etiam discant in cathechesibus, in quibus hæc exponuntur.*

Ad conciunculam quod attinet reprehenduntur a Theologo errores in doctrina, & in expositione. *Erratum est in verbis illis = il merito da voi si toglie della di-*
„ vina grazia „ Nam cum hæc supponant divinæ gratiæ meritum in natura humana, ita sapiunt hæresim Pelagianam. Et utcumque ab hac labe verba illa excusari possent, tum ex parte personæ non suspectæ, tum quia obscura sunt; peccant tamen contra notissimam regulam ab Apostolo Prædicatori præfixam = Formam habe sanorum verborum = Præterea altera propositio =
„ Saranno i desiderj vani, ed inutili perchè non avvalo-
„ rati DA UN AMOR GRANDE DI DIO „ præsefert errorem Quesnellianum, & Pistoriensem nuper damnatum. Nam ex Tridentino de justificatione traditur desideria non vana, neque inutilia esse in peccatoribus, qui moventur a Spiritu Sancto non quidem inhabitante, sed movente ad detestationem peccatorum ex metu gehennæ, vel consideratione turpitudinis peccati, ac proinde illa desideria esse posse utilia, & salutaria, & dispositionem ad gratiam intra Sacramentum pœnitentiæ recipiendam, etiam sine magno illo amore a Presbytero Amori requisito, neque similiter spem recuperandi Deum ammissum esse inanem; cum ex eodem Tridentino, ii motus, qui justificationem antecedunt possint esse cum spe veniæ conjuncti,

Qua-

*Quare pejus peccatur in eo quod additur „ Anzi sa-
„ ranno vane speranze , e lusinghe , e guai ! a chi di esse
„ si pasce „ & quasi spes illæ inveniendi Deum essent peccata per divini verbi abusum adducuntur Christi Domini voces , quibus mulieribus Hierosolymitanis prædicitur angustia in excidio Hierusalem , eritque mulieribus prægnantibus , & nutrientibus in extremis diebus imminente orbis excidio. Atque hoc postremum ex erroribus supra expositis addit adhuc aliquid, quod damnatis erroribus Lutheri , Baijque videtur consentaneum , præsertim illi = Omne quod agit peccator , & servus peccati peccatum est =*

Erravit quoque Præsbyter Amori in expositione , *dum Sponsam Canticæ (quæ in sensu litterali est Ecclesia , & in sensu mystico est anima justi) comparavit cum peccatore . Nam Ecclesia Christum ante ejus adventum quærebat , ut per diversos pro diversitate temporum status ad illius conjunctionem perveniret . Anima vero justi Christum Sponsum querit , non quod ipsum defectu gratiæ sanctificantis amiserit , sed quod ejus præsentiam in sua contemplatione , quæ lectuli nomine significatur , ut assueverat , amplius non sentit , quia ad roborandam ejus fidem charitatemque perficiendam interdum sese occultat Sponsus ejus . Indigna itaque est potius sacro altari comparatio cum peccatore obstinato , & obcæcato nolente Deum requirere , nisi in extremis constituto & in Sæculi deliciis , honoribus , divitiisque hujus mundi , ut falso supponitur (nullus enim moribundus in hisce , quibus jam spoliatur , Deum quærit) in mortis articulo quærente .*

Ex his Theologus concludit quod Examinatores Pro-Synodales , quam par esset , indulgentiores fuerunt in Præsbyterum Amori , cum hic non quinque , sed vix quatuor suffragia mereretur .

Quibus præmissis proponitur Dubium ab EE. VV. resolvendum .

An constet de irrationabili judicio examinatorum in casu &c.

Negative .

BAR-

Ses. 24. cap. 12. de Reform.

BARCHINONEN. VACATIONIS A CHORO. Inter ceteras communitates ecclesiasticas seculares, quae in Civitate Barchinonis existunt, una illa est in Ecclesia Parochiali S. Cucuphatis, quae constat ex Parocho, Vicario, Sacrista, & duo de viginti perpetuis Beneficiatis. Qui omnes a S. Congregatione deprecati sunt gratiam Jubilationis Decani seu antiquioris Beneficiati, & ut *duo ex oratoribus pro præsentibus in Choro habeantur, etiamsi per spatium unius mensis recreationis gratia absentes fuerint*. Preces hujusmodi dimissæ fuerunt cum Rescripto *diei* 13. *Decembris* 1800. *Quoad Indultum jubilationis recurrat in casibus particularibus post laudabiliter expletum chori servitium per annos quadraginta, in reliquis Episcopo pro Informatione, & Voto*.

Sedulo Episcopus in remissa Informatione operam dedit, ut EE. VV. instructas redderet. Ait = *præfatam Communitatem quotidie Missam conventualem, & alia officia celebrare, necnon cantum horarum Canonicarum, & divini Officii, vel partem illarum fæstivis, & aliis diebus peragere majori, vel minori solemnitate juxta fæstivitatis qualitatem. Præfatos Beneficiatos, qui relatam Communitatem efficiunt, nec statuto, nec consuetudine ulla præsentia recreationis gratia gaudere, quin circa similem præsentiam in Communitatis constitutionibus, quidquam statutum reperiatur. Curam animarum ipsius Parœciæ nec actu, nec habitu residet in eadem Communitate, neque in suis Beneficiatis; immo potius independenter ipsam habet memoratus Parochus, qui per se, vel suum Vicarium eam exercet, solummodo tamen in ipsa Parochiali Ecclesia ad onus infirmis ejusdem assistendis, & auxiliandis teneri possessorem Beneficii invocacionis SS. Stephani, & Vincentii, in cujus absentia, vel involuntario defectu, Beneficiato tituli S. Hippolyti simile onus incumbit*.

Præterea reliquas hujus Civitatis Communitates Ecclesiasticas Seculares ex Parocho, & suis Beneficiatis efformatas (una dumtaxat excepta) concessionibus ipsarum favore factis gaudere circa præsentiam, & perceptionem redditum, & proventuum favore suorum Beneficiatorum in casu absentiæ a chori residentia recrea-

creationis causa. Quæ quidem concessiones factæ appareat tam vigore Litterarum Apostolicarum, tam etiam Decretorum in actu Sacræ Visitationis aliquarum ex præfatis Ecclesiis earumdem, ac totius anni præcipue fæstivis diebus seclusis, nec non cum restrictionibus, & limitationibus, quæ opportune per Apostolicos Commissarios, & illarum Ecclesiarum Visitatores opportune concessæ fuere circa modum, quo præfati Beneficiati præhabitis concessionibus potiri possunt, & valent, ut in eisdem Ecclesiis conveniens Beneficiatorum numerus pro Officiis divinis, aliisque functionibus Ecclesiasticis celebrandis nullatenus deficiat. Constat denique minime ullam presentiam concessam esse in Metropolitana Ecclesia Tarraconensi, quantum ad suas distributiones, quamvis ejusdem Canonici, & Dignitarii nihil per trium mensium spatium ex massa vulgo grossa perdant; nec non in aliquibus Secularibus Communitatibus, & Parochialibus ejusdem Archi-diœcesis, prout etiam in quibusdam aliis Diœcesum Gerundensis, & Celsonensis concessionem similis, & antedictæ præsentiæ (quæ ad mensem pro Beneficiatis omnium præfatarum Ecclesiarum absentibus parum plus, minusve extenditur) statutam reperiri vigore indultorum Apostolicorum, aut alias per consuetudinem in ipsis vigentem.

Ex Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.* habetur, quod *obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Quare apertum est ex hoc decreto, quod Concilium expresse non permittit vacationes; sed longiores, quam trium mensium interdicit, & breviores servandas decernit, quæ ex statuto Ecclesiæ obtinent, ut observat *Fagnan. in Cap. Licet num.*48. *de præben.* Cum igitur in Communitate Ecclesiastica de qua agitur servitium quotidianum præstetur, nec Statuta Ecclesiæ ullam a Choro vacationem præscribant; videtur, quod ex rigore juris nullam concedendum sit indultum, licet ad unius mensis spatium cohibitum.

Nihilominus S. Congreg. aliquando severitatem juris lenivit indulgendo Beneficiatis vacationes; dummodo Ecclesiæ servitium nullum ferat detrimentum ita *in Tarraconen.* 18. *Februarii* 1764., in qua Capitulares quotidianum servitium præstare tenebantur concessę fuerant vacationes ad duos menses. Multo ergo magis in casu, in quo Beneficiati postulant indultum ad mensem, & decem & octo sint qui Ecclesię inserviant, ut servitium chori ex indulgendis vacationibus nullum detrimentum sit passurum. Maxime cum faveant huic indulto exempla, quæ obtinent tum in reliquis Communitatibus Ecclesiasticis ipsius Civitatis Barchinonis, tum in conterminis Diæcesibus *Gerundensi*, & *Celsonensi*, in quibus sive ex indulto Apostolico, sive ex consuetudine vacationes hujusmodi ad mensem obtinent.

Quod si EE. VV. hanc indulgentiam in casu adhibendam censeant; tum sane statuendus erit *modus*, quo vacationes hujusmodi concedi possint. Videtur quod permittendæ sint duobus Beneficiatis per turnum, & per mensem tantum, ita tamen, ut *Beneficiati omnes tempore adventus, & quadragesimæ omnibus diebus festis solemnioribus Nativitatis D. N. J. C., Pentecostes, & Sanctissimi Corporis Christi, & per totam octavam ejusdem in festo S. Titularis, & in die Sacræ Ecclesiæ, ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter servire teneantur*. Quæ clausolæ appositæ fuerunt *in Tarraconen.* 23. *Martii* 1765., & in posterum S. Congregatio semper eas servandas esse decrevit in similibus indultis concedendis, ut videre est in *Bituntina Servitii Chori* 24. *Novembris* 1760.

Dubium proponitur.

An & quomodo concedendum sit indultum vacationis a Choro in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

HORTA-

HORTANA APPLICATIONIS. Aureliani Turcarelli Civis Hortani hæc fuit suprema voluntas, quam consignavit postremis tabulis scriptis *die* 14. *Augusti anni* 1797. Legavit Franciscę Rossi Uxori (dummodo a secundis nuptiis sese abstinuisset) usumfructum certorum bonorum, quæ æstimata sunt scuta 2800., annui fructus scutorum 110.. Qui usus fructus ex Supremi Principis Rescripto ad vitam prorogatus est nihilominus, quod ad secunda vota mulier convolaverit. In reliquis vero bonis, (quæ demptis nonnullis aliis legatis attingunt summam scutorum 2500., exeisque redeunt annua scuta 100.) hæredem universalem Turcarellus testator instituit *la di lui anima volendo, che con la di lui intera eredità venga suffragata, ed a questo effetto fidando intieramente nella persona di Luigi Schifa dichiara d'aver communicata secretamente al medesimo la sua volontà nel modo di applicare la sudetta di lui eredità in beneficio dell'anima di esso Testatore.* Fiduciam pandens *Schifa* declaravit = *che il medesimo Aureliano si è sempre ristretto ad ordinare tanto bene per l'anima sua, ed anche di più interrogato cosa intendesse per tanto bene, il medesimo soggiunse così = Tante Messe, ed anche tutte le Messę in ogni anno nel giorno della Festa del nostro Protettore S. Egidio, della Madonna addolorata, e nella festa di S. Silvestro solite dirsi in dette festività, e respettivi Altari della Cattedrale. e Chiesa di S. Silvestro.* Sess. 21. cap. 5. de Reform.

Hactenus reditus hæreditarii, prout Testator mandaverat, erogati fuerunt integri in Missarum celebrationem per æconomum administratorem ab Episcopo deputatum. Modo Prior & Canonici Cathedralis Hortanæ, quorum fundi Tyberim tangentes ex aquarum inundationibus deteriorati sunt, postulant a S. Congregatione applicationem legati Turcarelli ab Episcopo distribuendam inter ipsos Canonicos, & Cappellanos, qui Choro inserviunt. Quinque sunt Cappellani hujusmodi: Duo a V.S.D. Tenderini Episcopo Hortano ex fructibus hæreditatis *Deci* instituti, qui habent annuam summam *scutorum* 45. inter ipsos dividendam, cum onere servitii Chori ad instar Canonicorum, & duplicis Missæ hebdomadalis: Itidem duo alii Cappel-

 lani

lani, quos fundavit Episcopus Hortanus Gozzadini ex superfluis redditibus Sodalitatis SSmi Sacramenti. Singuli percipiunt annua *Scuta quindecim*, & tenentur annuas Missas 153. celebrare, & festis, certisque aliis diebus assistere in Officio Diaconi & Subdiaconi Missis conventualibus, aliisque functionibus. Tandem unus est Cappellanus, cui ex fundatione Canonici Bonanni redeunt annua *scuta viginti*, & incumbit onus Missarum triginta sex in annos singulos, & servitii Choralis in diebus festis, aliisque functionibus, simulque exercendi munus Præfecti cæremoniarum.

Cum itaque Canonici inopia premantur, & Cappellani ex beneficiis congruam sinodalem non habeant, ad cujus titulum Sacris se possent initiari; hinc est, quod Episcopus *in Informatione*, quæ ab eo exquisita est, maxime probat petitam applicationem, modumque exponit, quo hæc fieri posset. *Censerem*, inquit, *ex Bonis Turcarelli detrahendum esse Capitale scutor.* 700. *assignandum in subsidium Cappellanorum de Deciis adiecto onere celebrationis Missarum centum quolibet anno; aliorum scutorum* 500. *assignandorum in supplementum Cappellanorum SSmi Sacramenti injuncto onere celebrationis annuarum Missarum sexaginta. Nam computatis redditibus simplicis Beneficii de Santellis proxime ipsis, ut fas est sperare ex benignitate Apostolica uniendis, congruam habent pro victu. Itidem aliorum scutorum* 500. *applicandorum pro supplemento congruæ Cappellano Bonanni cum onere celebrandi quotannis missas sexaginta, & imposito cuilibet ex iis tribus Cappellanis servitio Chori in Cathedrali, conveniendi in processionibus per canonicos fieri solitas, interessendi per hebdomadam Litaniis B.M.V., cæterisque Ecclesiasticis functionibus ad instar Canonicorum in habitu Chorali, firmis cæteris oneribus ipsis ex Fundatione, Decreto erectionis, & Constitutionibus Capitularibus incumbentibus. Reliquum vero patrimonium dicti Turcarelli modo existens, & obventurum post obitum usufructuariæ incorporandum Mensæ Capitulari imposito onere præstandi elæmosinam manualem pro Missis celebrandis a Sacerdotibus diebus festis S. Ægidii, S. Silvestri, & commemoratione Dolorum B. M. V., ac applicationis aliarum Missarum qualibet*

anno per Canonicos celebrandarum ab Episcopo præfiniendarum, nec non cantandi Litanias recensitis diebus per hebdomadam, conveniendi in Processionibus quolibet feria sexta mensis Martii, & per turnum peragendi publice post horas Canonicas, semel in die festo ab Episcopo statuendo exercitium Viæ crucis sub mulcta puncatatura singulis in casu absentiæ ab Episcopo præfinienda.

Applicatio sane petita secumfert commutationem voluntatis Testatoris. Nam ex ejus Testamento reditus hæreditarii hactenus erogati fuere in celebrationem Missarum, quæ concessa applicatione diminuerentur. Si igitur voluntas Testatoris modis omnibus adimplenda est *Can. Ultima voluntas quæst.* 13. deneganda videtur applicatio, licet in usus pios legatum convertatur.

Observandum tamen est, quod Testator jussit erogationem fructuum hæreditariorum = *in tante Messe, anzi tutte le Messe in ogni anno solite dirsi* in diebus festis S. Ægidii, S. Silvestri, & Commemoratione Dolorum B. M. V.. Cum autem hæc Missæ celebrandæ sunt, licet legatum applicetur; videtur sane, quod nulla facienda sit commutatio, sed potius extensio voluntatis, quæ certe non abhorret ab illa generali dispositione, qua Turcarellus instituit hæredem = *l'Anima sua* = & rursus jussit = *di fare tanto bene* =

Maxime cum non desit necessitas, & utilitas Ecclesiæ. Nam cum Canonici, & præcipue Cappellani non possint se de Præbendis sustentari, cum ex eis vel omnino non, vel habeant vix congruam, sequitur, ut necessitas intercedat, & utilitas, ne Clerici Ecclesiæ servitium derelinquant. Quibus in terminis S. Canones nodum legatorum applicationem, sed etiam beneficiorum unionem permittunt *in Cap. Exposuisti* 33. *De Præbend.*, *& Concilium Trident. Sess.* 21. *Cap.* 6. *de Reform.*, & sæpe Sac. Congregatio applicationes in pios usus concessit *in Interamnen. Commutationis voluntatis* 8. *Maii* 1756., *& in Tudertina* 19. *Junii* 1783.

Quatenus vero hæc applicatio probetur ab EE. VV., tum sane statuendus erit *modus*, quo hæc applicatio fieri debeat. Superius *in Informatione Episcopi* propo-

ponitur ratio dividendæ hæreditatis Turcarelli inter Canonicos, & Cappellanos. Certe quidem consulitur tum indigentiæ Canonicorum, tum Cappellanis ut congruam habeant Sinodalem in scutis 36., unde ad titulum Cappellaniarum ordinari possint. Præterea injungitur celebratio earum Missarum in tribus illis festis diebus, & in designatis Ecclesiis, ut Testator jusserat. Et tandem tum Canonicis tum Cappellanis injicitur onus aliarum Missarum, & piorum operum, quæ in expiationem animæ fundatoris, & in Populi utilitatem redundabunt.

Vestrum erit EE. PP. dirimere dubium.

An & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione hæreditatis Turcarelli in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. *Septembris* 1802 *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

Ses.24.Cap.12 de Reform.

BARCHINONEN. VACATIONIS A CHORO.

An, & quomodo concedendum sit indultum vacationis a choro in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi, & ut in Tarraconen. 23. Martii 1765.

Sess.21.Cap.5. de Reform.

HORTANA APPLICATIONIS.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione hæreditatis Turcharelli in casu &c.

Affirmative juxta mentem = Mens est, quod fundi Legati Turcharelli administrentur una cum massa Capitulari per computum separatum, & satisfactis omnibus Missis diebus a Testatore designatis, superextantes reditus erogentur in tot Missas ad taxam perpetuæ a Capitulo, & quinque Cappellanis æqualiter celebrandas, & ponatur in Tabella.

Sess.22.Cap.6. de Reform.

ROMANA, SEU BONONIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Clemens Lovatti, cum jam ea esset ætate, in qua annum agens supra decimumseptimum posset arbitratu suo deliberare, quamlibet sequi vivendi rationem, nemine impellente, sed ultro statuit inter Canonicos Regulares SSmi Salvatoris Majoris Congregationis Rhænanæ nomen suum profiteri. Ad cujus quidem Ordinis Superiores apud Canonicam *S. Petri in Vinculis* commorantes recta pergit via Clemens, ut propositum suum aperiret. Illi postquam per Canonicum Garofolo ejus mores, scien-

scientiamque investigarunt, tandem in Alumnum exceperunt. Rebus omnibus compositis, paternaque venia impetrata, Urbe profectus est *Lovattus*, & comitante Canonico Garofolo, & altero Alumno Joanne Navona Bononiam pervenit. Paullo post in illius Canonicæ Ecclesia inauguratis solemniis *die* 25. *Octobris* 1795. *post primam* sacro habitu una cum aliis tribus adolescentibus indutus est.

Ab ea die statim incepit exercere Tyrocinium juxta ac SS. Canones præscribunt. Novitiis præerat Magister *Canonicus Beltramini*, qui juratus affirmat numquam *ordinariam instructionem* in illo *probationis* anno Alumnis defuisse. Diligens, lætusque Clemens in obeundo Tyrocinio numquam eum pænituit hoc vitæ institutum, ita ut Vicario Generali Bononiensi ex officio ejus vocationem exploranti respondit = *Se velle in dicta Religione perpetuo famulari*, *suamque solemnem professionem quam primum emittere* = Quamquam vero, cum immineret finis *Anni probationis*, perturbata esset eorum Regularium tranquillitas ab exteris copiis, quæ Bononiam tenuerunt, atque a publica authoritate, que Canonicæ partem occupavit in Promptuarium Argentorum; attamen Canonici, neque suis sedibus ejecti, neque habitu privati fuerunt, usque dum Clemens tyrocinium explevit. Nam *die* 26. *Octobris posterioris anni* 1796. solemnem professionem emisit vovens obedientiam secundum *Regulam S. Augustini*, quæ (ut ipse scire fassus est) vota castitatis, & paupertatis præscribit.

Diu Clemens Bononiæ commorari nequivit, tamquam exterus Regularis, cui ex lata lege domicilium interdicebatur. Redux itaque Romam venit, & in Canonica *S. Petri in Vinculis* mansit quietus per plures Menses; minores Ordines suscepit; ad majores aspirabat; & munera omnia sedulo obivit. At ex publica rerum perturbatione disperso veteri Regimine, tum primum de sua professione dubia proferre cæpit *Rmo Abbati Monsacrati*. Nam, sive quod ita ex animo opinaretur, sive simularet ex industria, ajebat, se votum tantum obedientiæ, numquam vero castitatis, & paupertatis solemniter jurasse, ita ut pro suo arbirtio posset ad alia vota convolare. Cum a Superioribus Ordinis hæc Sententia exprobaretur, tum Clemens nullitatis arguere cæpit professionem ex eo, quod igno-

ignorantia, & errore ductus vota castitatis, & paupertatis emisisset. Postquam igitur obtinuit *a S. Pœnitentieria* veniam egrediendi e Religionis claustris, & vitam sæcularem agendi, *servato* tamen *Voto castitatis*, detulit hanc nullitatis quærelam *ad R. P. D. Episcopum Isaurensem*, nunc *Emum Cardinalem De Petro*, qui tempore sedicentis Reipublicæ res Ecclesiasticas ex delegatis facultatibus moderabatur. Hic hujus quærelæ examen commisit *R. P. D. Quarantotti*, ut procederet *salva substantia Constitutionis Benedictinæ Si Datam*. Pro rei gravitate, suaque Sapientia censuit delegatus Præsul votum audire Procuratoris Generalis, ipsumque Clementem sæpius interrogare. Sed consulto a ferendo judicio sese abstinuit, immo postea affirmavit se Canonico Garofolo prænunciasse = *di opinare per la validità della professione* =.

Interea dum res in ancipiti versabatur, Clemens amore captus puellæ Mariæ Annæ Ravieli statuit cum ea Nuptias inire, & hæc in Matrimonium consensit, quamvis interrogato Clementis confessario nosset emissam ab eo fuisse professionem. Testes *pro Statu libero* Lovattus appellavit *Franciscum Sanità*, ejusque uxorem,& ambo ejus libertatem pejerarunt.Nactus vero causam, quod ejus Parens negaturus esset veniam ducendi indotatam puellam, impetravit ab R. P. D. Bona in Vicesgerentis locum suffecto dispensationem a *denunciationibus*, & ab *interventu* proprii Parochi, simulque facultatem, ut nuptiæ coram Parocho SS. XII. Apostolorum *de Sero* contrahi possent. Die igitur 24. *Julii* 1799. ab eodem Parocho in recondito Sacrarii Sacello vesperascente Cælo matrimonium initum est. Ubi Marianna utero gravis nuptias celare amplius non potuit, verentes tum Conjuges, ne in eos publica constitueretur animadversio, obtulerunt præcesSSmo D. Nostro (dum vix Pontifex Summus renunciatus Venetiis adhuc commorabatur) ut causa super nullitate Professionis *Summarie* decideretur. Ex Rescripto *diei* 14. *Maij* 1800. deputata est ad hanc expediendam controversiam *Congregatio Particularis ex RR. PP. DD. de Petro*, *Gabrielli*, *& Quarantotti* ea lege,ut ad *avertendum qualecumque mutuæ conversationis periculum* (inter Conjuges) *Mulier collocetur pœnes honestam Matronam*, *& Clemens Lo-*

vatti in aliqua Religiosa Communitate. Principis imperio factum est satis. Sed postea mulier, quae vigilantiam Matronae aliquando eluserat, traducta est ad *Conservatorium SSmae Assumptionis*. Questiones deinde coram Praesule, nunc Cardinali amplissimo Gabrieli indictae fuere tum Clementi, tum Testibus, qui vel inducti fuerunt, vel *Defensor validitatis* rogatos voluit. Ex Rescripto *diei* 12. *Julii* 1801., & munificentia Principis Clemens impetravit publicum Patrocinium, simulque, ut a S. Congregatione Concilii quaestio dirimeretur, quae nunc contradicente pro munere *Defensore validitatis* sub infrascripto Dubio proponitur.

Constans est apud Canonistas, quod eo ipso professio perficiatur, & vota Solemnia profiteantur, quo quis formulam pronunciat, unde vel se tradat in Monachum, vel obedientiam promittat secundum expressam Regulam, aut institutum, ut tradit *Suarez de Religione lib.* 6. *Cap.* 12. *num.* 6. *Pellizzar Manual. Regular. tract.* 3. *Cap.* 1. *quaest.* 4. *num.* 8. *Engel. in Jus Can. lib.* 3. *tit.* 31. §. 1. *num.* 9. *Piringh eodem lib.*, *& tit. Sect.* 3. §. 2. *n.* 98. *Schimer. Iurisprudent. Can. Civil. lib.* 3. *Tract.* 1. *Cap.* 3. *num.* 172. Hinc dubitari non potest, quin ille, qui promittit obedientiam secundum regulam, tria vota solemniter profiteatur *implicite*, ac si *explicite* vovisset castitatem, paupertatem, & obedientiam, ut de Canonicis Regularibus SSmi Salvatoris Majoris praecipue tradit *Passarin de Statu homin. quaest.* 189. *artic.* 10. *num.* 250. Quare Clemens tria solemnia vota professus est, dum obedientiam secundum *Regulam S. Augustini*, *& Constitutiones Ordinis* juravit; quamquam in formula pronunciata castitatem, & paupertatem non expresserit. Hanc vero Solemnem professionem *in substantia* irritam esse contendit in suo *examine* Lovattus, tamquam proficiscens ex *ignorantia*, & *errore*, cum putaverit, vel nullo modo suscepisse votum castitatis, vel saltem *simpliciter*, eatenus servandum, quatenus in Religione maneret. Ejus praeterea Defensor vitiosam etiam *in forma* esse contendit Professionem utpote expletam contra censuram SS. Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum. Hinc judicium EE. VV. ad duas controversias redire debet, sci-

scilicet AD NULLITATES IN SUBSTANTIA, & ad VITIA IN FORMA. Quæ super his utrinque deducuntur per summa capita attingam.

DE NULLITATIBUS IN SUBSTANTIA primum agit publicus Clementis Defensor, & *in jure* statuit, quod irrita sit Professio, facta ab eo qui ignorabat, regulam saltem *circa substantialia*, ut tradunt *Astor Instit. Moral. lib.* 11. *Cap.* 12. *litt. D. Lauren. in jus Canon. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 7. *Pichler. Juris Can. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 7. Probare porro in facto contendit, Lovattum omnino ignorasse, quod in emittenda professione ad solemne votum castitatis sese esset obligaturus. Negat enim hanc Scientiam habuisse *ex formula professionis*, cum ea Votum castitatis expressum non præseferat. Rursus petere aliunde hanc scientiam non potuisse ex iis, quæ præiverunt, vel comitata sunt *Novitiatum*, vel consequta sunt *professionem*. Nam ante quam ab Urbe decederet Clemens palam, aperteque dixit, se in illa, quam elegerat, Congregatione votum tantum obedientiæ se suscepturum, *e che nel rimanente in tutto restava libero* = ut testes de auditu a Clemente deponunt. Despiciendum porro esse ait Testimonium *Canonici Garofolo*, qui affirmat Clementi innuisse = *Che nel Voto d' Ubbidienza implicitamente erano compresi gl' altri due di castità, e povertà* = Nam unicum esse testem ait, & deponentem in Monasterii commodum, suæque negligentiæ excusationem, dum novum Alumnum, ut par erat, non erudiverit. Deinde ita loquutum esse, ut Clemens qui tardior intellectu erat, non ex hoc depulerit errorem suum, cum perstiterit in opinione, quod vota religiosa non foret promissurus. Itidem reprobat testimonium *Francisci Lovatti* Patris, qui in formali examine juratus confirmavit, se a filio audivisse, quod vota solemnia emittebantur. Nam excipit eum fuisse in filium offensa voluntate, cui propterea non sit deferendum, cum maxime ei intersit, ne rescindatur professio, quo renunciatio sibi a Filio stipulata firma maneat. Postquam vero ab Urbe profectus est Clemens, nihil magis in itinere faciendo habuit notitiam voti castitatis. Tum enim ubi sermo incidebat de votis emittendis, illum statim abrumpebat Canonicus Garofolo, & Alumnos ad tyrocinium delegabat, ut Joannes Navona iteneris comes deponit.

In *Novitiatu* vero caruit quoque notitia, quod votum obedientiæ *implicite* castitatem contineret. Nam ex Novitiorum testimonio probare studet, quod Magister numquam, *sive* in *Ordinaria instructione* illos de votis suscipiendis erudierit, *sive* in *extraordinariis exercitationibas*, quæ inter animi perturbationes ante professionem omissæ fuere; Eo minus Clementem instructum esse posse contendit *ex lectione Regulæ*, quæ brevis fieri solebat inter epulas, nec facile ab ipso intelligi poterat, quippe latino conscripta idiomate, quo ille est omnino rudis. Tandem hanc scientiam haurire non potuisse *ex Sermone* quem Prælatus Regularis habuit, dum a Lovatto vota excepit. Nam qui sermoni interfuerunt, negant Prælatum illum de votis meminisse. Post vero emissam professionem Clemens in eadem perstitit opinione solemne castitatis votum non emississe, & cum a Superioribus de suo errore monitus fuerit ex animi dolore, & mestitia indigitavit, se ignorasse antea, quod votum solemne castitatis esset emittendum. Ex quibus conquestionibus probatam esse ignorantiam arguit ex traditis per *Piton. discept.*40. *num.*21., & *Rotam decis.* 98. *numer.*1. *coram Peutinger.*, & *decis.*870. *num.*12. *coram Emerix*.

Contra hæc *Defensor validitatis ex jure* disputat, quod non quælibet ignorantia, & error removet consensum, & irritat obligationem. Necesse enim est, ut ignorantia sit *invincibilis*, scilicet ea, quæ manet etiam post adhibitam diligentiam *Schimer. Jurispruden. Canon. Civil. lib.*1. *tract.*1. *cap.*5. *num.*230. Nam = *qui potest scire, & non scit, idem est, ac si sciret. Cap. Cum inibitio de Clandestin. Desponsat.*. Quare cum Clemens facile potuerit erudiri in Novitiatu de iis, quæ ad vota pertinebant sive a Magistro Novitiorum, sive a sociis in tyrocinio; & tamen omisit hanc notitiam aquirere, ejus ignorantia erat prorsus vincibilis, & æquiparatur scientiæ, ut arguit *Fagnan. in Cap. Ne innitaris num.*262., *Reiffenstuel. in cap.*2. *de Reg. Jur. in* 6. *reg.*13.

Præcipue cum Clemens in examine fassus sit, quod ex colloquio habito cum Canonico Garofalo sciverit = *Che si faceva il solo voto d' obbedienza, nel quale per altro erano compresi implicitamente due altri voti* = Itidem in examine declaravit = *la formola della Pro-*

fes-

fessione mi fù data alcuni giorni avanti (scilicet ante diem professionis) *la copiai di mio carattere , ne capii il senso materiale , e le parole* = In qua quidem formula, cum nuncupetur obedientia *secundùm Regulam S. Augustini* , & Clemens in examine dixerit = *Sapevo , che gl'Agostiniani professano i tre voti solenni di povertà , castità, obbedienza* = sequitur, ut confusam certe notitiā habuerit , vel saltem dubium , quod solemne castitatis votum emittendum foret . Quare hæc notitia licet confusa idonea est ad valide contrahenda vota , nec professio ex ea irritatur, ut observat *Passarin. de statu homin. quæst.* 189. *artic.* 10. *inspect.* 3. *num.* 88. *Antoen. Theol. Moral. tom.* 3. *de Vit. Religios. cap.* 3. *quæst.* 2. *sub num.* 1. Id quod confirmatur exemplo Clerici , qui Subdiaconatum suscipit . Licet enim ignoret votum castitatis illi Ordini sacro inesse ; attamen eo ipso , quo se initiari vult Subdiaconatu , votum emittit , & se continere debet , cum qui unum sciens , & prudens efficit , & vult ; facit , & vult subinde , ei adnexa , ut notat *Tamburin. Oper. Moral. lib.* 7. *de Ordin. cap.* 3. §. 3. *num.* 11.

A jure ad *factum* pergit *Validitatis Defensor* , ut repellat a Clemente ignorantiam , & errorem , & probet eum habuisse distinctam votorum notionem . Quæstio autem hujusmodi cum pendeat multum ex testibus , hoc statuit, quod observandum tantum sit, quid testes examini subjecti affirmaverint , & omnino posthabenda testimonia ante , vel post institutum examen ab ipsis extrajudicialiter prodita . Hinc reiciendos esse putat Testes , qui excludunt hanc scientiam in Lovatto antequam ab Urbe discederet . Præter quod enim partim se retractaverint , & sibi contradixerint , partim studio Clementis sint abrepti ; nil faciunt ad rem, cum Clemens , siquidem ante discessum ignoraverit votum castitatis emittendum esse , potuit tamen postea hanc scientiam aquirere . Reque vera quæsitam ab ipso fuisse sive *ex instructione* , sive *ex lectione* probare satagit .

Nam *Canonicus Garofalus* juratus testatur , quod Clementi ante discessum ab Urbe aperte dixerit = *che nel voto di obbedienza espresso nella formola della professione implicitamente erano compresi gl' altri due di povertà , e castità* . Præterea *Canonicus Beltramini* , qui munere fungebatur *Magistri Novitiorum* interposita

sa-

sacramenti religione affirmat, defuisse quidem Clementi = *Una straordinaria instruzzione, sebene non sia stato privo dell' Ordinaria* = Nomine vero *ordinariæ instructionis* ipse intelligit = *Le chiamate del Maestro di quando in quando per interpellare la mente di ciascun Novizio sull' intrapresa carriera, e sulla perdita totale della loro libertà, dalle quali cose non è andato esente il Lovatti*. Itidem *i discorsi Famigliari, che si facevano in tempo di ricreazione, e passeggio, che il più delle volte erano sul legame dei Voti* = Tandem = *Gl' esercizj spirituali, che nella quarta Domenica di Quaresima si davano a tutti li Novizj, i quali esercizj si ravvolgevano sugli obblighi, e doveri del Religioso*. Tertius accedit Testis *Cajetanus Radisini*, qui in tyrocinio cum Lovatto una erat, & meminisse ait = *Che il Maestro per due volte parlasse incidentemente dell' importanza de' voti* =

Hæc quoad *instructionem*. De *lectione* autem constat quidem ex testibus, quod semel in hebdomada, & sæpe etiam in Choro legerentur omnibus Novitiis adstantibus Regulæ, & Constitutiones. In regulis mentio occurrit *de tuenda castitate*, quarum proemium expresse monet, quod Professi *in paupertate, castimonia, obedientiaque* vitam exigere debeant. In constitutionibus *Novitio exponuntur austeritates regulæ, difficultates Ordinis, & maxime vota castitatis, obedientiæ, paupertatis*, ut habetur ex ejus *Summario* sub titulo *de receptione Novitiorum*. Dum itaque fassus est Clemens lectionem præstitisse = *a tavola in quei giorni, che mi toccava a leggere, ed in noviziato preventivamente alla tavola*, concludit inde *Defensor Validitatis*, quod fateri quoque debeat, se scientiam distinctam votorum ex ea lectione habuisse. Neque se excusari posse dicit ex eo, quod linguam latinam non callebat. Id enim deponunt Testes contradicti ab aliis testibus, qui eum affirmant mediocriter versatum in ciceroniana latinitate, ut facile posset consequi quid Regula, & Constitutiones, licet latine scriptæ, præseferrent.

Deinde ipse Navona socius Clementis asserit, quod Magister Novitiorum per spatium unius mensis convocatis quotidie tyronibus *tra li quali vi era anche il Lovatti faceva da uno di essi leggere la Regola di S. Agostino italiana, e siccome il libro è piccolo, così in detto Mese si lesse tutto*. Idem porro Navona confirmat, quæ Cano-

no-

nonicus Beltramini, & Abbas Generalis dixerunt, quod Novitiis post Vesperas proponebantur = *le quotidiane lezzioni del Padre Rodriguez, e principalmente quelle, che trattano sui voti di povertà, castità, ed obbedienza* = In hoc vero libro vernacula lingua scriptum sub titulo = *De voti essenziali della Religione* = habetur = *Li mezzi principali, che ha la Religione per acquistar la perfezzione sono li tre voti essenziali che facciamo di povertà, castità, ed obbedienza*. Si igitur Clemens hæc ante professionem audivit, si in formula manu sua conscripta expressam vidit obedientiam secundum regulam S. Augustini, *& Constitutiones Ordinis*, si in ipso professionis actu audivit Prælatum Regularem concionantem, & monentem, ut perpenderet, *quibus vinculis te obstringas*; certe habuisse, videtur, unde hauriret notitiam, quod ipse solemne castitatis votum suscepturus esset.

Demonstrat porro *Defensor Validitatis*, quod Lovattus probe sciebat, quid secumferret professio. Nam Cajetanus Radisini, qui experimentum cum illo exercuit, fassus est = *rilevai dai discorsi, che egli sapeva benissimo come la professione portava con se l'obligazione de tre Voti solenni* = Rursus = *meco ragionando si è mostrato informato dell' obligo, che hanno i Canonici professi Renani al celibato* = Immò testatur eum audisse exprobantem Socio Navona = *tu sei troppo ragazzo per fare colla dovuta maturità la professione, e per conseguenza il voto di castità* = Post vero emissam professionem Romam reversus visus est Canonico Tomani = *ben informato delle regole della Congregazione nei primi tempi della loro compagnia*. Deinde Ordines minores suscepit, ad majores aspirabat, interfuit exercitationibus professioni Clerici Navona præmissis, in quibus Canonicus Garofolo Concionator *discorse dei voti*; Nec tamen usquam reclamavit, nisi postquam supervenit publicarum rerum perturbatio, suppressio Monasterii, & male conceptus amor puellæ. Ex quibus deducit, quod ipse Clemens facto suo ostendit probe scivisse, quod per Professionem castitatis voto obstringeretur. Unde cum pendente judicio super nullitate, licet monitus, ne nuptias iniret, Matrimonium tamen per dispensationes malis artibus extortas clanculum celebraverit, ejus fides suspecta sit. Hæc habet *Defensor Validitatis*, ut ejus as-

ser-

sertionibus fidem abjiciat, & concludat, quod in dubio pro validitate Professionis sit pronunciandum, ut tradit *Gratian. discept. foren. cap.* 413. *num.* 17. *Passerin. de Statut. Homin.* quæst. 189. *artic.* 10. *inspect.* 3. *num.* 70. *Rota coram Seraphin. decis.* 1361. *num.* 7.

DE VITIIS FORMÆ agit porro Defensor Clementis; ex quo altero capite irritam dicit Professionem, cum peccet contra Decretum Tridentini Synodi, & Constitutiones Apostolicas. Nam ex *Trident. Sess.* 25. *cap.* 15. prohibetur, ne Professio fieri possit ab eo, *qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit. Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem.* Ita autem stricte accipiendum esse annum hujusmodi contendit, ut S. Congregatio *die* 21. *Januarii* 1617. definiverit = *Professionem emissam non completo anni curriculo, etiam per duas horas tantum non valere.* Et rursus declaravit *non valere Professionem respectu Anni bissextilis cujusdam, qui ingressus Religionem die* 27. *Martii, & die* 26. *ejusdem Mensis sequentis Anni, currente Anno bissextili, emisit Professionem, ut in Patavina* 4. *Junii* 1527., *& in Andegaven.* 31. *Augusti* 1533. (quarum tamen prima *diei* 21. *Jan.* 1617. *in libris Decretorum* sub dicta die non reperitur, alteræ reperiri non poterant, cum Epocham præseferant anteriorem institutioni S. hujus Congregationis, quæ initium habuit *anno* 1563. ex Motu proprio Pii IV. *relat. apud Concil. Trident.*) Quamquam vero Clemens habitum susceperit *die* 25. *Octobris* 1795., & professionem emiserit die 26. Octobris anni 1796., qui bissextilis erat; attamen cum in præcedenti *Anno* 1795. *post primam* tres alii cum eo Novitii habitu induti sint, & inter cæteros Clemens postremus fuerit, contendit quod integer Annus absolutus non sit, dum solus die 26. *Octobris anni* 1796. *post primam* Professionem emiserit. Licet vero annus probationis perfectus esset; attamen cum post exterarum copiarum invasionem in Novitiatu ab exercitiis cessatum sit, dici nequit impleta Mens Tridentini Decreti, quo annale experimentum non interruptum præscribitur. Ex constitutione vero Sixtina *Cum de omnibus* §. 4. jubetur sub pœna nullitatis, ut ante professionem inquisitio fiat *de patria, parentibus, moribus profitentis.* Ex altera Gregorii XIV. *in Constit. Circumspecta* §. 3. confirmata est Sixtina. Et tertia tandem Clementis VIII. *in Constit.*

Cum

Cum ad Regularem §. 34. præscribitur inquisitio ante Professionem. Quibus neglectis professionem ex vitio formæ irritam proclamat.

Refutat hęc vitia *Defensor validitatis*, quę contra *formam* impacta sunt. Omittit quærere, num annus probationis a Tridentino præscriptus *astronomice* computandus sit, seu potius *civiliter*, ut perfectus dicatur statim ac ad ultimum pervenerit diem, quemadmodum defendunt *Piringh. in Lib.*3. *Decret. tit.*31. *sect.*2. *num.*17. *Schirner Jurispruden. Canon. Civil. Lib.* 3. *tractat.* 1. *Cap.*3. *num.*117., & in non absimili specie de anno ad professionem emittendam præscripto definivit Sac. Congregatio *in Perusina Restitutionis in integrum* 20. *Junii* 1750., *& in Cassanen. Nullitatis Professionis* 6. *Decembris* 1755.; his inquam missis *Defensor validitatis* negat ullo modo probatum esse, quod die 25. *Octobris* 1795. *cum post primam* quatuor Novitii habitum susceperint, Clemens fuerit inter cæteros postremus, ut proinde concludi nequeat, quod annus completus non fuerit, si *die* 26. *Octobris* 1797. solus Clemens professus sit. Maxime cum hęc nullitas numquã fuerit a Lovatto proposita, qui in examine immo fatetur: *il giorno* 25. *Ottobre* 1796. *spirava il mio Noviziato.*

Ad interruptionem Novitiatus, quod attinet, tria concurre debent, ut professio cadat ex defectu formę; scilicet dimissio habitus, egressus è Monasterio, deliberatus animus deserendi Religionem, ut declaravit Sac. Congregatio *in Mediolanen. Nullitatis Professionis* 29. *Augusti* 1772.; Quod demum pertinet ad Sixtinam Constitutionem, quæ irritat professiones non præmisso scrutinio, eam revocatam esse patet, atque *ad terminos Iuris & Sac. Canonum* cohibita a Clemente VIII. in Constit. *In suprema lata die* 2. *Aprilis* 1602. *Bullar. Mainardi tom.*5. *part.*2. *pag.*409.

EXTRA DUBIUM Defensor Clementis attingit nonnulla super dispensatione Voti, a quo tamquam ex institutione ecclesiastica Summus Pontifex juxta concurrente causa dispensare potest, & solet *ut ex Cap. Unic. de Vot. in* 6. Causam vero dispensandi subesse ait; tum quia in dubio versatur, utrum Clemens deliberate votum castitatis emiserit ad tradita per *Pichler in jus Canon. Lib.* 4. *Tit.*16. *Num.* 22.; tum etiam quia non agitur de Matrimonio contrahendo; sed jam bona fide, vel saltem non mala contracto, quo casu pronius dispensatio concedi solet ad tradita per *Vanespen.*

in Jus Ecclesiastic. part. 2. Sect. 1. tit. 14. num. 8.

At *Defensor Validitatis* excipit quod Matrimonium sit nullum ex impedimento voti, quod illud dirimit, a quo dispensatio concedi non soleat nisi concurrente *causa publica* secundum receptiorem Canonistarum opinionem, quam refert & *tuetur Schmalzugrueber in Decretal. Lib.4. tit.16.num.146.*, quamque sequuta est Sac. Congregatio *in Osnebürgen. Dispensationis 19. Januarii* 1765., *& in Colonien. Dispensationis* 16. *Maii* 1767.; Nam ex hac indulgentia detrimentum caperet status Monastichus, & Religiosus, dum sub spe dispensationis plures allicerentur ad deserendum professum institutum, ut observat *Sanchez de Matrim.lib.8. Disput.8. num.8. Pellizzar. Manual. Regular. tract. 4. Cap.3. de Vot. Castitat. Sect. 5. num. 127.* Contendit demum, quod Clemens indignus sit, qui hanc gratiam obtineat, postquam non sine dolo Matrimonium contraxit pendente cognitione super nullitate professionis.

Ex his utrinque disputatis EE. PP. dirimendum proponitur Dubium.

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Negative, & ad mentem. Mens est, ut Emus Urbis Vicarius procedat prout de jure contra testes de statu libero Clementis rogatos, & mandet deleri ex Libro matrimoniorum Paræciæ SS. XII. Apostolorum partitam matrimonii a Clemente celebrati, & ex actibus fides status liberi, nec non transferri eumdem Clementem in aliquam religiosam domum strictioris observantiæ, ut exercitiis spiritualibus vacet per mensem arbitrio ejusdem Emi.

Sess.25.cap.4. de Reform.

URBANIEN. CONTRACTUS = In Congregatione *diei* 10. *Aprilis nuper elapsi* rogati EE.PP. = *An sit locus exequutioni contractus, seu potius reductioni onerum* = responderunt = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* = Capitulum Urbaniense damnatum ad exequutionem contractus, & a reductione rejectum impetrato novæ audientiæ beneficio *in Allegatione* distribuenda nova affert in Jure, & in Facto, ut EE.PP. recessum *a Decisis* suadeat.

In jure namque contendit, quod perempto, aut imminuto fundo pro oneribus implendis dato, concedi so-

soleat reductio onerum, licet hæc per contractum acceptata sint. Omisso enim, num ab Ordinariis, vel Generalibus Ordinum concedi possit reductio onerum in contractum deductorum; certe quidem S. Congregatio, ubi noverit, quod ex imminutione redditum impar sit oneribus emolumentum, concessa reductione, contractum, acceptationemque ad æquitatem revocare semper consuevit, ut ceteris omissis nuper definitum fuit *in Romana Reductionis Onerum* 21. *Augusti nuper elapsi*.

In facto vero ostendit Capitulum, quod fundus a Matarozzio pro implendis oneribus datus revera partim peremptus sit, partim minores fructus reddat. Nam Matarozzius dedit *scuta* 266.66. monetæ Romanæ, ita ut a Capitulo essent in investimentum eroganda *come giudicherà più opportuno*. Constat autem, quod statim erogata fuerunt in censum, quem vendidit Comitissa Brancaleoni fidejubente ipso Alexandro Matarozzi. Qui cum hæres extitisset debitrici census, hujus sortem restituit Capitulo *die* 18. *Maii* 1763., hoc vero postera die reinvestivit eamdem summam cum Aldebrando Gioachini. Cujus census *anno* 1766. partem *Gioachinus* restituit, quæ rursus collocata fuit apud Communitatem Urbaniæ, partem vero sibi accollavit Sebastianus Subissati. Cum vero Subissatus *anno* 1798. debitum suum dimiserit in schedis papyraceis, quæ prorsus communi fato periierunt, cumque census Communitatis non reddat fructus conventos in impositione, sequitur ut probatum videatur, quod Fundus partim peremptus, partim imminutus sit.

Nihil vero sibi obesse putat Capitulum si conventum fuerit cum Matarozzio, ut summa ab eo data cumulanda esset cum Massa Capituli, vel quod eorum culpæ verti debeat si fundus perierit, cum pecuniam in Census erogaverint contra *Decretum Urbani VIII.*, quo cavetur, ut investimenta hujusmodi *in bonis stabilibus fructiferis perficiantur*. Nam conventa *incorporatio* cum Massa capitulari non tenet, cum vetita sit *ex Decreto Urbani VIII.* quo præscribitur, quod pecuniæ Ecclesiæ relictæ ad implementum piorum onerum erogandæ sint *in bonis immobilibus fructiferis cum expressa mentione oneris, quod illis adnexum reperitur*. Unde licet conventa esset *incorporatio* irrita prorsus fuit, neque umquam exequtioni commissa. Nam constat, quod illa pecunia tradita in separatum Censum

 in-

investita fuerit ipso Matarozzio prudente,& probante. Deinde, cum Matarozzius non dederit fundum, sed pecuniam, & quidem in non grandi summa contendit Capitulum, quod illam investire potuerit in Censum, quin peccaverit in Decretum Urbani VIII.

Reliqua, quæ a Capitulo afferuntur, deducta jam fuere *in Folio* hujus Causæ *Congregationis diei* 10. *Aprilis proximi præteriti*, quod, una cum *Allegatione* a Matarozzio tum distributa EE. VV. resumere dignabuntur.

Dubium proponitur.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis juxta modum dempta musica instrumentali & amplius.

Sess.22.cap.4. de Reform.

MELEVITANA CANONICATUS. Proposita hæc causa fuit in Congreg. *die* 10.*Julii* 1802. in qua Præsbiter Laurentius Saliba exequtionem Litterarum Apostolicarũ obtinuit. Nam disputatis Dubiis I. *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ*. II. *An, & a quo tempore, & in qua summa sint restituendi fructus* rescriptum est = *Ad I. Affirmative Ad II. Affirmative a die motæ litis exceptis distributionibus quotidianis* = Quamvis Defensor Præsbiteri Michaelis Angeli Cassar statim impetraverit *licentiam de redeundo*; attamen, cum in hac Congregatione dictum esset vadimonium, nondum mihi sua scripta exhibuit. Saliba reassumptionem præteritæ *Allegationis* deprecatur. Ex his quæ in illius Congregationis *Folio* deducta fuere dignenrur EE. PP. deliberaie.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

FIRMANA CAPPELLANIÆ. Laicalem Cappellaniam cum onere Sacri quotidiani ad Altare *Praesentationis* Ecclesiæ *Jesus* Civitatis *Firmi* fundavit *anno* 1703. pia mulier Catherina Adami, simulque voluit, ut in futuris vacationibus ad Cappellaniam nominarentur Præsbiteri e familia Guerrieri, quibus non extantibus jus nominandi PP. *Jesuitis* tribuit. Qua quidem Societate suppressa Comes Laurentius Adami curavit, ut devolutum ad S. Sedem Juspatronatum obtineret, datis pręcibus ad S. M. Clementem XIV. Verum laudatus Pontifex maluit *motu proprio posthabitis precibus* illud adscribere cl. me. Cardinali Paracciano tum Archiepiscopo Firmano, ejusque Successoribus, hortatusque est, *ut in futuris vacationibus ratio habeatur Consanguineorum Testatricis, & presertim de Familia Oratoris, qui sint idonei ad Cappellaniam obtinendam* = ut ex Rescripto diei 19. *Februarii* 1774. *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

Hinc vacata anni 1783. Capellania per obitum Præsbiteri Lucii Guerrieri, cum nullus ex hac Familia idoneus esset, qui Cappellaniam consequeretur, modernus Archiepiscopus Firmanus nominavit Priorem Francisci Adami alterum ex filiis Comitis Laurentii. Post hæc Comes Dominicus Adami Frater Francisci a SSmo deprecatus est = *la grazia non già del juspatronato, ma di perpetuare nella Famiglia maschile l'anzidetta Cappellania obligandosi l' Oratore di supplire agl' oblighi delle Messe, e di accrescere l' asse di essa di un podere del valore di scudi mille*.. Quas præces nullum responsum obtinuerunt. Nam Archiepiscopus Firmanus de sua Sententia interrogatus, aperte petitæ gratiæ repugnavit, licet professus sit = *nelle future vacanze ben è credibile, che come io mi pregio aver fatto a favore del Sacerdote D. Francesco Adami rispetteranno essi pure* (scilicet Successores Archiepiscopi) *l'esortazione Pontificia nominando a tale Cappellania sogetti della Famiglia*.

Verum cum Cappallanus Franciscus Adami gravi morbo laboraret *in nuper elapso mense Aprili*, & rumor esset, quod Archiepiscopus Firmanus Cappellanum a Familia Adami extraneum nominaturus esset, idem Comes Dominicus huic Sacræ Congregationi supplicavit, ut Cappellania conferenda esset iis de familia sua, qui essent idonei. Nam ei Frater est Abbas Octavius Adami

Vi-

Vicarius Generalis *Ordinis Cœlestinorum*, qui nihilominus, quod Regularis sit, *habilitationem* a SSmo impetravit, ut beneficia Ecclesiastica consequi posset. ArchiepiscopusFirmanus in sua*Informatione* ex multis adductis rationibus, de quibus inferius erit agendum, concludit *Res adeo clara mihi videtur, ut tuto teneā EE.PP. preces esse rejecturos, mihique libertatem nominandi, quem maluerim, sapienter vindicaturos. Sane de bono jure Archiepiscopatus mei hac in re ita sentio, ut si necessitas postulet, jus ipsum quomodocumque tueri per Procuratorem Fiscalem meæ Curiæ deliberaverim*. Hinc præfinitus fuit terminus Promotori Fiscali, ut jura deduceret, & Causa in *Folio* relata est, ut in conflictu partium ab EE. VV. decideretur.

Dominicus Adami in *allegatione* distribuenda asserit familiæ suæ relictam esse passivam vocationem tum ex *Æquitate canonica*, tum ex *Pontificio Rescripto*. Nam æquitas Canonica cæteris paribus prælationem dat iis, qui Fundatori sunt consanguinitate conjuncti, ut tradunt*Vivian. de jurepatronat. part.3.lib.14.cap.2. num.67. Piton. de controvers. Patron. allegat.8. n. 10.* & definivit tum Sac. Rota *in Alatrina Jurispatronatus* 15. *Junii* 1705. §. *Ceterum cor. Scotto*, tum Sac. Congregatio *in Forolivien. Cappellaniæ* 25. *Junii* 1791. Ex *Rescripto* vero*Pontificio* passivā vocationem concessam contendit, statim hac Summus Pontifex hortatus est Archiepiscopos Firmanos, quibus Jus nominandi attribuit, ut *in futuris nominationibus ratio habeatur Consanguineorum Testatricis, & presertim de Familia Oratoris*.

Quæ sane verba *hortatoria*,si in privati cujusquam hominis dispositione præceptum inducunt, ut post *Text. in leg. Fideicommissa* 11. §. *Hæc verba ff. de Legat.* 3, passim tradit Rota *in Viterbien., seu Urbevetana Legati* 12. *Martii* 1736. §. 11. *coram Elephantuiio*; multo sane magis verba hortativa inducere debent obligationem, cum prolata sint a Principe, ut observat *Pignatel. consult. Canonic. 64. num. 15. tom. 7.* & Rota *in Recent. decis.242. num.3. part.8.* Potissimum cum *hortatus* sit ea, quæ de æquitate Canonica Archiepiscopi sequi omnino debebat,ut scilicet prælationem consanguineis Fundatricis concederent, quibus in terminis verba hortativa præceptum important *Gratian. di-*

scept.

scept.70. n.12. Praeterea observandum esse dicit Comes Adami, quod Summus Pontifex consultum voluit consanguineis hujusmodi, quodque Archiepiscop. Firmanus in unica vacatione post Rescriptum sequuta consanguineum nominavit, & in futuris eisdem praelationem concedere sese professus est; quae omnia suadere videntur, ut ea sumatur interpretatio, qua verba hortatoria ad praeceptum, & obligationem transferantur.

Dum hoc Folium sub praelo erat Defensores Promothoris Fiscalis mihi allegationem exhibuerunt, quae EE. VV. distribuenda quoque erit. Contendunt, quod Familia Adami sibi vindicare non possit passivum vocationem neque *ex fundatione*, neque ex *Rescripto Pontificio*. Illa tantum vocat Descendentes ex Familia Guerrieri. Hoc nullum praeceptum, vel obligationem inducit, dum verbis hortativis conceptum est, ut *ad praeceptum* transferri non possit, sed tantum *ad consilium*, *&* *commendationem*.

Ex his Dubium emergit.

An, & cui sit concedenda Cappellania in casu &c.

Affirmative favore Abbatis Octavii Adami, & amplius.

URBINATEN. INDULTI. Capitulum Cathedralis Urbinatensis constat ex Dignitatibus, & Canonicis; simulque ex septem Beneficiatis, qui ex fundatione S. M. Clementis XI. corpus penitus separatum constituunt, & nil commune, nisi chori servitium cum Canonicis habent. Servitio Capituli addicti sunt Mansionarii stipendio conducti, qui cum sint extra graemium Capituli, ad nutum e servitio dimitti, illudque pro arbitrio ipsi derelinquere possunt. Inter hos per annos viginti quinque Mansionariatus munus obivit Praesbiter Antonius Ceccarelli, qui postea inter Beneficiatos cooptatus jugiter; & sedulo per alios viginti quinque annos Ecclesiae inservivit. Cum morbo oculorum captus esset, obtinuit jam ex indulto Sac. Congregationis commutationem horarum Canonicarum in alias

Ses.24.cap.12. de Reform.

alias preces, atque indultum celebrandi Missam votivam B.M.V., etiam in Fæstis duplicibus. Nunc vero novis oblatis præcibus deprecatur indultum jubilationis post expletum quinquagenarium servitium.

Instantiæ omnino assentiti sunt Beneficiati. Dignitates vero & Canonici repugnant. Episcopus de sua Sententia interrogatus hæc habet = *Facili controversia negotio componitur una Capituli cura est, ne jubilatis Beneficiatis concedatur, nisi per quadraginta annorum spatium, tamquam Beneficiati, servitium præstiterint. Hi e contra pretendunt servitium etiam cumulare in Mansionariis præstitum. Pergravis, in qua Orator reperitur, ætas, adversa, qua laborat, valetudo, loco jubilationis ipsi esse possent. Benignum jubilationis indultum ad solam conscientiæ tranquillitatem, quod ei dignentur concedere EE. VV. ob pessimam valetudinem Capitulum haud offendit, Oratoris consulit necessitati. Modus fateor usui parum accomodatur: verum ita indulgendi in casu alia non deest ratio. Infelix Sacerdos Ceccarelli oculis tam parum valet, ut a Sac. Congregatione canonicarum horarum in alias preces commutationem, atque indultum votivum B. M. V. etiam in fæstis simplicibus celebrandi Missam obtinuerit. Choro preterea præsens esse poterit aliquando, non autem inserviet Choro. In Capituli itaque præjudicium gratia non tendit. Gratia ipsi hac ex causa concedendæ non contradicunt.*

Cum Præsbiter Ceccarelli per annos quinquaginta Ecclesiæ inservierit postulat jubilationem que post expletum quadragenarium servitium Beneficiatis indulgetur non quidem ex privilegio in corpore juris, scripto, sed ex universali consuetudine introducto, ut tradit *Bened. XIV. de Synodo Diœces. lib. III. cap.* 4. §. 6., *& lib.*13. *cap.*4. §.15., & concedere passim consuevit S. Congregatio, & precipue *in Spoletana, & Reatina Jubilationis 7. Augusti* 1779., *& in Montis Falisci Jubilationis 6. Decembris* 1796.. Nec sibi obesse putat, si Canonici jubilationi repugnent. Nam ipsi corpus penitus distinctum a Beneficiatis efficiunt, adeoque cum Beneficiati assentiantur, nihil interesse debeat eorum dissensus. Quin immo nullum sibi jus vindicare potest Capitulum ad prestandum, vel denegandum consensum jubilationis petitæ ab iis, qui sunt de gremio. Nam Capitulum interrogare solet

Sac.

Sac. Congregatio, ut illud de prestito, vel non, continuo, & laudabili servitio testimonium perhibeat. Ideoque si constat de injusto dissensu, pluries S. Congregatio nihilominus Jubilationem indulsit, & precipue *in Civitatis Plebis Jubilationis* 23. *Novemb.* 1782.

Verum Canonici petite jubilationi sese opponunt ex eo, quod Ceccarellius tamquam Beneficiatus servitium præstiterit per annos vigintiquinque tantum. nec ei prodesse possit ad beneficium jubilationis consequendum, si in munere Mansionariatus per alios viginti quinque annis Ecclesiæ servitio addictus fuerit. Etenim cum Mansionarii non sint de *græmio* Capituli profecto indultum jubilationis consequi nullo modo possunt, ut de Cappellano ad nutum amovibili definivit S. Congregatio in *Camerinen. Jubilationis* 12. *Martii* 1796. Id quod consuetudine exceptum videtur in Metropolitana Urbinatensi. Nam referunt Canonici = *che ogni qualvolta il Capitolo è stato interpellato per il suo sentimento, e consenso alla giubilazione de' Benefiziati, subito che questi hanno dovuto per il servizio di quaranta anni cumulare il servizio prestato in qualità di Mansionarj con quello prestato da Beneficiati, come appare dai registri delle risoluzioni Capitolari l'ha prodotto contrario, e si sono opposti costantemente per non indurre un esempio, che conoscono di evidente pregiudizio al buon servizio della loro Chiesa*.

Et tandem Orator non expectasset usque ad quinquagesimum annum, nisi, & ipse comperiisset incongruum servitium in Mansionariatu præstitum ad perficiendum juge, & laudabile servitium chorale, cujus intuitu ex Ecclesiæ indulgentia choralibus, & capitularibus Jubilationis indultum concedi solet.

Neque a vigenti disciplina recedi posse videtur ex eo, quod Orator scrupulis agitatur, dum consulentibus medicis a choro abest, quippe grandævus, infirmus, & morbo oculorum captus. Etenim ex infirmitate jubilatio, omnino nunquam concedi solet. Episcopus ipse fatetur, quod = *modus hic parum usui accomodatur*. Preterea infermitati Oratoris consuli posset per temporaneum indultum abessendi, a choro, quod *durante infirmitate* a jure conceditur iis, qui valetudine labrant. *Cap.* 1., & *tot. fere tit. de Cleric. egrot.*, & *in Cap.* 1. *de Cler. non residen. in* 6. Infirmitas autem talis esse debet non ut omnino impediat accessum ad

 cho-

chorum, sed ne choro interesse possit sine periculo *Reiffenstuel. in Jus Canon. lib.3. tit.4. §.7. num.* 193. *Schmalsgrueber. in jus Canon, tom.1. tit.8. §.4. n.86.*, & ex morbo non adeo gravi indultum abessendi a choro *durante infirmitate* concessit *S. Congreg. in Piscen. Indulti 22. Novemb.* 1760. Orator quidem laborat morbo oculorum, ita ut commutationem horarum canonicarum, & indultum celebrandi missam votivam B.M.V. impetraverit. Quamquam hæc infirmitas ei impedimento non sit, ut aliquando præsens in choro adsit; attamen ejus præsentia esset omnino inutilis, cum munia choralia implere non possit, ut Episcopus testatur. Quare morbus oculorum, gravis ætas, & longum servitium idonea quidem causa esse videtur, cur indultum hujusmodi posset exorare. An vero in casu, & quomodo concedendum sit indultum jubilationis judicabunt EE. PP. sub proposito dubio.

An, & quomodo sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Negative, sed concedendum indultum abessendi a choro durante infirma valetudine.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

SUTRINA UNIONIS. Actum fuit de hac causa, in Congregatione *diei* 15. *Maii proximi præteriti*, & in posteriori *diei* 19. *Junii*, quarum Folia EE. VV. resumere dignabuntur. Tunc denegata fuit unio Paræciæ Castri Vici habitatoribus omnino deserti, quam sibi, suæque Paræciæ deprecabatur Archipræsbiter Roncilionis; Simulque reijecta fuit suspensio ad decennium nominationis vacantis Parochi Vici, & applicatio redituum Archipræsbitero Roncilionensi, prout *in sua Informatione* Episcopus Sutriqns proponebat. Qui post æditam hanc Resolutionem litteris recenter datis vos EE. PP. consulit quid sibi agendum. Nam ait = *quoniam pro sublimi suo judicio aliter ratæ sunt EE. VV. respondendum, locus mihi relinquitur istam Sacram Congregationem consulendi (ut supplex præsto) quid in hac re sit agendum? Concursum indicerem, sed mihi ante oculos obversatur incolarum defectus. E converso justitiæ consonum haud videtur, ut præbenda possessore carere semper debeat. Judicium itaque a summa*

ma EE. VV. authoritate præstolabor, quarum mandatis me totum jugiter devoveo.

Ex quibus censui EE. VV. interrogare.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

AQUIPENDIEN. TRANSLATIONIS IMAGINIS. Immaginem SSmi Crucifixi, quæ asservatur in Sacello Ecclesiæ parochialis S. Crucis Oppidi Canini, summa veneratione prosequuntur illi Oppidani, qui ad eam confugere solent, cum aliqua super imminet calamitas: Id quod dudum factum est, cum Epizootia greges ora Thirreni depascentes grassaretur. Nam indicta publica Supplicatione translata est Immago illa a Parrochiali od Collegiatam Ecclesiam SS. Joannis, & Andreæ, in qua præcibus Populi exposita fuit. Voti hinc compotes facti Caninenses decreverunt, ut in posterum celebrato quotannis solemni Sacrificio gratiarum actio perpetuo haberetur. Cum vero ex piis largitionibus multa coacta esset pecunia statuerunt ornare, & ampliorem reddere Cappellam in Ecclesia collegiata, in qua decentius Sacra immago collocaretur.

Sess. 25. Decret. de invocat., & venerat. Sacr. Imag.

Communi tamen Capituli, & Populi desiderio obstitit Rector Parochialis Ecclesię S. Crucis, qui ne hæc translatio fieret, prohibuit. Quare Caninenses hanc veniam transferendi imaginem a Summo Pontifice deprecati sunt, qui preces S. huic Congregationi remisit. Episcopus de sua Sententia interrogatus audivit Capitulum, Populum, & Rectorem, & quæ ab ipsis deducta in scriptis fuerunt una cum *Informatione* remisit. Deinde addit = *indignum & perodiosum est, ut quæ ad majorem Dei gloriam, & Religionis augumentum directa sunt adversentur, periculosum, ut quæ totius populi devota flagitat effervescentia privata unius contradictione infirmentur. At quorsum hæc? Parochialis Ecclesia filialis est, & totaliter Collegiatæ subiecta, itaut ipse Rector, functionibus parrochialibus demptis, nil nisi de assensu expresso, aut tacito Capituli exerceat. Hujus enim Pareciæ limites instituti sunt voluntaria dismembratione Capituli, cujus jam erat totius Oppidi cura, & cujus modo est privativum jus baptisterii, & sepulcri. Vicarii ergo potius, quam Parochi cogno-*

gnomento dignus videtur Rector S. Crucis; ideoque injurosam, & propria muneri absonam contradictionem opponit. Nec traducenda erunt, quæ Parochus inutiliter blaterat de Ecclesiæ suæ dedecore, & præjudicio. Hæc enim omnia, ceteroqnin somnia sunt vigilantis.

Parochus S. Crucis tribuis nititur rationibus, ut impediat, quominus S. Immago transferatur. Primum quod hæc existat in sua ecclesia, ut salvo jure proprietatis ipso repugnante alio traduci nequeat. Deinde, quod maximum caperet detrimentum Ecclesia Parochialis, dum remota hac S. Immagine careret piis largitionibus & celebratione Missarum. Tandem quod ab immemorabili Sacra Icon in illa Ecclesia reposita sit.

Hisce tamen occurrit Episcopus in sua Informatione. Nam affirmat, quod hæc Paræcia instituta sit ex dismembratione voluntaria facta a Capitulo, quem penes erat cura universali Oppidi. Quare Parochus nullam habet proprietatem Imaginis, nec justa ratio, qua se translationi opponat. Deinde potest Episcopus invitis licet Patronis transferre Immagines ex justa causa decentioris cultus, ut ex mente Sacri Concilii Tridentini *Sess. 25. Decret. de Invoc., & venerat., & Sacr. Imag.* tradunt *Pauimoll. decis.* 11. *num.* 17., & Rota *in Romana Translationis Immaginis* 25. *Junii* §. 6. *coram clar. mem. Card. Calcagnino*, & definivit S. Congregatio *in Leopolien.* 30. *Julii, & 27. Augusti* 1763. Justa autem decentioris cultus causa deducitur ex eo quod Ecclesia S. Crucis sit minus decora, immo & sordida, quodque in Ecclesia Collegiata decentius, & ornatius extruitur Sacellum, ut ad majorem venerationem in ea collocetur. Qua manente causa inquirendum erit num in calculum haberi debeat præjudicium Ecclesiæ Parochialis, dum pias oblationes ammittit. Verum cum iste offerantur intuitu S. Immaginis videtur sane, quod ejus cultus præhabendus sit interesse ecclesię Parochialis.

Dubium est.

An sit locus translationi Sacræ Immaginis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 20. Novembris 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij; in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SUTRINA UNIONIS. Sess. 21. cap. 7. de Reform.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis affirmative juxta votum Episcopi.

AQUIPENDIEN. TRANSLATIONIS IMAGINIS. Ses. 25. Decret. de invocat., & venerat Sacr. Immag.

An sit locus translationi Imaginis in casu &c.

Negative.

INTERAMNEN. DECRETORUM. Cum primum Interamnensi Ecclesiæ præesse cæpit modernus Episcopus muneris sui putavit esse nonnulla ferre decreta, quæ vitam, & honestatem Clericorum, & decus Domus Dei respiciebant. De quibus certior factus est Clerus per edictum non publice vulgatum (ne in offensionem Populi rediret) sed lectum die 14. Januarii *anni* 1802. in Consessu habito *resolutionum Casuum Moralium*. In hoc duo præ ceteris jussa leguntur; scilicet = *Che tutti gli Ecclesiastici, o Chierici, eccet-* Ses. 24. cap. 12. de Reform.

tuati li soli Parochi, e quelli che per legitime cause fossero da noi dispensati concorrano, e siano assistenti in Cotta a tutti li Pontificali, che saranno da noi tenuti nel decorso annuale sotto la sudetta pena pecuniaria, (nempe scutorum trium), *che faremo esiggere rigorosamente dai trasgressori a favore della Compagnia del Santissimo Sagramento* = Itidem = *Che similmente tutti gli Ecclesiastici, e particolarmente li Parochi si portino in ogni mese alla risoluzione de casi morali, e ciascuno preparato per la risoluzione di quello, che alla sua Classe appartiene. Per rapporto a Confessori resta già dichiarata la pena nella loro patente se trasgrediranno, riguardo poi agl' altri Sacerdoti a nostro arbitrio, oltre che non saranno mai presi in considerazione per proviste Ecclesiastiche, nè respettivamente nell' avanzarli all' ordinazione*. Quibus Decretis commoti Præsbiteri simplices Interamnenses ad Sac. Congregationem pro abrogatione reclamarunt.

Auditus est Episcopus Interamnensis, qui in sua *Informatione* multas adducit inferius recensendas rationes, quamobrem hæc decreta tulerit, & sint in posterum observanda. Quare Sac. Congregatio jussit per Rescriptum *diei* 17. *Julii proxime præteriti* = *Scribatur Episcopo, qui præfigat terminum interesse habentibus, & reclamantibus ad deducendum jura sua in S. Congregatione non retardata interim exequtione Edicti diei* 14. *Januarii proximi præteriti*. Refert Episcopus se tempus præstituisse *usque ad primam Audientiam post aquas non retardata interim præfati Edicti executione. Verum in pervicacia Contradictores hi obstinatiores facti non mea tantum, sed verius istius S. Congregationis mandata spernentes in primis Vesperis pontificaliter celebratis die* 14. *Augusti, nempe in pervigilio Beatæ Mariæ Virginis principalis hujus Cathedralis Ecclesiæ Patronæ accedere noluerunt, cum ingenti laicorum scandalo, utpote quos non latebat, hinc mea, & istius S. Congregationis imperata, & illinc dictorum Præsbiterorum spretum. Nec satis. Aliqui ex eis majorem addiderunt audaciam, ut scilicet ad Cathedralem Ecclesiam non jam in choro, non habitu talari, & superpelliceo induti, sed brevi se contulerint, ibique intra Populum, & coram Episcopo in spretu quodamodo exultantes constiterint, ut quisque dignosceret, se omni oc-*

occupatione, quominus accederent, solutos voluntarium non necessarium spretum comisisse.

Contendit Episcopus in laudata *Informatione*, Præsbiteros simplices, & Clericos omnes ad interventum in Pontificalibus Episcopi teneri tum ex Decreto Sancti Zephirini Pontificis, tum pressius ex Synodalibus Constitutionibus publicatis Interamnæ ab Antistite Andreassi. Hæc enim jubent *in Cap.7.* = *Clerici quicumque celebranti Episcopo, & Pontificalia exercenti tonsura, talari veste, ac superpelliceo decenter ornati adsistant & inserviant, eumdemque una cum Canonicis ab ipsa Aula, seu Palatii Camera ad Cathedralem Ecclesiam deducant, prout hactenus laudabiliter observatum est, atque in novo Cæremoniali disponitur sub animadversione ad arbitrium. Impediti vero de causa nos monere debebunt*. Quæ Synodalis Sanctio, unde præcedens etiam observantia deducitur, non quidem gravis videri debet, cum quinquies, aut septies in anno advocet ad Ecclesiam Præsbiteros vix per unam horam. Hinc exempla hujus sanctionis allegat in Constitutionibus *Metropolitanæ Firmi* latis ab Archiepiscopo Borgia; *Ecclesiæ Æsinæ* ab Episcopo Fonseca; *Ecclesiæ Fulginatensis* ab Episcopo Baptistelli publicatis, & alias multas hujusmodi Constitutiones.

Quamquam Episcopus non diffiteatur, hanc Synodalem Constitutionem fuisse inobservatam; attamen ex hoc concludit necessarium fuisse Edictum, quo revocarentur ad observantiam Constitutiones, & tepefactus Cleri fervor excitaretur. Aliter, si sub specie inobservantiæ abusus tolerari deberet, numquam sane evelli posset. Maxime cum ab hoc edicto non reclamet major, & sanior Cleri pars, sed quidam tantum Præsbiteri simplices, qui in otio tabescunt, & per Civitatem vagantur servitio addicti laicorum.

Hæc habet Episcopus, ut suum Edictum tueatur. Præsbiteri simplices reclamant tantum ab obligatione, & pæna injuncta, nisi Pontificalibus Episcopi, & resolutioni *casuum moralium* intervenerint. Cætera Edicti capita de habitu, vita, & honestate Clericorum venerantur. Hinc EE. VV. *allegationem* exhibent, in qua demonstrare contendunt hujus Edicti nullitatem, & injustitiam: *Nullitatem* scilicet, quia publicatum non fuit; & hac deficiente publicatione lex obligat neminem ex *Text. in cap. Ne captandæ de concess. præbend.*

bend. & tradit *Rota coram Emerix jun. decis.* 57. *numer.* 7. ; *Injustitiam*, quia Tridentina Synodus *ses.*24. *cap.*12. *de Reform.* jubet tantum Cathedralis Canonicis, & Beneficiatis = *Episcopo celebranti*, *& alia pontificalia exercenti assistere*, *& inservire* = Unde Canonistæ deducunt, quod simplices Sacerdotes neque officium, neque beneficium habentes in Ecclesia Cathedrali cogi per Episcopum non possint ad inserviendum sibi, & Cathedrali, *Pignatell. Consult.* 56. *num.*6. *tom.*3. *Nicol. Lucub. Canon. Lib.*1. *tit.*22. *num.*3., & 4., *Monacell. adnot. ad form.*4. *num.*32. *tom.*1., & definivit Sac. Congregatio *in Segnen. Decretorum* 22. *Novembris* 1749., in qua proposito II. Dub. = *An aliud Decretum in Visitatione editum*, *quo præcipitur*, *ut omnes Præsbiteri*, *præter legitime impeditos*, *interesse teneantur Missæ Sacrificio per unum Canonicum cum expositione SS. Sacramenti quolibet die Iovis celebrari solito similiter sub eadem pœna sustineatur* = responsum fuit = *Negative*, *& esse hortandos*, *sed non cogendos*.

Neque sibi obstare putant Decretum S. Zephyrini, de quo nulla mentio facta est in Collectione Decretalium, sed tantum in Breviario Romano *sub die* 26. *Augusti Lect.III.* Nam cum illud Pontifex *Seculo Tertio* Ecclesiam tenuerit fervescente adhuc *sub Severo Imperatore* persequtione, vixit semper in hypogeis, a quibus *sub Antonino* traductum fuit ad Martyrium teste *Natal. ab Alexan. histor. Eccles. ad Sæcul. III. cap.*2. *tom.* 4. Hinc cum toto Pontificatus tempore tresdecim ordinasset Præsbiteros, septem Diaconos, Episcopos tresdecim, nil mirum si jusserit, ut pusillus Clerus adesset Episcopo facienti rem divinam. Pace tamen Ecclesiæ restituta, cum singuli Præsbiteri Ecclesiis addicti fuissent, primum in vita comuni, deinde in singulari per distinctas cuique assignatas Prebendas; ea certe invaluit recentior disciplina, ut qui Ecclesiæ Cathedrali, sive per beneficium, sive per officium inservirent, ii tantum pontificanti Episcopo adesse tenerentur.

Ad Constitutiones quod attinet Synodales Episcopi Andreassi, eas quidem in desuetudinem abiisse defendunt sub fide Capituli Cathedralis testantis *pro veritate*, *& conscientia nullam omnino in hac Ecclesia Interamnensi viguisse unquam*, *aut vigere consuetudinem*,

per

per quam simplices Sacerdotes interesse cogantur Pontificalibus ab Episcopo in solemnioribus peragi solitis, proptereaque eos nullo unquam tempore ad id indicta pœna fuisse coactos, sed tantummodo eorum nonnullos pro arbitrio, & devotione, quandoque illis interfuisse, & interesse = Quare concludunt, quod potestate ordinaria non poterat modernus Episcop[illegible] cogere Præsbiteros simplices sub pæna pecuniaria. Nam etiam in casu, quod ob parvum numerum Canonicorum, & Mansionariorum Ecclesiæ servitium detrimentum patiatur; tunc solum ex Authoritate Sac. Congregationis possunt compelli Præsbiteri, qui habent beneficia, & Cappellanias in Cathedrali ad inserviendum Missis solemnioribus, assignato tamen emolumento ex reditibus Cathedralis, ut tradit *Monacell. adnot. ad form.*4, *tit.*14. *num.*6. *tom.*2. Unde eo magis injustam vocant præmissam interessendi coactionem quoad omnes Sacerdotes, & simplices Clericos utpote latam absque necessitate, cum Cathedralis Interamnensis sufficienti juxta ipsos prædita sit inservientium numero. Quamobrem nil ad rem conferre ajunt aliarum Ecclesiarum Constitutiones, cum non ab exemplis judicandum sit, sed ex legibus ut docet *Barbos. axiom.* 86. *num.*3., *Rot. in Recent. decis.* 328. *num.* 42. *part.*11., *& in Romana Laudemiorum*, *& Quindenniorum* 27. *Januarii* §. *final. cor. Canilliac.*

De altero edicti Capite, quo compelluntur omnes Sacerdotes, & Clerici ad interessendum *resolutioni Casuum moralium* contendunt definitum fuisse, quod Clerici, & Sacerdotes Seculares non confessarii hortari, nusquam tamen cogi possint ut docet *Pignatel. Consult. Can.*18. *t.*8.*n.*6., *Monacell. adnot. ad form.*15. *tit.* 3. *num.*2.. Et Sacra Congregatio *in Civitatis Plebis Conferentiæ Casuum* 15. *Martii* 1692. interrogata = *An Episcopus possit compellere Canonicos, Confessarios, ceterosque Præsbiteros Cathedralis sub pæna pecuniaria, ut accedant ad Congregationem casuum conscientiæ* respondit = *Posse compellere omnes Sacerdotes Sæculares Confessarios, etiamsì Canonici sint; cæteros vero non posse compellere, sed hortari* = ut *in Lib. Decret.* 42. *pag.* 147. Rursus quæsitum est *in Ariminen. Conferentiæ Casuum Conscientiæ* 18. *Julii* 1699. de Synodali Decreto, quo interesse Congregationi casuum cogebantur *Sacerdotes cujuscumque conditio-*

 nis,

nis, Curati, Economi, Confessarii, Clericique omnes in Sacris constituti sub pœna Juliorum trium locis piis applicanda atque Sac. Congregatio rescripsit *Dandum esse decretum Civitatis Plebis Lib. Decretor.* 49. *pag.* 25.

Ex quibus EE. VV. deliberandum proponitur.

An, quomodo, & quæ Decreta Episcopi sint exequenda in casu &c.

Affirmative in omnibus ad formam tamen Concilii Romani Tit. 5. cap. 9. quoad collationes casuum conscientiæ.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

ROMANA. Jam semel, & iterum actum est de suspensione vacantis Cappellaniæ fundatæ *an.* 1639. a Duce Petro Sen. Altemps in Ecclesia S. Mariæ Transtyberim sub titulo *S. Mariæ de Clementia*, quam suspensionem postulabat Dux Marcus Siticus Altemps donec dimitteretur æs alienum in summa scutorum 4000. contractum pro reparatione Domus, in qua una cum duobus LL. Montium constitutus fuit Cappellaniæ fundus. Verum cum ab Anno 1769. ipsius dotis administrationem Dux Joseph Maria ab Altemps, mox eo defuncto Dux Marcus Siticus ejus filius gessissent, ideo *in Congregatione diei* 12. *Septembris* 1801, rescriptum est = *Dilata, & ad D. Secretarium pro præfixione termini Oratori ad reddendam rationem ab anno* 1769. *usque in præsens non retardato interim adimplemento onerum* = Dispunctis vero per Peritum a me deputatum rationibus, cum exploratum esset difficile futurum, ut per suspensionem nominationis dissolveretur debitum Cappellaniæ; hinc Emi Patres sub *die* 20. *Februarii* currentis Anni rei examen ad Eminentissimum, & Reverendissimum Gabrielli *pro Voto* ablegarunt cum clausula *firma remanente celebratione Missarum*.

Demandato muneri eximia sedulitate vacavit laudatus Emus; & quamvis in gesta administratione plures partitas detexisset legali exceptioni obnoxias, *difficultas* tamen *servandi Cappellaniam adhuc manebat*. Solicitus autem Dux Marcus Siticus ad majorem Dei gloriam, suæque Familiæ decus de subsistentia Cappellaniæ modum proposuit, quo ea incolumis servari

pos-

posset. Ipse namque, nomine etiam Primogenitorum, qui in posterum erunt successuri, spondet ex bonis liberis, & primogenialibus solutionem *scut.* 60. in annos singulos Cappellanis pro tempore, simulque onus in se, & successores assumit dimittendi æs alienum pro reparatione Domus contractum, dummodo ipsa instaurata Domus, & LL. Montium, quæ stabant pro fundo Cappellaniæ concedantur in proprietatem avitæ Primogenituræ. Hæc obligatio ab ipso subscripta quinque hisce continetur capitibus = *I. Che debba io fare la nomina del Cappellano subito, che resti approvato dalla S. C. del Concilio il presente mio obligo, ed ottenuto il beneplacito. II. Che il pagamento degl'annui scudi 60. debba farsi in rate mensuali posticipatamente, ed in moneta sonante corrente nel tempo del detto pagamento. III. Che siano a carico dei Cappellani pro tempore li pesi ingianti nella fondazione della Cappellania. IV. Che in correspettività degl'annui scudi 60. da pagarsi al Cappellano pro tempore come sopra, ed in compenso del debito contratto per detta Cappellania, quale assumo sopra di me, e de' successori nella Primogenitura della mia famiglia si concedino, ed incorporino alla stessa Primogenitura la Casa riedificata, ed i due LL. di Monte della Cappellania restando a carico mio, e de' miei successori l'annuo Canone di cui è gravata la detta Casa. V. Finalmente, che per obligare li Primogeniti successori come sopra debba impetrarsi il beneplacito apostolico per grazioso rescritto in vece di chirografo.*

Super quibus Emus Gabrielli votum suum aperit in hæc verba = *Utile profecto est Cappellaniæ, Oratori, & Primogenitis, quod suo, suorumque in Primogenitura successorum nomine Orator pollicetur. Nam primo statim nominatio fieret Cappellaniæ, quæ æris alieni causa ad plures alios annos suspendi, & forsan inutiliter deberet. Deinde idem Cappellanis erit stipendium scutorum sexaginta, quot in fundatione, & ante reædificationem fere retrahebant ex assignata domo, & duobus Locis Montium; sed in posterum erit a reparationibus, dislocationibus, aliisque ejusdem domus periculis immune. Utile erit Oratori, qui liberatur a difficultatibus demonstrandi rectam suam, & Patris administrationem. Utile Primogenitis, qui acquirent fructus annui reditus scutorum* 122. 10.

Æquæ vero videntur conditiones obligationis. PRIMA, quod approbatio Sac. Congregationis præcedere debeat nominationi Cappellani, convenit obligationi Oratoris, quæ ab ipsa pendet approbatione. Provida est SECUNDA, dum solutio stipendii in fine cujusque mensis respicit ex una parte commoditatem Cappellani, ut singulis mensibus habeat, unde vivat; indemnem ex altera parte servat Patronum, si Cappellanus ineunte mense Cappellaniam dimittat, aut moriatur, & dum qualitatem pecuniæ determinat, lites præcludit. TERTIA respiciens onera Cappellaniæ consentanea est fundationi, in qua cum designatis fundis annui reditus scutorum circiter sexaginta, eadem imposita fuere onera Cappellano. Idem dicendum DE QUARTA; Nam æquitas, & justitia postulat, ut Orator, ejusque successores, qui super propriis, & primogenialibus bonis assumunt onus præstandi Cappellanis annua scuta sexaginta, & dimittendi alienum æs Cappellaniæ, correspective obtineant ejus fundum melioratum, & reditus auctos. QUINTA denique conditio ad rem tendit firmandam, cum absque Beneplacito Apostolico subsistere non possit obligatio Oratoris nomine etiam successorum in Primogenitura, licet eidem Primogenituræ adderetur fundus Cappellaniæ. Æquum autem est, ut impetretur Beneplacitum per organum D. Secretarii, ne Orator ulteriori gravetur sumptu.

Ex hactenus deductis resultat justitia, & utilitas transactionis, seu obligationis: resultat necessitas, & rationabilitas Beneplaciti, resultat meum quodcumque sit favorabile votum: resultat non esse amplius locum suspensioni nominationis Cappellani.

Censui igitur primævum dubium præsenti quæstioni conformare, & EE. VV. dirimendum proponere.

An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis; seu potius sit consulendum SSmo pro approbatione transactionis in casu &c.

In omnibus juxta votum Emi Relatoris.

ATRIEN.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

ATRIEN. REDUCTIONIS. Sacellum extat in Ecclesia Monasterii S. Claræ Civitatis Hadriæ S. Mariæ Gratiarum nuncupatum ad cujus lævam in columna hæc legitur sculpta inscriptio: *D. O. M. Sor Maria Magdalena Turca, & Sor Cecilia Firmani hoc Sacellum fieri fecerunt sumptibus suis, & dotarunt celebrari Missam quamlibet die in perpetuum MDCXLVI.* Ceterum non constat qualis, quantusque fundus fuerit pro celebratione Missæ quotidianæ assignatus, nec de Monialium acceptatione, aut de venia Ordinarii. At certo præsumitur, Moniales illas fundatrices, non plus in dotem dedisse, quam Ducata circiter quingentum percepta *ex earum laboribus manualibus, industriis ac livellis*, ex quibus cum illis temporibus redirent ducata annua 47. 50. (scilicet novem cum dimidio in singula centum), congrua inde eleemosina pro Missa quotidiana forsan exigebatur. Hinc quotidianum onus hactenus sumptibus Monasterii habuit implementum. Verum nunc auctis vectigalibus, & ob redituum imminutionem, cum Monasterium impar sit quotidiano Sacro perficiendo; moderna Abbatissa Soror Maria Emanuel Accantesti hujus oneris reductionem ad medietatem deprecatur.

Narrata confirmans Vicarius Capitularis reductioni favet ex eo præsertim, quod *in prædicto legato antiquitus facto, aut eleemosina sufficens Missæ perpetuæ assignata non fuit, seu reditus ob defectum Capitalium notabiliter, & ultra medietatem sunt imminuti. Nam tunc temporis fructus Capitalium percipiebantur ad rationem ducatorum novem cum dimidio pro quolibet centenario, & in præsens ad rationem Ducatorum trium cum dimidio. E contra Monasterium prædictum ob temporum calamitates, & injustas ac immodicas impositiones, ob defectum capitalium, aut propter exigendi difficultatem, & debitorum decoctionem est in totali impotentia erogandæ congruæ elemosinæ pro adimplemento missæ quotidianæ, neq adsunt qui teneantur ad supplementum. Elemosina Missæ manualis, & vere necessaria est Carolenorum circiter duorum.* Porro ex *Statu activo, & passivo* Monasterii constat, quod in singulos annos *Ducata* 140. 23. plus impenduntur, quam ex reditibus percipiantur, cumque nullæ sint impensæ reformandæ, ideo testatur: *reditus annuales hujus Monasterii S. Claræ sufficientes non esse*

pro

pro mediocri Monialium sustentatione , & pro oneribus satisfaciendis , & proinde ære alieno multum in presentia esse gravatum = .

Ex quibus in facto deductis facile percipient EE. VV. , quod de hoc missæ quotidianæ onere non constat nisi *ex incriptione* , quæ legitur in sinistra Cappellæ pariete . Quamquam vero delitescat fundatio , ut certo sciri nequeat , num idoneus fundus pro celebratione fuerit datus , & onus relictum nec ne sit per ultimam voluntatem , vel potius per contractum acceptatum ; Attamen cum ab anno 1646. semper celebratum sit Sacrum per spatium annorum centum quinquaginta , profecto ex hac longeva observantia presumi potest, quod emolumentum par oneri relictum sit . Ex centenaria enim quilibet præsumitur titulus ad inducendam obligationem ut ex doctrina *Bald. in leg.* 1. *cod. de cond. indebit.* monet *Gratian. discept.* 417. *num.* 32. , & definivit *S. Congr. in Romana* 24. *Martii* 1787.

Nihilominus duo ponderanda proponit Vicarius Capitularis,ex quibus reductioni locus esse posset . Primum *imminutio* redituum . Nam quo tempore hoc missarum onus institutum est ex pecunia redibant usuræ drodantes , & ultra,sive ducatorum novem cum dimidio in singula centum . Quare si data fuerunt ducata quingentum , ut est memoriæ proditum , ex his percipiebantur *Ducata quadraginta septem cum dimidio*, ita ut Missa quotidiana celebrari saltem poterat *ad manualem* . At nunc usuræ imminutæ sunt ad tria ducata cum dimidio pro centenario , & fieri non potest , ut ex ducatis 17. 50. , quot respondent hodiernis usuris, Missa quotidiana celebretur , cum elemosina manualis in *duobus carolenis* usuvenerit . Imminutis vero reditibus reductio concedi solet , ut statuit S. Congregatio *in Aquilana Reductionis Missarum* 26. *Novembris* 1796. Advertendum quoque ad *paupertatem* Monasterii . Nam ex *statu activo* , & *passivo* constat,quod hoc illud superat in annuis ducatis 140. Attenta vero paupertate obligati sæpissime S. Congregatio reductionem concessit , & præsertim *in Taurinen.* 30. *Martii* 1776.,*in Caputaquen.* 7. *Junii* 1777.*in Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 1778. , & *in Aquilana Reductionis Missarum* 26. *Novembris* 1796.

Quatenus EE. VV. reductionem concedant , tum decernere debent reductionis *modum* . Moniales postu-

lant

lant ut sibi fas sit pro quotidiano onere missam alternis diebus celebrare. Vicarius capitularis his plaudit precibus, quia forte nec tantus Missarum numerus impleretur indulta reductione ad manualem juxta vires redituum.

Dubium proponitur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative juxta votum Vicarii Capitularis.

FOROSEMPRONIEN. UNIONIS. In Villa S. Martini de Murri Forosemproniensis Diæcesis extat Sodalitium SSmæ Conceptioni nuncupatum, ex cujus reditibus amovibili Cappellano Curato, qui in eadem Villa Paræciam exercet, nomine congruæ dantur annua scuta 52. 30. partim in pecunia numerata, partim in tritico, & musto. Administrationi bonorum præsunt Confratres, sed parum bona fide, immo non sine dolo reditus in propriam utilitatem convertunt. Ad refrenandum abusum, perpetuumque Rectorem præficiendum curæ Animarum duo Priores Sodalitii Lazzarus Doni, & Bernardinus Luzi deprecati sunt a S. Congregatione, ut bona sodalitatis uniantur Pareciæ, et Parochus impletis omnibus oneribus nomine congruæ superextantes reditus percipiat. *Ses.24.Cap.13 de Reform.*

Episcopus multa refert quoad reditus Societatis, infidelem confratrum administrationem, & imploratam unionem. Singula cognoscent EE. VV. ex sua *Informatione*, quæ integra oculis subiicitur. Etenim quod spectat ad reditus ait = *præfatam Societatem unum tantum prædium possidere in Vocabulo* Carenzotto *cum variis aliis terræ frustulis sejunctis exigui valoris, quin adinveniatur instrumentum ullum, aut testamentum, ex quo innotescat, unde bona hujusmodi possideat laudata Societas. Ex tabula autem in Sacrario appensa eruitur tantummodo, supradicto prædio adnexa esse varia onera Missarum pro nonnullis particularibus defunctis, quæ quotannis sunt* 108. *comprehendis decantatis. Alia adsunt insuper singulis annis tria Officia Missarum, una cum solemni cantu in festo SSmæ Con-*

Conceptionis ad libitum Confratrum. Annuus vero reditus ex præfatis bonis stabilibus proveniens est scut. 155. 41. Exitus autem comprehensis annuis oneribus (etiam congruæ Cappellani curati) *non excedit scut. 106. 46., proindeque in favorem Societatis remanent annuatim scuta 49. 95.*

Ad Confratrum administrationem, quod attinet, hæc habet = *Ast quia Confratres omnes pergravantur ære alieno cum ipsa Societate, exceptis quatuor dumtaxat, ideo assensum denegarunt ad incorporationem, & perpetuitatem Pareciæ, alias cogerentur nedum solvere quod debent, verum etiam ipsis clauderetur via amplius de reditibus impune lucrari, sicuti huc usque fecerunt, authumantes in Ministrorum variatione ita inter se convenire, ut si adversus ipsos judicium constituatur, cœtus convocant, inducias solutioni paciscuntur, quin umquam suum sortiatur effectum. Quapropter cum Societas non habeat, unde solvat onera Missarum, dolose a Prædecessore reductionem impetrarunt pro tertia parte prædictorum onerum missarum, cum possent in integrum satisfieri non solum, verum quoque superessent fere scuta 50. Præterea ex imperitia Confratruum majores oriuntur confusiones, cum nullus ex ipsis adinveniatur, cui adsit animus referre in acta reditus, exitusque nomina; ex quo provenit vel malitiosa occultatio proventus, vel expensarum augumentum, quæ omnia perturbationem talem ingerunt adeo, ut nullus arithmeticus Peritus verum a falso secernere valeat. Hac de causa Societas ipsa nonnullos amisit census activos, quorum adhibitis omnibus diligentiis, ne indicatio quidem adinveniri potest.*

Ex quibus suum aperiens Votum, concludit = *verum esse id omne quod dictæ Confraternitatis Priores Lazzarus Doni, & Bernardinus Luzi exposuerunt in supplici Libello, necnon evidenter apparet necessitas amovendi talia inconvenientia, & ut reditus salvi fiant, & incolumis servetur Confratruum conscientia, quod certe eveniret, si Clementia Sanctitatis suæ dignaretur cum Ecclesia Parochiali S. Martini in unum corpus redigere bona stabilia, reditusque ipsius Societatis etiamsi Confratres assensum superatis suffragiis non dederint plenum, quia assensus non juste negatus a jure suppletur, atque magis magisque incorporationem suadet doctrina Synodus Tridentinæ, quando Parochialium Ecclesiarum fru-*

fructus adeo exigui sunt, ut debitis nequeat oneribus satis fieri, nec honeste Parochus sustentari valeat, uti de facto evenit in casu præsenti, cui indigentiæ procul dubio suppeditatur per dictam bonorum, & redituum perpetuam unionem traducendo in Parochum ipsum onera omnia prædictæ Societatis.

Unioni repugnare videtur eorum voluntas, qui Sodalitium fundarunt, ut pietatis, ac Religionis opera in eo exercerentur, ad quem effectum inducta sunt Christianorum collegia *ad Tex in Leg.* 1. §. *Sed religionis ff. de Colleg. illicit.*, *Durant de rit. Eccles. Cap.* 26. Et quamquam in proposito casu non dissolveretur Sodalitium, sed tantum unio bonorum decernenda esset favore Parochi cum lege implendi omnia ejus onera, attamen grave videtur, ut ab administratione depellantur Confratres, qui hactenus eam exercuerunt. Nihilominus inquirendum erit, utrum necessaria, & utilis causa suadeat unionem, & consensus adsit quorum interest. His enim concurrentibus S. Congregatio uniones probat passim, & præcipue probavit *in Spoletana* 27. *Junii* 1789.

Necessitatem unionis repetit Episcopus a summa inopia Pareciæ, cum longe minus conciliari congrua Parochus exigat a confratribus, scilicet *scuta* 52. nec habeat incerta emolumenta. Ad succurrendam inopiam Paræciarum Tridentina Synodus *Sess.* 24. *Cap.* 13. *de Reform.* jubet suppressionem, & unionem beneficiorum. Multo ergo magis permittenda videtur unio bonorum Sodalitii. Utilitas vero ex eo deducitur, quod Confratres dolose in administratione versentur, & fructus bonorum in propriam convertant utilitatem, quin eorum fraudibus occurri possit. Quare si bona uniantur Pareciæ, ejus Rector bona ex fide administrabit, et impletis oneribus, quæ supersunt *scuta circiter quinquaginta* cum aliis *scutis* 52. ab ipso nunc perceptis implebunt *taxam conciliarem*; unde cura Animarum rejecto amovibili, & mercenario de perpetuo rectore provideri poterit, & Confratribus omnino preclusa erit via dilapidationibus. Hinc nil faciendus est dissensus multorum Confratrum. Idcirco enim repugnant, ne illorum fraudes apertæ sint, neque injusto careant lucro, & ad restitutionem perceptorum adigantur. Irrationabilem autem dissensum, quandoque despexit S. Congregatio, suaque autho-

authoritate has uniones probavit in *Fulginaten.* 30. *Januarii* 1725.

Quandoquidem petita unio ab EE. VV. probetur, sane probandus videtur modus, quo Episcopus unionem faciendam proponit, scilicet impletis omnibus oneribus Societatis. Hæc enim conditio semper interponi solet in unionibus concedendis, ut tradit *Daniel. instit. Civil. & Canon. tom.* 1. *tit.* 12. *num.* 6., *Rigant. ad Reg.* 13. *Cancellar. num.* 136.

Decernendum itaque.

An & quomodo sit locus unioni in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi traditis Confraternitati a Parocho scutis decem in singulos annos erogandis, & in pia Opera, & ad D. Secretarium cum SS̄mo.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

CAMERINEN. SUSPENSIONIS. Templum in Civitate Camerini *S. Mariæ in Via* dicatum *anno* 1634. extruxit clar. mem. Cardinalis Georio, in eoque instituit sex Cappellanos amovibiles, qui servitio ejusdem Ecclesiæ adessent, & stipendium perciperent ex fructibus septuagintaquinque LL. Montium, super quibus dos hujus fundationis constituta fuit. In postremis vero testamenti tabulis ex omnibus suis bonis Fideicommissum ordinavit favore lineę masculinæ Nepotis sui Cesarei Giori, qua sublata substituit Ecclesiam *S. Mariæ in Via*. Cum vero hujus substitutionis dies cessisset; tum hæc præcipua fieri jussit, scilicet: ut alii sex Cappellani nominarentur, qui una cum aliis sex jam institutis quotidie horas Canonicas ad instar Cathedralis persolverent, & singuli Sacra tercentum quotannis perficerent: ut pro stipendio assignarentur *scuta quadraginta* Priori Parocho, *scuta octuaginta & unum* Cappellano Decano, & *scuta septuagintaquinque* reliquis undecim Cappellanis: Ut tandem hæreditas teneretur ad expensas manutentionis Fabricæ ejusdem Ecclesiæ, & sacrarum suppellectilium, necnon Sacelli Divi Ansovini Episcopi, quod in Metropolitana Ecclesia extat.

Ex scripta substitutione purificata sub annum 1739. ad Ecclesiam S. Mariæ in Via delata est Cardinalis hæreditas; cujus tamen reditus cum innotuissent impares scriptis oneribus, authorante Sacra hac Congregatio ne

ita

ita hæc moderata fuerunt, ut pro Servitio Chori quotidia o Cappellani per alternas hebdomadas inservirent; pro tercentis Missis biscentum singuli quot annis celebrarent & stipendium æqua ratione decresceret ita, ut Prior *scuta* 28. 57. perciperet, Decanus *scuta* 71., cæteri Cappellani *scuta* 65. in capita exigerent. Verum deterior facta est Cappellanorum conditio, ubi publica rerum venit perturbatio. Cessata namque solutione fructuum LL. Montium ipsi amiserunt annua *scuta* 606. 73. Tum certe singula onera suspendi oportuisset, nisi Cappellanorum pietas præsto fuisset. Nam paratos sese exhibuerunt ad alternativum Chori servitium, & ad annuam celebrationem Missarum centumquinquaginta pro quolibet licet stipendium *ad scuta* 35. in singulos sibi decurtassent; Id quod probavit Camertinus Archiepiscopus Rescripto suo 24. *Octobris* 1798. *per modum Provisionis, & reservato Beneplacito Apostolico*.

Post restitutam veterem disciplinam in aliam Cappellani inciderunt calamitatem. Nam anno 1799. Civitas Camerini terræmotu afflicta est, ex quo partim ruit Ecclesia *S. Mariæ in Via*. Hinc Populi vota, ut repararetur Templum, in quo servatur Immago Deiparæ antiquo, modernoque culto celebrata. Hinc Cappellanorum cura, ut fatiscentem Ecclesiam restituerent. Hinc æs alienum ab ipsis hoc nomine contractum *ad scuta* 1890. impositis censibus super fundis hæreditatis Georiæ probante Episcopo Isaurensi, (nunc Emo De Petro) in Urbe Apostolico Delegato. Quamquam vero ita nunc restaurata sit Ecclesia, ut in ea Parochiales, & Chorales Functiones peragantur; attamen adhuc necessaria est ex judicio Periti impensa *scut.* 382. 90. ut opus rite perficiatur. Præterea necessaria est restauratio Sacelli S. Ansovini, quod terræmotum fere evertit; quodque reparandum est sumptibus hæreditatis Georiæ, & mille scutorum circiter impensam requirit. Ut igitur hisce expensis supplere possent Cappellani præces SSmo obtulerunt, ut suspensionem obtinerent geminæ Cappellaniæ, quarum una vacat per obitum Sacerdotis Philippi Vannucci, cujus nominatio spectat ad Capitulum Metropolitanæ, altera per liberam Sacerdotis Antonii Olivieri resignationem in manibus Archiepiscopi. Verum ad has preces sub die 23. *Januarii proxime præteriti* rescriptum est *Proponant alia media*.

Quibus deficientibus validius nunc easdem instaurant preces, ut Cappellaniarum earumdem stipendium *in annuis scutis* 70. una cum fructibus LL. Montium in dimissionem æris alieni contracti, & contrahendi erogari possit. Archiepiscopus hæc, quæ in facto exposita sunt, suppeditavit *in sua Informatione*, quam ita concludit = *Instantiam ergo Cappellanorum pro suspensione duarum Cappellaniarum non solum justam, sed necessariam omnino judico pro subeundis expensis necessariis pro perficienda, & firmanda Ecclesia S. Mariæ in Via, & reædificanda Cappella S. Ansovini, & pro extinguendis Censibus, quibus gravatur hæreditas Georia, ad quod explendum nulla alia suppetunt media. Capitulum hujus Metropolitanæ pro petita suspensione electionis novi Cappellani in locum dicti Vannucci suum præstat consensum. Ego pariter meum præsto pro suspensione Cappellaniæ vacantis per liberam dimissionem Sacerdotis Olivieri. Addendum arbitror Priorem, & decem Cappellanos pro chori, & Ecclesiæ Servitio esse sufficientes, & Populi devotionem ex hac suspensione non imminui. Quoad tempus necessarium refero intervallum requiri saltem viginti annorum, dummodo eximatur pia hæreditas ab onere celebrationis, & applicationis Missarum eisdem duabus Cappellaniis proportionabiliter injuncto, ut ex adnexo folio* = de quo inferius redibit sermo.

Suspensio sane Cappellaniæ adversatur, tum voluntati fundatoris, tum juris dispositioni *Card. de Luca de jurepatronat. disc.* 20. *num.* 12., & *Fargna eod. tractat. part.* 2. *can.* 27. *col.* 6. *num.* 4. Inquirendum igitur erit num idoneam causam ad suspensionem nominationis exhibeant sumptus, qui in Ecclesiæ, & Sacelli reparationem erogari debent. Sane de necessitate reparationis testatur Archiepiscopus, & exploratum est, quod hæreditas clar. mem. Cardinalis Georio, qui Ecclesiam fundavit, & ejus manutentionem necnon Sacelli S. Ansovini jussit, omnino ad has impensas teneatur. Jam in hac hæreditate substituta est ipsa Ecclesia *S. Mariæ in Via*, & Ecclesias reparandas primum esse ex suis reditibus monet Trydentina Synodus *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*, mandavitque ipse Fundator.

Verum reditus omnes, ex hæreditate manantes dividuntur in stipendium Cappellanorum. Quare contendi posset, utrum beneficiati adigi debeant ad reparatio-

ctionis expensas. Ita tamen beneficiati tenentur, ut primum salva sit oporteat congrua illorum sustentatio, *Gallemart. ad cap.7. Sess.21. Concil. Triden. verb. instaurari, Barbos. ibidem num.10.*, & *Amostaz. de Caus. piis lib.5. cap.6. num.31. tom.2.* Dum itaque Cappellani jam sponte stipendium remiserunt pro scutis quadraginta in singula capita, videtur sane, quod ulterior diminutio fieri nequeat; ne aliter eis deficiat, unde se possint sustentari. Deficientibus autem aliis mediis ad expensas reparationis Ecclesiæ supplendas *Sacra Congregatio* concedere consuevit suspensionem Canonicatus, ut videre est *in Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ* 20. *Februarii* 1796. *ad II. Dub.* Eoque pronius hæc excipienda videtur suspensionis instantia, cum Ecclesiæ servitium satis comode suppleri queat ab aliis decem Cappellanis, & Populi devotio nullum detrimentum capiat, tandemque Archiepiscopus, & Capitulum metropolitanum (ad quos nominatio spectat vacantium Cappellaniarum) suspensioni assentiantur.

Quatenus *EE.* VV. Sententia in suspensionem inclinet, statuendum erit tempus ad quod concedenda sit. Archiepiscopus censet necessarium saltem fore vicennium. Nam in Folio, de quo *in Informatione* meminit, ita harum impensarum rationes expungit. Pro reparatione Ecclesiæ S. Mariæ in Via jam impositus fuit census in sorte *scut.* 1890. Præterea necessaria sunt adhuc ad opus perficiendum alia *scuta* 302. 90., & pro reparatione Sacelli S. Ansovini impensæ liquidantur in *scutis* 1000., quæ singulæ partitæ summam conflant in *scutis* 3272. 90. Ad dimissionem hujus debiti jam destinata sunt annua *scuta* 30., quæ in annis viginti dabunt *scuta* 600. Quamobrem si concessa gratia simul suspendantur etiam onera Missarum, quæ duabus hisce Cappellaniis adnexa sunt, redire poterunt ex his annua *scuta* 100., quæ per viginti annos conflabunt summam *scut.* 2000., itaut in totum habebitur summa *scut.* 2600., quæ certe quantitatem debiti non æquat, proinde ultra propositum ab Archiepiscopo tempus suspensio prorogari deberet, nisi forte vicennio durante ex piis Fidelium Oblationibus deficientem summam Oratores collegerint.

Restat ut EE. PP. modum statuant quo suspensio concedi debeat. Nam Archiepiscopus proponit, etiam suspensionem Missarum, quæ duabus Cappellaniis ad-

adnexa sunt. Grave quidem hoc videtur in detrimentum suffragii animae fundatoris. Sed non omnia fundatori detrahuntur suffragia, cum plura supersint in caeteris Cappellaniis implenda; nec desunt exempla similium indultorum in causam reparationis Ecclesiae, ut in *Lisbonen. Applicationis* 18. *Decembris* 1790.

Triplex haec quaestio de suspensione nominationis Cappellaniarum, de tempore, de modo proponitur dirimenda in sequenti Dubio.

An, ad quod tempus, & quomodo concedenda sit suspensio Cappellaniarum in casu &c.

Affirmative juxta votum Archiepiscopi, & ad D. Secretarium cum SSmo.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

PATAVINA TRANSLATIONIS MISSÆ. Oratorium B. Mariae Virgini Lauretanae dicatum in Villa *Valdobbiadine* (quae est in Patavino) extruxit *ann.* 1644. Joannes Roma = *affinchè detta Chiesa sia uffiziata, spontaneamente per se, eredi &c. ha dotato, e dota con una perpetua investitura la Chiesa predetta delli Livelli nel fine del presente descritti, con l'utile de' quali sia data quella carità ad un Sacerdote, che sarà stimata conveniente, qual Sacerdote ogni Venerdì dell' anno abbia da celebrar la Messa in detta Chiesa per l'anima de' suoi* = Descripti autem in fundatione reditus, seu *Livelli* summam annuam conficiunt Libellarum 97. 13., quae vix respondent scutis decem monetae romanae.

Patronatu hujus Oratorii gaudet nunc *Usualda Puppa Sarri dell' Armi*, & a S. Congregatione deprecatur, ut, quoniam Oratorium temporis vetustate fatiscens & indecens suspensum jam fuit a Vicario Foraneo, liceat sibi ad aliud ejusdem Loci Oratorium, quod appellant *di S. Fede* praedictae Missę hebdomadalis celebrationem transferre. Quibus de precibus haec refert Vicarius Capitularis = *audito Parocho intra cujus Paraeciae fines situm est Oratorium Virginis Lauretanae, eumdem instantiae factae ab Oratrice minime se opponere, immo eam omnimode approbare, & laudare. Ad quem autem spectet reparationis onus discernere non possum, cum id Fundator Oratorii in fundatione silen-*

lentio prætereat. Quod vero attinet ad impensam necessariam, ut mihi certissime constat, eadem tanta necessaria esset, quanta ad aliud Oratorium a fundamentis erigendum. Quoad impotentiam supplendi eadem apparere videtur ex legato instituto, quod neque satis est ad congruam hebdomadalis Missæ celebrationem. An vero cultui Oratorii prædicti, aut Populi commodo, ex ejus demolitione præjudicium inferatur? Nullum certe. Oratorium minatur ruinam, nemo ad illud accedit, ut Parochus testatur, ideo indecorum est. Situm autem est in loco ab habitatione Populi dissito, & remoto. Ecclesia autem designanda, est aliud Oratorium S. Fidei dicatum, quod commodum est Incolis Parœciæ Vallisdubladinis valde protensæ, & quod tum a Parocho, tum ab incolis magnopere desideratur.

Postulat Oratrix translationem Missæ ex eo quod fatiscens sit Oratorium, in quo Missa hebdomadalis ex fundatione celebrari debet. Causa vero ad translationem concedendam cum semper debeat esse justa, urgens, & necessaria, tum præcipue, ubi Fundator Ecclesiam designavit, ut tradit *Ricc. in Prax. part.* 4. *Resolut.* 69. *per tot.*, *Pax Jordan. tom.* 1. *Var. Resolut. Lib.*4.*tractat. de Sacrific. Missæ num.* 540., & *Sac. Congregatio in Vicen. Translationis Oneris Missarum* 19. *Aprilis* 1766. Ex Tridentino autem *Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.* habetur, quod *Episcopi tamquam Apostolicæ Sedis delegati, transferre possint beneficia etiam jurispatronatus ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob earum inopiam nequeant instaurari, in Matrices aut alias Ecclesias locorum earumdem, seu viciniorum* = Ex quibus patet translationes ex causa imminentis ruinæ, tum demum concedi, si Ecclesia ob inopiam instaurari non possit. Cum vero Oratrix sit patrona hujus Oratorii, sane videtur, quod ipsi incumbat onus reparationis, *ut ex eodem Decret. Trident. Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.* tradit *Fagnan. in Cap. Cum autem de jure patronat.* Quare extemporaneum videri possit consilium de translatione Missæ, quoties Patronæ vires suppetant ad ferendam reædificationis impensam.

Verumtamen ponderandum est cum Vicario Capitulari, nullum in fundatione hæredibus injunctum fuisse

onus

onus manutentionis. Dos autem adeo pusilla est, quae dum vix sufficit celebrationi Missae, eo minus idonea esse poterit reparationi Oratorii. Expensa vero tanta necessaria foret, quanta erogari deberet, si denuo a fundamentis Oratorium extrueretur. Praeterea opus esset inutile, cum Oratorium licet reparatum semper dissitum esset a Parecia, & Incolis comodius pateat Oratorium S. Fidei. Hinc fit, ut Parochus, translationem probet, & Populus eamdem optet, cum ex ea nullum detrimentum, sed immo majorem capiat utilitatem. Quibus concurrentibus S. Congregatio translationem indulgere consuevit *in Patavina* 11. *Julii* 1801. *ad II. Dub.*

Translatione vero concessa, cum Oratorium S. Mariae Lauretanae ruinosum sit, & inutile, neglectumque jaceret, tum sane demandanda videtur demolitio erecta ibi Cruce ad praescriptum *Sac. Concilii Tridentini Sess.*21. *Cap.*3. *de Reform.*, & alias hoc idem fieri jussit Sac. Congregatio *in Lucana Demolitionis* 18. *Augusti* 1787., *& in superius citata Patavina* 11. *Julii* 1801. *ad II. Dub.*

Ex his Dubium est:

An sit locus translationi Missarum, & demolitioni Oratorii in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. *de decret. de invocat. SS.*

VELITERNA CELEBRATIONIS MISSÆ. Capitulum Collegiatae S. Pauli a diruto Oppido Nymphae in proximum Oppidum Cisternae translatum quotannis celebrare consuevit Festum Conversionis ejusdem S. Apostoli sub cujus patrocinio manet. Ex Codicibus, qui in ejus tabulario asservantur constat, ea die missam modo celebratam fuisse a Canonico hebdomadario, modo a Camerario, frequentius vero a Canonico Decano. Cum nuper Vicarius Generalis Velitrensis in Sac. Visitatione demandasset, ut in celebratione Missae, quo die Festum S. Protectoris recurrit, Sacerdos, & Ministri uterentur praetiosioribus indumentis; hinc orta controversia est inter Archipraesbiterum, qui contendit sibi ea die spectare celebratio-

tionem Missæ, & Canonicos, qui in capitularibus Comitiis proxime praeterito Mense Martio habitis decreverunt, ut Missæ celebratio in die festo S. Titularis ad Canonicum Decanum, seu Hebdomadarium spectaret, quemadmodum hactenus celebrari ab iis consueverat.

Ex compromisso facto conventum fuit, ut hæc controversia a S. Congregatione dirimeretur. Eminentissimi Episcopi Velitrensis votum favet Canonicis. Nam inquit = *postquam comperui nullam de celebratione dicti Festi S. Pauli scriptam extare Collegiatæ Constitutionem, & e contra exploravi ejusdem Ecclesiæ consuetudinem circa SS. Cæremonias, quæ ea die aguntur, censerem exercitium earumdem Functionum non spectare privative ad Archipræsbiterum, sed pertinere ad Canonicum Seniorem, sive Decanum, vel Canonicum hebdomadarium, ut observari hactenus consuevit. Nulla quippe peculiari Capituli Constitutione, nulla certa ejusdem Collegiatæ consuetudine præscriptum habetur SS. Cæremonias, sive functiones diei festi Conversionis S. Pauli ab Archipræsbitero, qui primas in eodem Capitulo tenet, esse peragendas, ad eumque illarum exercitium privative spectare. Ergo nullo jure ab eodem Archipræsbitero privativum illarum exercitium præsumitur*.

Duabus potissimum nititur rationibus Archipręsbiter, ut sibi vindicet privativum exercitium Sacrarum functionum in die festo S. Protectoris, scilicet quod sit Festum primæ Classis, in quo proinde celebratio spectet ad ipsum, qui cæteros dignitate pręcellit, ut tradit *Scarfanton. Animadver. ad Ceccoper. Lib. 2. Tit. 10. num. 24.*; Quodque cum ex Decreto S. Visitationis in ea celebritate Ministri induere debeant pretiosiores vestes, ex hoc ipso declaratur, quod festum illud sit primæ classis, ut celebratio Missæ ad Archipræsbiterum tamquam ad primam Dignitatem spectet.

Canonici vero ex jure contendunt, quod cum nulla sit scripta Ecclesię constitutio quoad exercitium hujus functionis, omne ferre debeat punctum consuetudo, ex qua hujusmodi præcedentiarum Controversiæ dirimuntur, ut tradit *Rocca Disput. jur. Cap. 30. num. 7.*, *& Rota in Recen. decis. 141. num. 6. part. 19.*, *& in Ulysiponen. Præcedentiarum 26. Maii 1754. §. 7. cor. Amadeo*. Constat vero, quod semper festum diem

 S. Pro-

S. Protectoris celebratum sit a Canonico Decano, seu Camerario, seu Hebdomadario. Nam in Codicibus, qui in Tabulario Capituli asservantur, habetur anno 1701.=*Canonicus Decanus cantet ex ærario Capituli solvendam Missam solemnem cum cantu in Altare S. Pauli die conversionis ejusdem*=Rursus proximo tempore *anno* 1781. habetur, *quod Camerarius pro tempore cantet Missam unam in Altare S. Pauli Apostoli die vigesima quinta Januarii Festo ejusdem Sancti Titularis Capituli.* Et tandem, referente Emo Episcopo anno 1782., & sequiori tempore idem Canonicus Senior semper ea die sacrum celebravit. Ex qua consuetudine monumentis antiquis & recentioribus confirmata concludunt, Archipræsbiterum nullam sibi posse arrogare prærogativam ut Missam præ aliis celebret. Præcipue cum festum Protectoris Capituli non recenseatur inter illas primæ classis. Inter hæc enim ex Rubrica tantummodo adscribuntur, quæ Patronis alicujus Oppidi nuncupata sunt. Neque si ex Decreto S. Visitationis præscribitur, ut Ministri ea die prætiosioribus utantur indumentis in Missa celebranda, idcirco hæc dies solemnior *primæ Classis* haberi debet. Non enim ex qualitate indumentorum, quæ sæpe ab arbitrio pendet eorum qui festum celebrant, sed ex Rubrica solemnitas diei censetur.

Dubium proponitur.

An, & cui competat celebratio Missæ in die festo S. Protectoris in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. Decembris 1802. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PATAVINA TRANSLATIONIS MISSÆ. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

An sit locus translationi Missarum, & demolitioni Oratorii in casu &c.

Affirmative in omnibus juxta votum Vicarii Capitularis servata in prophanatione forma Sac. Conc. Trid. Sess. 21. cap. 7. de Reform. & apposita Icone S. Mariæ Lauretanæ.

VELITERNA CELEBRATIONIS MISSÆ. *Sess. 25. Decret. de Invoc. Sanct.*

An, & cui competat celebratio Missæ in die Festo S. Protectoris in casu &c.

Affirmative juxta solitum.

ROMANA, SEU BONONIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Quæsitum fuit in Congregatione diei 18. Septembris nuper elapsi = *An constet de nullitate Professionis in casu &c.* = & EE. PP. plenis suffragiis rescripserunt = *Negative, & ad Mentem. Mens est, quod Emus Urbis Vicarius procedat prout de jure contra Testes de statu libero Clementis rogatos, & mandat deleri ex Libro Matrimoniorum Parœciæ SS. XII. Apostolorum partitam matrimonii a Clemente celebrati, & ex actibus Fides status liberi, nec non transferri eumdem Clementem in aliquam religiosam Domum strictioris* *Sess. 25. cap. 15 cap. 19. de Regular.*

 obser-

observantiæ, ut Exercitiis spiritualibus vacet per mensem arbitrio ejusdem Emi: Reproponitur hodie Causa cum iisdem hinc inde allegationibus. Resumpto itaque *illius Congregationis Folio* deliberandum venit dubium,

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 5. cap. 1, Sess. 25. cap. 13 de Regul.

LUCANA PRÆCEDENTIÆ. Præsul Sylvester de Giglis Civis Lucensis, cum difficillimis illis lutheranæ hæresis temporibus Vigorniensem Ecclesiam in Anglia tenuisset, Orator Henrici VIII. Britanniæ Regis ad Pontificem Leonem X. venit, & bene de Religione, & Sede Apostolica meruit. Ut Summus hic Pontifex gratiam meritis referret, ei flagitanti concessit, ut erigere posset Collegiatam in Ecclesia S. Michaelis, quæ in Foro Lucæ extat, & juspatronatum ad instar *Principum Laicorum* familiæ de Gigliis reservavit. In Bulla erectionis expedita sub annum 1518., & in aliis posterioribus *Anno* 1519., & 1520. *editis* amplissima concessa fuere privilegia tum Canonicis & Beneficiatis, tum Rmo Decano, qui tamquam *prima Dignitas* Capitulo præest, cum jurisdictione quasi Episcopali exercenda intra ambitum Ecclesiæ S. Michaelis, & in ceteras Ecclesias, personasque ei subiectas, quas ab Ordinarii potestate prorsus exemptas fore decrevit. Illud vero, quod proprius ad præsentem questionem pertinet, est privilegium in eadem Bulla expressum: *ut in Processionibus, & aliis locis, in quibus capitulariter convenerint, locum immediate post Capitulum majorem, & ante Capitula aliarum Collegiatarum Lucanarum* (Decanus & Canonici pro tempore S. Michaelis) *habere possint, & debeant.*

Post quinquaginta, & ultra annos ab hoc obtento privilegio, cætera Capitula Collegiatarum tamquam fundationis vetustioris obstiterunt *præcedentiæ*, qua Capitulum S. Michaelis ex recentiori Pontificio privilegio utebatur. Controversia inde orta ad Episcopum

Ari-

Ariminensem Joannem Baptistam Castelli delata fuit, qui in Diœcesi lucana Visitatoris Apostolici munere fungebatur. Hic *anno* 1575. Decretum tulit ejusmodi = *Si hinc ad Mensem Julii anni sequentis Capitula Collegiatarum Secularium aliquid a Sede Apostolica non obtinuerint, quo facultas Capituli Collegiatæ S. Michaelis in Foro ab eadem S. Sede concessa, ut omnia alia Capitula Ecclesiarum Collegiatarum Lucanarum præcedat, tollatur, suspendatur, aut declaretur, id Capitulum aliarum Collegiatarum Capitula ubique præcedat, & super hac controversia perpetuum silentium impositum censeatur, & sit*.

Nil vero cetera Capitula apud Sanctam Sedem profecisse constat, ut hujus privilegii abrogationem obtinerent. Nam per annos fere biscentum Capitulum S. Michaelis concessam supra alios prærogativam se exercuisse contendit ex pluribus actibus inferius recensendis. Nihilominus temporis diuturnitas impedimento non fuit, quominus anno 1703. questio de præcedentia denuo excitaretur. Hoc namque tempore alterum Capitulum S. Joannis, & Reparatæ de præcedentia certavit contra Capitulum SS. Paulini, & Donati, causamque obtinuit ut patet *ex Rotalibus Decisionibus* 694., & 822. *coram Molines*. Ex parta victoria, Parochus SS. Joannis, & Reparatæ ratus sibi debitam fore præeminentiam supra Parochum S. Michaelis rem detulit ad Vicarium Capitularem. Verum hic prorsus rejecit hanc innovationem, eique locum digniorem cedere nolenti suspensionis pœnam inflixit, cumque Parochus ad Sac. hanc Congr. reclamasset, hæc suspensionem sustulit quidem, sed quoad præcedentiam mandavit *servandum esse solitum ut in Lucana diei* 28. *Julii* 1703. *Lib. Decret.* 53. *pag.* 332.

Post diuturnum tandem silentium elapso Anno 1801, eadem redintegrata est quæstio *præcedentiæ* inter Capitulum S. Michaelis, & aliud *SS. Joannis, & Reparatæ*. Cum enim hoc ægre ferens præcedentiam Capituli S. Michaelis, sese abstinere cæpisset ab interventu in publicis supplicationibus, cumque eodem Anno 1801. Gubernii Præsides decrevissent, ut omnia Capitula Processioni SSmi Corporis Christi interesse deberent; Capitulum SS. Joannis, & Reparatæ impe-

tra-

travit decretum *die* 31. *Maii* 1801., quo cautum fuit, ut sortitione facta cumCap.S.Michaelis per alternativā illud præcederet, cui sortis arbitrium favisset. Cujusmodi decretum instante Capitulo S. Michaelis alia sanctione *diei* 2. *posterioris Junii* ita declaratum est, ut præcedens nil vel in possessorio, vel in petitorio illius juribus derogasset, quodque nisi intra decem menses absoluta lis esset inter duo Capitula, semper illud S. Michaelis præcederet, donec secus decerneretur.

Intra prestitutum terminum decem mensium Capitulum SS. Joannis, & Reparatæ neglexit jura sua deducere. Tandem novo termino aliorum decem Mensium sub iisdem conditionibus, die 10. Junii proximi præteriti impetrato preces obtulit huic Sac. Congregationi, in quibus admittens Capitulum S. Michaelis esse in possessione præcedendi postulabat, ut cogeretur ad jura sua deducenda. Ex rescripto diei 19. *Junii nuper elapsi* commissæ Praeces fuere Voto Archiepiscopi Lucensis, eique injunctum, ut mensis spatium præfiniret Capitulo S. Michaelis ad vadimonium coram Emis Vestris instituendum. Ita se fecisse profitetur in sua *Informatione* Archiepiscopus, qui consulto se abstinet a ferenda Sententia, cum agatur de re *difficilis*, *& implicatæ inquisitionis*, *cujus veritas ex utriusque partis rationum discussione duntaxat ab EE. VV. facienda poterit sapientissime definiri*. Dictus est hic dies pro propositione causæ. Capitulum S. Michaelis jura sua exhibuit in Allegatione EE. PP. distribuenda, & Capitulum SS. Joannis, & Reparatæ nihil adhuc mihi protulit.

Ex his quæ in facto deducta sunt, patet, quod Capitulum S. Michaelis habet expressum Privilegium ex Bulla Leonis X., ut ejus Individui *in Processionibus*, *& aliis locis, in quibus Capitulariter convenerint locum immediate post Capitulum majorem*, *& ante Capitula aliarum Collegiatarum Lucanorum habere possit, & debeat* = Rursus ex allatis monumentis, immo ex confessione Capituli SS. Joannis, & Reparatę constat quod illud in possessione hujus præcedentiæ versetur. Quare si in controversiis hujusmodi omne tulit punctum, qui allegat expressum Privilegium, & pedissequam observantiam, ut passim tradit Rota, & præcipue *in de-*

decis. 366. *num.* 24. *cor. Ansaldo*, & *decis.* 772. *num.* 17. *coram Molines*. Eidem proinde Capitulo servanda videtur in sacris supplicationibus præcedentia, quousque alterum SS. Joannis, & Reparatæ exhibuerit novum privilegium præcedentis derogatorium, vel alium idoneum titulum judicio firmatum.

Illo autem tacente latet, quibus juribus confidet. Ut vero præ munere exponam, quod ex ejus precibus colligitur, argui potest, quod nitatur privilegiis sibi concessis multo ante, quam erigeretur Collegiata S. Michaelis, & *a Leone* X. enunciata Indulta obtinuisset. Inde utetur forte hoc argumento, quod cum ex Bulla leonina expresse derogatum non sit illis privilegiis anterioribus, aut nullo modo censendum sit sublatum jus pręcedentiæ jam Capitulo SS. Joannis, & Reparatæ quæsitum, aut per obreptionem novum Privilegium fuisse extortum.

Hæc tamen præoccupat Capitulum S. Michaelis in sua allegatione. Nam contendit, quod Pontifex Leo X. cum Privilegium concessit, probe sciebat, quod in Civitatæ Lucæ alia erant Capitula, semel ac novæ Collegiatæ concessit, ut præiret *ante Capitula aliarum Collegiatarum Lucanarum*: Quod si Summus Pontifex potest alios supra alios extollere, & novos digniores facere, & privilegiis decorare, ut tradit *Ursaya Discept. Ecclesiastic.* 10. *n.* 15. *tom.* 3. *part.* 1., *Pignattell. Consult. Canonic.* 60. *per tot. Tom.* 6., *Card. Petra Comment. ad Constit. Apostolic. t.* 1. *pag.* 422. *n.* 6.; non est dubitandum, quod hoc ipso voluerit derogare precedentiis, quibus alia Capitula antea utebantur. Hæc enim nova Privilegia cum ex sui natura præjudicium aliorum juribus inferant; hinc necessaria ad eorum validitatem non est derogatio jurium jam tertio quæsitorum, ut in iis lem fere terminis tenet *Piton. Discept. Ecclesiast*, *c*, 116. *num.* 22. *Carolus Antonius de Luca in animadvert. ad Gratian. Discept.* 578. *num.* 1., & *seq. tom.* 3. *Rota coram Buratt. decis.* 193. *num.* 23. Maxime, cum in Bulla Leonis X. adsint Clausulæ derogatoriæ *Constitutionibus*, *Ordinationibus Apostolicis*, *Statutis*, & *consuetudinibus contrariis quibuscumque* munitæ etiam *Decreto irritanti*. Ex quibus certe S. Pontifex voluit removere quodcumque

que

que obstaculum, ut Capitulum S. Michaelis novo privilegio uteretur.

Eoque minus obreptionis, & subreptionis argui nunc potest hoc privilegium, quo magis certum est, quod cætera Capitula de præcedentia *anno* 1575. contra Capitulum S. Michaelis periclitata sunt coram Visitatore Apostolico qui privilegii exequtionem decrevit. Hinc jugis observantia, ex qua apparet, quod Capitulum S. Michaelis concessam prorogativam exercuit. Nam anno 1588. cum publica supplicatio indicta esset Sacræ Iconi *Deiparæ ex Miraculis* Capitulum S. Michaelis cæteras Collegiatas dignori loco præivit, ut habetur *ex descriptione typis impressa an.* 1591. *ab Historiographo Belisario Morganti.* Pari modo *annis* 1631. 1648., *&* 1662. in Processionibus peractis sive ad pestem avertendam, sive ad implorandam cæli serenitatem, sive ad propulsandum malum Epidemicum Collegiata S. Michaelis servavit præcedentiam supra alias, quæ tum interfuerunt. Ex quibus factum est, ut in Synodis Diæcesanis post Capitulum Cathedralis dignorem locum obtinuerit Capitulum S. Michaelis, & in *Congregationibus*, quæ bis in mense pro solutione casuum conscientiæ cogi solent, & in S. Ordinationibus, tandemque in Oratione quadraginta horarum post addictos Capitulo Cathedralis accersiti sint Capitulares S. Michaelis. Hoc etiam precedentiæ gradum obtinuerunt a Senatu Lucensi, qui sive in publicis ceremoniis, sive in actibus publicis Capitulum S. Michaelis post Cathedralem præhabuit. Qui actus cum habeant causam universalem, & ex indulto Privilegio proficiscantur, tum inducunt observantiam, quæ in posterum præcedentiis normam præscribit, ut tradit *Rota decis.* 1047. *num.* 1. *coram Seraphino, & dec.* 93. *num.* 11. *coram Buratto.*

Dubium derimendum proponitur.

An, & cui in supplicationibus publicis debeatur præcedentia in casu &c.

Affirmative favore Capituli S. Michaelis.

NUL-

NULLIUS FARFEN. CANONICATUS. In Collegiata Ecclesia S. Antonini Martiris Terræ Pharæ duo sunt Canonicatus, quibus est nomen *Lisena* ex Fundatore Petro Lisena, qui postremis tabulis anni 1734. eos erigendos jussit, nominationemque dedit Abbati Commendatario Farfensi = *pregandolo voler nominare persone più prossime al Sacerdozio, ed essendovi della Famiglia Lisena volerli preferire agl' altri, e per quanto puole conferirli a persone della Fara, acciò abbiano il pensiere di custodire li beni stabili lasciati per dote di detti Canonicati* = Ut unum ex hisce Canonicatibus vacatum de mense *Julii anni* 1801. per obitum Canonici Gatti consequi posset Aloysius Cricchi in Terra Pharæ sexdecim annis natus, & a Fundatore ex femina descendens, postulavit a S. Congregatione, ut quoniam ab Ordinario a tonsura fuerat repulsus, liceret sibi eam a quocumque catholico Antistite suscipere. At audito, & repugnante Ordinario Præces hujusmodi rejectæ fuere per Rescriptum *diei* 12. *Septembris* 1801. = *Lectum* =

Sess. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Non tamen despondit animum Aloysius Cricchi. Licet enim Sacerdos Aloysius Rossi supplicaverit SSmo pro obtinendo Canonicatu tamquam ex fundatione qualificatus, attamen Cricchius eidem obstitit apposito in Dataria = *Nihil transeat* = Exorta hinc inter eos quæstio ab Emo Pro-Datario ad S. hanc Congregationem *pro Voto* fuit ablegata. Proinde post terminum per Ordinarium Aloysio Cricchi præfixum de mandato S. hujus Congregatione *ad jura sua deducendum*, ad hodiernam diem, licet alias indictum dilatum est vadimonium, a quo ille judicio adhuc latitat, & unus Præsbiter Rossi Allegationem Emis Vestris distribuendam exhibuit.

Ad Cricchi preces jam rejectas hæc ad quæstionem opportuna retulit Ordinarius, scilicet quamobrem ei tonsuram denegaverit. *Primo* (ait) *quia ipse falso exposuit, se postulasse initiari a me prima clericali tonsura, cum de tali postulatione numquam audieram, Secundo & si a me postulasset, merito eum rejecissem, cum non in sortem Domini vocatum, sed ad lucrum temporale ex Canonicatu reportandum eum agnovissem. Tertio, quia in ætate sexdecim annorum caret scientia*

propria hujus ætatis, unde sperari nequit profectus ad scientias pro Sacerdotio requisitus. Quarto quia excluditur ab ipsomet testatore ad obtinendum Canonicatum, cum in ætate sexdecim annorum constitutus longissime distet ab ætate vigintiquinque annorum pro Sacerdotio requisita. Quinto si aliqua consideratio esset habenda pro nominatione eorum, qui ex Testatoris familia descendunt (pro quibus dictus Testator solummodo obsecravit Ordinarium, cujus libero arbitrio nominandi jus reliquit) non esset nominandus Orator, sed potius Sacerdos Rossi æqualiter, ac Orator Cricchi a testatore Lisena per fœminam descendens, in cujus favorem verificatur, & ætas, & ad Sacerdotium non tantum proximitas, sed in actuali Sacerdotio existentia.

Si verba deprecativa a Testatoribus prolata important præceptum *ex Text. in leg. Cum modo, & l. Commodo ff. de Legat.*, dubitandum non est, quin qualitates per verba licet deprecativa expressæ in fundatione ita attendendæ sint, ut, qui eas præstet, tamquam *qualificatus* sit omnino nominandus, ut tradit *Garzia de Beneficiis part. 4. cap. 3. num. 61.*, & Sac. Congregatio *in Civitatis Castellanæ Canonicatus 22. Novembris* 1801. Tria vero exoptavit Fundator *Lisena*, ut quis ad Canonicatum optare posset; *proximitatem* scilicet ad Sacerdotium, *descendentiam* ex familia Fundatoris, & *domicilium* in Terra Pharæ. Uterque ex contendentibus ad Canonicatum est ex Fæmina Fundatori conjunctus. At Aloysius Rossi, qui nedum proximus Sacerdotio, sed actu Sacerdos est, nec ortum, neque domicilium habet in Terra Pharæ, sed in propinquo municipio Castri Novi. Contra Aloysius Cricchi in Oppido Pharæ natus adeo remotus est a Sacerdotio, ut nec ab Ordinario tonsuram adhuc consequi potuerit, nec a Sac. Congregatione facultatem, ut ab alio Antistite Sacris initiaretur. Cum igitur neutrum habeat singulas qualitates a Fundatore præscriptas, statuendum erit, uter sit præferendus. Certe quidem Fundator enixius exoptasse visus est, ut Ordinarius Canonicatum conferret = *per quanto puole a persone della Fara* = ad eam respiciens causam = *acciò abbiano il pensiere di custodire li beni stabili lasciati per dote di detti Canonicati* = Quare in hoc potior videtur Cricchius, qui Pharam incolit.

At

At Praesbiter Rossi contendit, quod Fundator in principe Fundationis loco requisivit, ut nominandus esset = *prossimo al Sacerdozio*. Deinde, ut ex sua familia descenderet, tandem *per quanto puole*, ut esset de Terra Pharae. Hinc praelationem sibi asserit tum ex fundatione, tum ex dispositione juris. Nam cum ipse sit Sacerdos, & descendens praecipua habere dicit requisita, quae Fundator praescripsit. Nec morandum si ortum non habuit in Terra Pharae. Nam haec qualitas alligata est alteri requisito proximitatis Sacerdotii, & ab ea dependens. Quare si Testator nominandum voluit Oppidanum Pharae *per quanto puole* hoc satis indigitavit, quod caetera requisita essent praehabenda. Ex dispositione vero juris praelationem concedendam esse contendit Presbytero supra laicum, qui adhuc nec tonsuram obtinere potuit ut post *Text. in cap.2. de Praeben.* docuit *Sac. Congregatio in Sutrina Cappellaniae* 16. *Maii* 1802.

Dubium est,

An, & quae supplicatio sit signanda in casu &c.

Affirmative favore Praesbiteri Aloysii Rossi.

CONGREGATIONIS LATERANENSIS. Passivis obaerata Censibus Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium ad summam scutorum circiter quincentum millium vitare non potuit concursum super bonis in Pontificia ditione existentibus, ad quem accesserunt Creditores omnes tam nostrates, quam exteri dominii. Singuli vero protulerunt contractus censuum in Urbe stipulatos, in quibus bona universa Congregationis hypothecae nexu obstricta fuere. Quo convocato concursu verentes Canonici Regulares, ne si bona poneretur sub hasta, sibi congrua deesset sustentatio, a SSmo obtinuerunt, ut *Causae omnes praevia illarum avocatione à quocumque Judice, & Tribunali remitterentur = Ad Sacram Congregationem Concilii, quae libratis Oratorum circumstantiis, & non oblitis juribus Creditorum, istorum satisfactioni, & indemni-* *Sess.7. cap.14. de Reform.*

 tati

tati , simulque subsistentiæ , ac decori infrascriptæ Congregationis provideat cum omnibus facultatibus necessariis , & opportunis , ut pandit Rescriptum per organum Vice-Auditoris SSmi editum sub die 16. *Augusti nuper elapsi* ,

Omnia itaque bona quae sub concursu veniebant , quæque ad singulas pertinent Canonicas Ditionis Pontificiæ , & Indulto Sac. hujus Congregationis optimis conditionibus locata fuerunt , omnibusque simul sumptis locationibus reddunt quotannis scuta 9131. 10. . Verum hæc satis non sunt , ut omnibus usuris Creditoribus debitis satisfieri possit, atque persolvendis jam assignatis alimentis cuilibet Canonicorum . Nam usuræ hujusmodi attingunt annua circiter scuta duodecim millia , ex quibus *octomillia* , *& sexcentum* circiter Creditoribus Status Ecclesiastici reliqua termillia ; & quatuorcentum circiter exteris creditoribus debentur. Hinc si omnes admittendi essent ad concursum habita ratione *anterioritatis* , & *potioritatis* , multi creditores Ecclesiasticæ Ditionis vacui prorsus discederent , & Canonici congruis vitæ subsidiis carerent .

Ut igitur Creditores nostrates sibi , & Canonicis , quo fieri potest modo , consulant , sponte ex suis Creditis remittunt scuta quindecim in singula centum . Nam hac diminutione facta scuta illa 9131. 10. , quæ ex locatis bonis percipiuntur , sufficerent tum sustentationi Canonicorum , tum singulis diversarum Canonicarum privatis , publicisque oneribus ; tum demum usuris annuis , quæ debentur Creditoribus in Pontificia Ditione existentibus . Quamobrem ipsi præferri postulant exteris creditoribus , qui suas experiri valent actiones super bona , & capitalia longe ditiora , quæ Lateranensis Congregatio in exteris dominiis possidet , quaeque Creditores nostrates aut difficilius , aut nullo modo persequi possent ; Quæritur proinde sub infrascripto dubio utrum nisi ex rigore juris, saltem ex æquitate , & gratia Principis expetita prælatio sit indulgenda .

Ex jure cautum est , quod *non loci sit æs alienum* , *sed universarum facultatum* , ut respondit *Ulpianus in leg. Fideicommissum* 50. §. *Tractatum ff. de judiciis* . Atque *in leg.* 8. *ff. de distract. pign.* sancitum, quod *Creditoris* ar-

arbitrio permittitur ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit distractis, ad suum comodum pervenire. Unde hoc statuendum videtur, quod Creditores quocumque loco siti possint concurre super universo patrimonio debitoris licet per diversas regiones diviso, ut tradit *Molina dePrimogenitur. lib. 1. cap. 10. num. 3., Guzman. de Evictian. quæst. 34. num. 45., Fontanell. de pact. nuptialib. clausul. 5. gloss. 8. part. 7. num. 29. tom. 2.* Verumtamen singularis proponitur casus *in leg. Procuratoris §. Si plures ff. de Tribut. act.*, ibi = *Si plures habuerit Servus creditores, sed quosdam in mercibus „ certis, an omnes in iisdem confundendi erunt, & „ omnes in tributum vocandi? Ut puta duas negociationes exercebat, puta sagariam, & lintearíam, & separatos habuit Creditores. Puto separatim eos in tributum vocari; unusquisque enim eorum merci magis, „ quam ipsi institit* „

Hinc DD. in contraria scinduntur. Nam alii putant quod Creditores in diversis provinciis existentes possint concurrere super omnibus negociationibus, & fundis, quos debitor ubicumque possidet, ut censuit *Cuman. in leg. Privilegia num. 10. ff. de Privileg. Credit. Mantic. de Contract. lib. 11. tit. 23. num. 32.* Alii vero defendunt contrariam sententiam, *quando debitor habet negociationes, apothecas, seu tabernas, nempe in Regno Neapolis, Romæ, Hispaniæ, & in utraque negociatione Creditores ejusdem negociationis intuitu contrahentes, & tunc debeat fieri separatio mercium cujuslibet Apothecæ, ut singulis creditoribus satisfiat itaut Creditores unius apothecæ in mercibus ejusdem præferantur aliis creditoribus aliarum Apothecarum ETIAM TEMPORE ANTERIORIBUS, & donec illi satisfiant, ALII DIVERSÆ PROVINCIÆ non admittantur* = ut iisdem verbis tradit *Salgad. Labyrint. Credit. part. 2. cap. 12. num. 73.* Quæ eatenus propositæ quæstioni conveniunt, cum Creditores exteri licet in Urbe contractus stipulaverint, & omnia bona hypothecæ vinculo obstricta habuerint, attamen verosimile est, pecunias Congregationi Lateranensi credidisse intuitu fundorum, quos ipsa sub proprii domicilii dominio possidebat, quosque minori semper sumptu, & magis expedita actione quisque persequi potest.

Ve-

Verum quidquid sit de juris dispositione, Creditores nostrates hanc prælationem postulant ex æquitate. Nam si Imperator ait „ *inter æquitatem, jusque interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspicere*, ut *ex Text. in leg. Inter æquitatem Cod. de Leg., & Constit.* dubium non est, quin Princeps possit rigorem juris temperare, dum res eo venerit, ut jus aliquem lædat, & æquitas adhibeatur ad vitandum unius damnum sine alterius detrimento. Certe in casu summum detrimentum caperent Creditores in Statu Pontificio existentes si ab hac prælatione excluderentur. Nam cum bona in hac ditione posita satis non sint integro ære alieno dissolvendo cogerentur isti Creditores exclusi in alieno statu judicia aggredi, quæ pluribus obnoxia difficultatibus propitium non expromittunt exteris actoribus exitum: Contra Creditoribus ejusdem exteri dominii facilius esset illa bona persequi, & de respectivis creditis satisfieri; quamobrem nullum damnum ab æquitativa prælatione sentirent.

Hujus equitatis speciem sequutos fuisse constat Imperatores Severus, & Antoninus hoc mandantes in *Leg.2. Cod. de Pignorib. & hipothec.* = ibi = *Quamvis constet „ specialiter quædam, & universa bona generaliter „ Adversariam tuum pignori accepisse, & equale jus „ in omnibus habere, jurisdictio temperanda est. Ideoque si certum est, posse eum ex his, quæ nominatim ei pignori obligata sunt universum redigere debitum, ea quæ postea pignori accepisti interim tibi non „ auferri Præses Provinciæ jubebit* „ Quo in casu cum Creditor *quædam specialiter, & universa bona generaliter* sui debitoris obstricta haberet, poterat quidem universa persequi ex rigore juris · Attamen quia poterat *ex his, quæ nominatim ei pignori obligata erant universum redigere debitum*; Imperatores æquitatem sequuti prohibuerunt, ne posteriori creditori auferrentur ea, quæ pignori acceperat, ut explicat *Fontanell. de Pac. Nupt. clausula 4. Gloss. 18. part.2. num. 87 Afflict. decis. 5. num. 6.* Pari modo si Creditores exteri consequi possunt credita ex bonis in exteris provinciis positis; ex equitate Principis videtur indulgendum nostra-

stratibus Creditoribus, ut prælationem super bonis in Pontificio Statu existentibus obtineant quæ ideo eis non præjudicat.

Ex his in utramque partem expositis deliberandum proponitur.

An sit consulendum SSmo pro prælatione in casu &c.

Dilata.

TERRACINEN., ET PRIVERNEN. REDUCTIONIS. Ex diversis fundationibus Capitulum Cathedralis Piperni tenetur ad celebretionem annuam Missarum 1335., quæ in singulos Canonicos dispartitæ sunt ita, ut unicuique quotannis onus celebrationis octuaginta novem Sacrorum incumbat. Præterea gravantur annuis viginti Anniversariis cum cantu, seu ut dicunt *parati*, aliisque undeviginti, quæ vocant *semplici* præter quotidianumChori servitium,& Missam conventualem, quam pro Benefactoribus quotidie per turnum celebrant. Canonicus quisque nunc percipit annua scuta septuaginta comprehensis etiam distributionibus quotidianis. At massa Capitularis jactura fecit pluriū Censuum partim,quia dispersum est capitale in sorte scut.968.70. partim quia restitutum fuit in Schedis nummariis nempe *in Cedole*, *ed Assegnati ad scuta* 1800., quę inutilia adhuc, & ludrica deposita jacent. Idcirco a Sac. Congregatione Missarum reductionem respondentem deperditis fundis implorant *Ses.25. cap.4. de Reform.*

Interrogatus Episcopus respondit, quod in proximo bellorum tumultu subversum est tum publicum Civitatis Piperni tabularium, tum privatum Capituli, ut impossibile sit investigare, quæ Capitalia singulis legatis erant assignata, quæque nunc deperdita sint. Nonnullas tamen indigitat sortes censuum ammissas, quibus legata Missarum erant infixa. Scilicet = *Del fu Arciprete Casconi si sono perduti scudi 790., per la qual somma, e per altri beni stabili, che attualmente*

si

si godono dal Capitolo nella somma di circa scudi seicento si devono celebrare Messe lette numero 431. , *e cinque anniversari semplici = Della fù Archangela Minichelli si sono perduti SCUDI* 49. 70. , *per l'Anima della quale si devono celebrare Messe lette numero trenta = Del fù Giuseppe Baratta si sono perduti scudi quaranta per l'Anima del quale Messe lette numero diecinove = Della fù Gironima d'Alonzo si sono perduti scudi trenta per l'Anima della quale Messe lette numero sei = Della fù Eleuteria Nardelli bajocchi ciuquanta per l'Anima della quale Messe lette numero cinque = Del fù Bernardo Baratta si sono perduti scudi quarantotto per l'Anima del quale Messe lette numero quindici = Del fù Saverio Brusca si sono perduti scudi venticinque per l'Anima del quale Messe lette numero cinque .*

Quoad vero capitalia censuum restituta in moneta papyracea ad *scuta* 1800. datum non fuisse ait reperire, unde proveniant, quæque onera ferant *ex eo quod varii libri deperditi fuerunt transactis Reipublicæ temporibus* . Unum affirmat, quod Capitulum ex his ammisit annuos reditus scutorum 108. Quibus præmissis in hæc verba suum aperit votum = *concedi posse crederem aliquo saltem temporis intervallo eorum* (onerum) *reductionem . Congruum tamen foret , ut Missæ in posterum celebrandæ (si reductio concedatur) pro benefactoribus in genere queant applicari , ea tamen lege, ut Missarum crescat numerus , vel in totum , vel in parte habito respectu ad summam Capitalis, quod recuperari contigat . Manualis , quæ datur, elemosina pro qualibet Missa lecta est obulorum quindecim . Existimo Oratores admittendos esse ad Missarum reductionem in ratione annui reditus deperditi , considerata tamen elemosina in summa obulorum* 30. *prout factum fuit in taxatione .*

Petitur reductio Missarum ob redituum imminutionem, quæ ubi evenisse probetur remota culpà obligati, idonea est causa, quamobrem reductio concedatur, ut tradit *Monacell. formul.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25. , *& Sacra Congregatio in Novarien. Reductionis Missarum* 23. *Novembris* 1793. In casu vero proposito latet, num sortes censuum deperditorum sta-

starent pro fundo earum Missarum, pro quibus reductio postulatur! Nam si paucos excipias census assignatos pro legatis *Minichelli*, *Barutta*, *Alonso*, *Nardelli*, *Brusca*, latet inquam num census redempti in *Cedulis*, & *Assignatis* in summa scutorum 1800. fundo Missarum essent subjecti. Ignoratur itidem num culpæ Capituli verti debeat, si nonnulli perierunt, vel si aliorum onera per contractum susceperit, ut non obstante deperitione teneatur ad implementum juxta regulam de qua Sac. Congregatio *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790. In hac igitur rerum obscuritate non temere concedenda videtur reductio, ne piis suffragiis Testatorum animæ fraudentur contra monitum *Text. in Canon. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2. Maxime cum Canonici quotannis percipiant scuta septnaginta, & singuli Sacra novem supra octuaginta conficere debeant ita, ut par emolumentum oneri Missarum, anniversariorum, & servitii Chori habere videantur, in quibus terminis denegata fuit onerum reductio in *Lamacen. Missarum* 30. *Julii* 1796.

Verumtamen Episcopus affirmat quod Capitulum ammisit scuta 1800. ob restitutionem Censuum *in Cedole*, & *Assegnati* ex quibus redibant annua scuta 108. Id certe temporum ærumnis tribuendum est non culpæ Capituli. Si vero ignoratur ad quæ legata hi Census spectarent, id quoque evenit ex publica perturbatione superioris temporis, in qua Tabularium direptum, dispersumque est. Dum itaque Capitulo diminuti sunt reditus, sane ei videtur aliquid indulgendum, ne eadem ferat onera absque integro emolumento. Quandoque enim in Legatis quoque per contractum assumptis, si ad læsionem vergant locum habet reductio, ut definivit S. Congregatione in *Albinganen.* 12. *Decembris* 1788. Et illud notandum quod licet quisque Canonicorum annua percipiat scuta septuaginta, quæ certe exhuberant ad respectivum onus missarum, habenda tamen est ratio choralis servitii, & decentis exhibitionis ad quam impar his temporibus emolumentum illud dijudicandum.

Cum itaque Episcopus reductionem probet, tum eam (quandoquidem EE. VV. placeat) faciendam esse

proponit hisce conditionibus: Scilicet; ut concedatur ad tempus, & ad rationem redituum deperditorum calculata reducendorum onerum elemosina in obolos triginta, prout in traxatione factum est; ut numerus Missarum augeatur habito respectu ad Capitalia, quę recuperari poterunt; ut tandem Missæ in posterum applicentur *pro Benefactoribus in genere*. Cum itaque reditus a Capitulo deperditi consistant in annuis scutis 108., jam in annos singulos reducendæ erunt Missæ 360., quot ad rationem obolorum 30. pro unaquaque summam amissam ęquant, Si reductio concedatur forte commutanda Anniversaria in *Missas* lectas, quo fit ut Capitulo decrescat impensa, nec Fundatoribus omnino depereat suffragium.

Dignetur EE. PP. dirimere Dubium.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Affirmative pro legato Pio Casconi ad taxam perpetuæ juxta vires additUum existentium, reductis Anniversariis in Missas lectas in reliquis Negative:

Sess. 7. cap. 5., & 7. de Reformat.

ARIMINEN. SUPPLEMENTI CONGRUÆ. Animarum Cura Podii Hibernorum exercetur in Oratorio Societatum SSmi Sacramenti, & SSmi Rosarii, ex quarum reditibus multæ expensæ ad Ecclesiæ manutentionem conficiuntur. Cum vero Paræcia hujusmodi late pateret in agro, & regio *di Camerano* eidem olim subjecta dissita aberset ita, ut Incolis hiberno tempore fieret ad ecclesiam impervius accessus ob redundantem amnem, qui interfluit, hinc ne spiritualia subsidia eis deficerent sa. mem. Pius *VI. anno* 1792. instante Populo, & probante Episcopo jussit ut capita tercentum a Parecia Podii Hibernorum dismembrarentur, & nova ruralis cura in Ecclesia S. Mariæ de Cammerano constitueretur. Rector hujus Pareciæ factus est Sacerdos Joannes Antonius Maggioli, cui pro congrua assignatum fuit (ultra decimas percipiendas in annuis scutis 56. 20.) simplex Beneficium consequendum post obitum Præsulis Zolfii tunc in Bavario Apostolici Nuncii, qui tum illud obtinebat, & ex quo scuta 85. quotannis redibant. Eo vero de-

fun-

functo quamquam Parochus Maggioli tàm ex decimis quam ex fructibus Beneficii percepisset annua *scuta* 141., attamen cum onera attingerent *scuta* 91., ei libera quinquaginta tantum supererant.

Hanc deficientiam justæ congruæ modo pertexens Parochus Maggioli deprecatur a S. Congregatione supplementum aliquod ex bonis sodalitiorum in Ecclesia Parochiali Podii Hibernorum existentium. Hæc instantia relata est *ad Informationem* Episcopi Ariminiensis auditis Confratribus. Hic vero in suo Voto ait: *Petitio adeo justa, & rationi consona visa fuit ipsis confratribus utriusque Sodalitii, & propter sufficientes reditus scuta centum adequantes, vel superantes, ut ex libris rationum constat, & propter jus quod ipsi Parochiani S. Mariæ de Camerano ad illos habent, cum aliqui eorum dictarum societatum sint Confratres, ut dicto Parocho (dum adhuc erat Cappellanus Curatus præfatæ Ecclesiæ) sponte cesserint tria scuta annua pro expensis cultus necessario faciendis. Sed cum hæc parum conferant ad finem, ideo dictus Parochus tam suo, quam Parochianorum nomine EE. VV. precatur ut Ecclesiæ suæ assignare dignentur aliquam rationabilem summam, quam ad scuta quindecim in singulos annos extendi posse arbitror pro expensis, maxime pro lampade Ven. Sacramenti, quod nullo detrimento Ecclesie Paròchialis Podii Hibernorum, & maxime alterius novæ Parœciæ levamine fieri potest ex reditibus dictarum Sodalitatum. Hoc etiam magnam affert pacem.*

Cum Parocho Camerani tum ex reditibus beneficii, tum ex decimis libera supersint annuatim scuta quinquaginta justa sane videtur ejus instantia pro supplemento congruæ, quæ ex mente Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 13. *de Reform.* ad scuta centum præstituta videntur. Inquirendum igitur superest num supplementum hujusmodi præstandum sit ex bonis Sodalitii SSmi Sacramenti, & SSmi Rosarii. Episcopus dum probat instantiam Parochi, tria affert rationes, cur Sodalitia ad supplementum teneantur. *Primum* quia Sodalitiis sunt sufficientes reditus, qui excedunt annua scuta centum. *Secundum* quia multi ex Parochianis S. Mariæ *in Camerano* sunt Confratres utriusque

Sodalitii, & aliquod jus habent ad supplementum. *Tertio*, quia jam Sodalitia sponte solvunt Parocho scuta tria annua pro supplemento. Quibus addi posset, quod ad succurrendam inopiam Pareciarum S. Congregatio etiam unionem bonorum Sodalitiorum concessit, ut novissime *in Forosempronien. Unionis* 20. *Novembris nuper elapsi*.

Nihilominus Confratres acriter repugnant. Nam hoc primum statuunt, quod neque *in Cap. de Monachis* 12., *& Cap. Extirpandæ* 30. *de Præben.*, neque *in allegato Decreto Concili Tridentini* aliqua certa prescribatur summa, in qua congrua consistere debeat; sed hoc unum decernitur ut = *tantum redigatur*, *quod pro Rectoris aut Pareciæ necessitate decenter sufficiat*, juxta verba ipsius *Concilii Trident. Sess.* 24. *Cap.* 13. *de Reform.* Hinc deducunt quod cum congrua fuerit constituta in fundatione a S. Pontifice PIO VI. in summa superius enunciata, nec Parochus tunc reclamavit, sed onera postea implevit, non sit locus supplemento nisi probetur reditus pro congrua assignatos omnino decrevisse; ut post *Text. in Cap. Nemo de Consecrat. Distin.* 1. tradit *Rebuff. de Congrua n.* 92., *Rota cor. Gregor. decis.* 410. *num.* 2., & S. Congregatio *in Derthonen.* 28. *Januarii* 1736., *& in Feretrana Unionis* 20. *Februarii* 1802.

Hac autem non probata redituum imminutione negant, Parochum posse congruæ supplementum petere. Eoque minus ex reditibus utriusque Sodalitii. Nam exhibent decennalem calculum redituum ex quo constat, quod impletis omnibus oneribus vix *scuta* 35. in toto decennio superfuerunt, unde impossibile videtur, quod ex reditibus utriusque Sodalitii subministrentur annua *scuta quindecim* in subsidium congruæ. Neque si Sodalitia dederunt scuta tria, cum adhuc Sacerdos Maggioli esset Cappellanus Curatus, idcirco nunc tenentur ad congruæ supplementum. Nam hæc data fuerunt quo tempore vivente adhuc Præsule Zollio nondum unitum erat Beneficium, quod in partem congruæ assignatum fuit. Cum vero nunc Parochus percipiat reditus hujus beneficii, & detractis omnibus oneribus etiam pro oleo, cera, & manutentione SS. Suppellectilium ei supersint libera scuta quinquaginta, profecto

fecto videtur congrue provisus, ut nullum supplementum petere possit.

Dubium proponitur.

An, & quomodo sit locus supplemento congruæ in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

ASCULANA. Qui incolunt geminas Villas, quas vocant *Appojano* ad radices Appenini positas, cum per interruptum iter, torrente etiam intercisum, duplici, & ultra lapide distarent a Parochiali Ecclesia Castri S. Petri anno 1796. exorarunt a S. Congregatione deputationem Cappellani Curati, qui in Oratorio S. Athanasii in iisdem Villis extructo resideret. Duo proinde S. Congregationi proposita fuerunt Dubia sub *die* 19. *Decembris* 1795. *I. An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ, seu potius institutioni Cappellani Curati residentialis* = & quatenus affirmative *II. An, & quomodò sit constituenda congrua* = & Emi Patres *die* 26. *Novembris insequentis anni* 1796. rescripserunt *Ad I. Negative ad primam partem affirmative ad secundam ad II. affirmative facta obligatione per Communitatem juxta Votum Emi Episcopi* ut EE. VV. recognoscere poterunt *ex Folio in Asculana Erectionis Parochiæ* 19. *Decembris* 1795., & 26. *Novembris* 1796. Quo vero consultum fuerit modo congruæ Cappellani constat ex Decreto executoriali Emi Episcopi Asculani, in quo = *inhærendo Resolutioni S. Congregationis Concilii mandavit in Villa Appojani Castri S. Petri prævia segregatione a dicta Ecclesia dicti Castri constitui Cappellanum Curatum residentialem ab Episcopo pro tempore eligendum, qui animarum dictæ Villæ curam gerat, provisa tamen per Populum illius Ecclesia de omnibus necessariis pro administratione Sacramentorum, & pro illius Cappellani residentia, assignando eidem in congruam scuta quindecim percipienda ex fructibus ad Parochialem Ecclesiam dicti S. Petri pertinentibus, alia scuta quindecim ex fructibus Beneficii* *Sess.*21.*Cap.*4. *de Reform.*

ficii S. Athanasii &c. alia scuta duo juxta obligationem emissam ab Incolis dictæ Villæ prout in Actis, ultra etiam augumentum quod iidem Incolæ præstare paratí sunt, pro quo mandavit per Communitatem dictæ Villæ fieri obligationem in forma juris valida favore Cappellani. Nam Incolæ illi ut Cappellanum obtinerent augere promiserant decimas, quas rependebant.

Ea de re nuper modernus Parochus Castri S. Petri Sacerdos Ciabattoni, & ipsi Appujanenses alter in alteros ad S. Congregationem reclamarunt. Ille postulat, ut liberetur ab onere solvendi scuta quindecim annua, & adigatur Communitas ad emittendam obligationem juxta S. Congregationis rescriptum, & injungatur Cappellano, ne Populum revocet a frequentia Ecclesiæ Matricis, atque ut in ea *Sacris functionibus* adsit, & *Præceptum Paschale* impleat. Contra Appujanenses arguunt Parochum Castri S. Petri, qui solvere detrectat scuta quindecim, ita ut cum Cappellani non habeant, unde vivant Cappellaniam & Curam animarum derelinquant & Parochiani spiritualibus subsidiis destituantur.

Preces utrinque oblatæ ad Emum Episcopum remissæ fuerunt, *qui in sua Informatione* hoc primum statuit, quod hæc dissidia oriantur ex eo, quod tenue sit stipendium Cappellani Curati in annuis scutis *triginta unum*, ut proinde minus idonei curam suscipiant. Hinc prosequitur: *Ut igitur huic incommodo occurratur idoneus Cappellanus in primis constituendus est, prout ipse Appujanensium Procurator faciendum esse procul dubio lubentissime indulsit. Quam ob causam stipendium augeri necesse esset, atque idcirco opus esse existimo, ut Appujanenses ipsi, quorum gratia Cappellania præcipue constituta est scuta decem aut duodecim ad minimum in hanc rem annuatim conferant. Deinde ut ipse Parochus aliquid addat scutis quindecim, quæ jam impendit, sin alia modo saltem cedendo Cappellano partem aliquam redditunm, quos vocant incertorum, qui in baptismis, tumulationibus, sponsalibus ac similibus ab Appojani fidelibus persolvuntur. Cujus augumenti necessitatem in propatulo ponit actualis Annonæ difficultas, quæ in dies crescit. Determinandæ præterea sunt functiones, quæ Cappellano tribuantur, cavendumque ut Populus ille parochialem Eccle-*

clesiam pro matrici recognoscat, eamque accedat aliquoties intra annum satisfaciendo præcepto Communionis. Atque ex his habent EE. VV. quid respondendum a nobis sit supplicationi Appujanensium. Cappellani commodo, ut fruantur opus est aliquid incommodi ex solutione patiantur.

Si ad preces oblatas respiciant EE. VV. nulla subest causa, cur Parochus detrectet solutionem scutorum quindecim. *Nam ex Tridentino Sess.*21. *cap.*4.*de Reform.* cautum est, quod in Parochialibus, *in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis* Episcopi *cogant Rectores vel alios ad quos pertinet tot sibi Sacerdotes ad hoc munus adiungere quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda*. Sequitur profecto ut Parochus Castri S. Petri teneatur solvere novo Cappellano in Villa Appojani constituto annuam summam scutorum quindecim, quæ Sac. Congregatio solvenda decrevit, quæque gravis videri non debet, semel ac modernus Emus Episcopus eam non minuendam, sed augendam censuit. E contrario dum Appojanenses postulant, ut Parochus Castri S. Petri adigatur ad solvenda quotannis scuta quindecim nituntur Decreto hujus Sac.Congregationis. Ex quo ipsi quoque cogendi sunt ad emittendam obligationem augendi decimas prout ipsi facere promiserunt.

Sed quoniam Emus Episcopus in sua *Informatione* monet EE. VV., quod tenue sit stipendium novi Cappellani in scutis triginta & unum, scilicet *scutis* 14. ex redditibus simplicis beneficii S.Athanasii percipiendis, & scutis quindecim a Parocho Castri S. Petri, & *scutis duobus* a Communitate Appojani solvendis; hinc statuendum erit num augendum sit hoc stipendium quod *anno* 1796. a Sac. Congregatione congruum fuit habitum. Certe ab eo tempore aucta sunt rerum pretia, & Emus Episcopus affirmat, quod Presbiteri dignores recusant hanc Cappellaniam suscipere, cum ex ea necessariam non habeant sustentationem. Hinc proponit, ut quoniam Cappellanus hujusmodi instantibus Appojanensibus, & in eorum commodum constitutus sit, ipsi subministrare teneantur scuta *decem* aut *duodecim* in annos singulos. Praeterea ut Parochus Castri S. Petri augere debeat annuam praestationem scutorum quindecim, vel cedere partem aliquam emo:

lumentorum, quæ ex Baptismis funeribus, & sponsalibus Appojanensium percipiuntur.

Quod demum pertinet ad jura matricitatis, quæ reclamat Parochus Castri S. Petri de his agitur in *II. Dubio*. Certe quidē cum dismembratio fit aliquod honos Matrici est reservandus, ut tradit S. Congreg. *in Ariminen.* 15. *Maii* 1734. Animadvertendum tamen est, quod ex Decreto S. Congregationis non dismembrata fuit Paræcia S. Petri, nec nova in Appojano erecta, sed tantum institutus Cappellanus Curatus in Coadiutorem Parochi, qui suam adhuc in Appojano retinet jurisdictionem. Quare si Cappellanus vel Appojanenses renuant præstare obsequium Ecclesiæ Parochiali habet Parochus expedita juris remedia, quibus revocet Appojanenses ad interessendum aliquando Ecclesiæ, & ad implendum præceptum Paschale.

Gemina proponuntur Dubia.

I. *An, in qua summa, & a quibus sit præstandum, & augendum stipendium Cappellani Curati in casu &c.*

II. *An, & quoties intra annum Populus Appojani teneatur interesse Sacris functionibus in Paræcia S. Petri, ibique præceptum Paschale implere in casu &c.*

INDEX
RESOLUTIONUM
Quæ prodierunt in Causis in S. Congregatione Concilii anno 1802. propositis.

A

C

P

S

U

F I N I S.

INDEX CONCLUSIONUM:

Quae adnotatae sunt in Foliis Causarum anni 1802.

CON-

CONGRUA

CONSUETUDO

CONTRACTUS

DECIMÆ

DISPENSATIO

ECCLESIA

Hæres

ORDO

PARÆCIA

PAROCHUS

PATRONUS

PONTIFEX SUMMUS

PROFESSIO

REDUCTIO MISSARUM

RESCRIPTUM

TRANSLATIO MISSARUM

ce-

FINIS.

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ conſentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliaſque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R.P.D. EMANUELE DE GREGORIO

Prodierunt in Causis sub annum 1803.

PROPOSITIS

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus apprimè utilis, ac neceſſarius.

TOMUS LXIX.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCCIV.

Apud Lazarinum Rev. Cameræ Apost. Typographum

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1803. per Diœceses dispositus.

Mon-

N

P

R

S

T

V

F I N I S

Die Sabbathi 15. Januarii 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ARIMINEN. SUPPLEMENTI CONGRUÆ. — *Sess. 7. cap. 5. & 7. de Reform.*

An, & quomodo sit locus supplemento Congruæ in casu &c.

Negative.

ASCULANA. — *Sess. 21. cap. 4 de Reform.*

I. *An, in qua summa, & a quibus sit præstandum stipendium Cappellani Curati in casu &c.*

II. *An, & quoties intra annum Populus Appojani teneatur interesse Sacris Functionibus in Parœcia S. Petri, ibique Præceptum Paschale implere in casu &c.*

Ad I. Affirmative in aliis scutis duodecim tantum præstandis a Populo Appoanensi.

Ad II. Affirmative pro implemento Præcepti Paschalis, in reliquis esse monendum.

COMEN. MISSÆ PRO POPULO. In Congregatione *diei 17. Julii proximi præteriti* interrogati fuere EE. PP. *An & quomodo sit locus reductioni Missæ pro Populo* = & responderunt = *Negative, & ad Mentem* = Mens autem fuit, quod scriberetur Episcopo, *ut permittat Oratoribus applicationem Missæ pro Populo diebus ferialibus ad formam Constit. Benedict. XIV.* = Cum — *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

semper oblatas = durantibus actualis inopiæ circumstantiis. Iterum nunc Vice-Parochi reductionem implorant, cum translatio Missæ pro Populo ad dies feriales nil eorum indigentiæ opituletur.

Episcopus testatur, quod cum Vice-Parochi hujusmodi in causam Congruæ vix habeant scuta annua quadraginta monetæ romanæ non possint sibi comparare, quæ ad victum sunt necessaria in alpinis montibus, & vallibus, in quibus habitant. Cum vero, ut eorum congruæ augeantur, non suppetant remedia præscripta a S. Concilio Tridentino Parochi dederunt Episcopo *novissimas, & uniformes instantias pro absoluta respectivarum vice-pareciarum dimissione, nisi ipsis aliunde provideatur, saltem cum exoneratione absoluta applicandi pro Populo Missas festivas de præcepto, cum aliunde dispensatio jam a S. Congregatione Concilii super primis præcibus iisdem Vice-Parochis elargita Missæ festivæ applicationem supplendi per hebdomadam, nihil omnino suffragetur, nec attentis locorum angustiis, & miseriis ulla sperari possit Missarum eleæmosina. Ne igitur vice-parecias præfatas Pastoribus spoliari contingat, necessarium fore testamur, ut Sedes Apostolica imploratum miserrimum remedium absolutæ exonerationis applicandi Missam festivam pro Populo iisdem Vice-Parochis elargiatur*.

Hæc, quæ habet Episcopus, serio animadvertant EE. PP., & resumpto Folio *Congregationis diei* 17. *Julii* 1802. dignentur deliberare.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

HORTANA APPLICATIONIS. In Oppido Suriani una est ædicula, quæ Nosocomii nomine donatur: ita angusta, ut par esse nequeat populo frequenti ad capita termillia; ita reditibus destituta, ut solvendo non sit æs alienum in tenui summa scutorum viginti pro comparandis medicaminibus contractum. Quo fit, ut pauperes infirmi excipi nullo modo possint, quorum nonnullos accidit magis ægestate oppressos, quam morbis fractos per compita misere concidisse. Ut igitur

tur

tur his aegenis subveniri quodammodo possit, Parochi, & universus Populus a Sac. Congregatione postulant, ut ad hoc pium opus applicentur scuta annua 77, quae Sodalitia, & Cappellae illius loci hactenus in Fabricam Collegiatae Ecclesiae ex Decreto S. hujus Congregationis *diei* 8. *Februarii* 1792. contulerunt per decennium, quod nuper elapso anno absolutum est. Ita autem scuta hujusmodi 77. collata fuerunt, ut singula Loca pia pro ratione redditunm quotas solverint: scilicet = *La Compagnia della Disciplina scudi* 30. = *La Compagnia di S. Eutizio scudi* 25. = *La Cappella di S. Antonio Abbate scudi* 2. = *La Cappella del Santissimo Nome di Dio scudi* 5. = *La Cappella del Rosario scudi* 15.

Episcopus necessitatem vere maximam Nosocomii testatur, applicationem redditiuum Sodalitatum, & Cappellarum in hanc piam causam laudat, sed quoad modum concedendae applicationis haec habet = *Auditis Locorum piorum Confratribus, & eorum libratis redditibus contributionem in praecibus descriptam pergravem nimis nostris hisce temporibus invenio. Novam itaque de Confratruum consensu taxam efformavi, & diligenti examine discussis omnibus contributionem Hospitali applicandam statui, ut infra = Societas disciplinae in singulis annis per decennium scuta quindecim = Societas Divi Eutichii, ut supra, scuta quindecim = Societas S. Antonii Abbatis, ut supra scuta duo = Societas Sanctissimi Rosarii scuta duodecim ut supra = Cappella S. Nominis Dei ut supra scut. quatuor = Cappella S. Thurenii pariter ut supra scuta tria = Sic igitur reformata taxa, & ad respectivas delata Locorum piorum Congregationes, nec temporis quidem momento per secreta suffragia, utpote pietati consona approbare non haesitarunt. Insuper cum Societates Sanctissimi Sacramenti, & Misericordiae Domos, alteram trium Mansionum, unius mansionis alteram Hospitali limitrophas possideant, Confratres ad Hospitalis Fabricam ampliandam easdem ultro, libenterque absque ullo canonis, vel pensionis onere concedunt. Igitur in sensu essem praefatam Domorum Hospitali attributionem confirmare, ac Locorum piorum taxam, cum paenitus hospitalis reditibus careat non per decennium tantum, sed perpetuo duraturam decernere cum facultate Ordinario quascumque leges pro recta Hospitalis administratione condendi.*

Petitæ applicationi repugnare videtur voluntas eorum, qui Sodalitia, & Cappellas fundarunt. Nam in alios usus reditus converti non debent, ac fundatores præscripserunt, ut post *Text. in Can. Ultima Voluntas* 13. *Quæst.* 2. statuit *S. Congregatio in Cæsenaten. Applicationis* 23. *Februarii* 1793. Ab hac tamen regula recedi solet, ubi urgens adsit causa, & Locis piis ad onera implenda reditus exuberent, ut novissime definitum est a S. Congregatione *in Forosempronien. Unionis* 20. *Novembris nuper elapsi*. Sane, cum in Oppido Suriani Nosocomium non habeat, unde opem ferat pauperibus infirmis, qui egestate coacti etiam per compita occumbunt, urgens hæc videtur causa, cur reditus Locorum piorum in hanc causam applicentur. Charitas namque erga infirmos divino oraculo præscripta summopere inculcatur a Conciliis, & SS. Patribus, teste *Tomassin. de veter.*, *& nov. Eccles. Disciplina par.* 1. *lib.* 2. *Cap.* 89., *&* 91. *Ludovic. Murat. De charit. Eccles. Christian. Cap.* 12. *num.* 27. & Sac. Congregatio, ut Nosocomiorum indigentiæ consuleret sæpe subsidia dotalia, aliaque pia legata suspendit, eisque applicavit, ut videre est *in Cremonen.* 28. *Februarii* 1761., *& in Pharaonen. Suspensionis Onerum* 9. *Julii* 1796. *& in Romana Suspensionis Dotium* 11. *Julii* 1801.

Quod vero Sodalitates & Cappellæ, de quibus agitur, habeant reditus superextantes patet *ex Decreto Sac. Congregationis* 8. *Februarii* 1792. quo adigebantur ad conferenda in Fabricam Ecclesiæ Collegiatæ scuta annua 77. in quotas distributa. Quod si hoc placuit ad supplendas impensas pro Ecclesiæ Fabrica, eo magis statuendum videtur in levamen Pauperum Infirmorum. Hinc cum Episcopus applicationem laudet, & Confratres, quorum maxime interest, per secreta suffragia applicationem hujusmodi probaverint, nil reliqui videtur esse, ut ab EE. PP. concedatur. Idem porro ferendum erit judicium de cessione Mansionum, quæ Nosocomio adhærent, quasque Societates SS̃mi Sacramenti, & Misericordiæ nulla reservata sibi pensione, aut canone ultro concedunt, ut amplior fiat locus ad infirmos excipiendos. Quamquam enim hæc cessio sit vera alienatio, quæ in rebus Ecclesiæ permitti nequeat, nisi intercedente necessitate, & utilitate ipsius Ecclesiæ ad præscriptum *Extravagan. Ambitiosæ de Reb. Eccles. non alienan.*; attamen posita ne-

necessitate succurrendi Xenodochium, magis proficuum erit Societatibus Misericordiæ, & SS̃mi Sacramenti prædictas cedere Mansiunculas, quarum redditus forsan manutentionis impensis non respondent, quam onus sibi assumere annuæ, etsi tenuis præstationis in pecunia numerare.

Ad modum, quod attinet, explendæ applicationis duo inquirenda sunt: scilicet *summa* quotannis conferenda, & *tempus* ad quod danda sit. In præcibus postulantur annua *scuta* 77., quæ Sodalitia, & Cappellæ usque dum in fabricam Ecclesiæ Collegiatæ contulerunt. Confratres vero offerunt *annua scuta* 51. per decennium. Episcopus hanc summam *scutorum* 51. probat, ita tamen ut in perpetuum reddatur. Quare censendum est, hanc esse idoneam expensis Nosocomii, & accomodatam reditibus Sodalitatum. Cum vero Nosocomium perpetuum sit oportet, nec aliunde habeat reditus, videtur profècto, ut applicatio in perpetuum decernenda sit, ne aliter post decem annos Nosocomium in eamdem incidat necessitatem, & infirmos expellere cogatur.

Dubium proponitur.

An, & quomodo sit consulendum SS̃mo pro applicatione redituum, & cessione Mansionum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

ÆSINA REDUCTIONIS ONERUM. *Ab anno* 1674. Plebanus Ciccarelli erexit Cappellaniam in Ecclesia Collegiata S. Leonardi Oppidi *Massatii*, eique in fundum partem prædii assignavit. Jussit præterea, ut Cappellanus nominatus teneretur = *celebrare, vel celebrari facere Missas septem in honorem septem dolorum Beatæ Mariæ Virginis juxta ejus intentionem, & ulterius obligatus sit vel per se ipsum, vel per alium substitutum capacem intervenire, & recitare Officium divinum, & horas Canonicas in choro in dicta Ecclesia S. Leo-*

Ses. 25. cap. 4. de Reform.

S. Leonardi cum aliis Cappellanis, *vel Beneficiatis perpetuis cum hujusmodi onere cum hebdomada tamen alternativa*. Cappellaniam hujusmodi, quæ postea in Canonicatum erecta est, ab anno 1779. possidet una cum fundo in erectione assignato Præsbiter Aldebrandus Leoni, qui licet perceperit ex reditibus *scuta octo* in annos singulos, ut ipse asserit; attamen semper Missas celebravit, & Chori servitium impigre obivit. Nunc vero ob tenuitatem redituum a Sac. Congregatione reductionem postulat tum Missarnm, tum servitii choralis. Emus Episcopus Æsinus cum audierit Capitulum in hanc reductionem consentientem, & censeat, quod = *ex ejus absentia nullum divino cultui*, *sacrisque actionibus detrimentum inferatur*, *quæ per alios decem Canonicos satis superque suppleri possunt* = favet quidem petitæ reductioni *in sua Informatione* = *hac tamen lege moderandæ*, *ut scilicet Orator loco septem tres tantum missas infra annum celebrare*, *ac diebus tantum festis de præcepto choro inservire teneatur*.

Sane ab eo tempore, quo fundatio Cappellaniæ, sive Canonicatus facta est, scilicet centum triginta ab hinc annis idem manet fundus in erectione assignatus. Dum itaque diminutus non est, neque umquam Cappellani, seu Canonici possessores reductionem postulaverint, profecto videtur, quod par oneribus sit emolumentum. Orator vero cum presenti reditu Canonicatum acceptavit, & ultra vicennium conticuit, adeoque gravia ei videri non debent onera, quibus hactenus fecit satis, nec reductionem impetrare potest ad ea, quæ statuit Sac. Congregatio *insCivitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790. Verum si *is qui altari inservit de Altare vivere debet*; si æqua ratio inter onera, & emolumentum servanda est, ut tenuit semper Sac. Congregatio, & præcipue *in Urbevetana* 24. *Novembris* 1784. *&* *in Romana Commutatioois Voluntatis* 14. *Maii* 1789.; certe nimis tenue est emolumentum in annuis scutis octo (licet de hoc tenui fructu ex sola Periti relatione constet) pro septem Missis, & præstando servitio chori per alternas hebdomadas. Nam dempta eleemosina Missarum ad taxam perpetuæ *in scutis* 1. *&* 40. reliqua sunt *scuta* 6. 60. pro servitio

cho-

chori. Cum enim hoc stipendium oneri sit impar, tum præcipue hisce temporibus ob aucta rerum pretia, & graviora vectigalia, quibus fundi Ecclesiastici subiiciuntur. Hisce profecto in terminis etiam non diminuto fundo, & post longevam observantiam Sac. Congregatio æquitatem sequuta reductionem concessit *in Lunen. Sarzanen. Reductionis Missarum* 14. *Decembris* 1793. *& in Comaclen. Reductionis* 13. *Iunii* 1795.

Si EE. PP. reductionem concedendam putaverint, tum statuendum erit, num potius Missæ reducendæ sint, quam servitium chori. Emus Episcopus proponit reductionem Missarum ad tres annuas, & servitium chori ad dies festos de præcepto. Sed prius reducenda sunt cætera onera, quam missæ ex regula tradita a *Benedicto XIV. de Synod. Diœces. Lib.* 13. *Cap. ultim.* §. 23., quam excepit *Sac. Congregatio in Montis Falisci Reductionis Missarum* 17. *Decembris* 1791. Maxime, cum Fundator primo loco de Missis meminit, quam de servitio chori, unde præcipue ad illas, quam ad hoc respexisse videatur, ut alia potius onera, quam Missæ reducenda sint juxta doctrinam *Fagnani in Cap. ex parte de Constit. num.* 34., & *Sac. Congregatio in Regien. Reductionis Servitii Chori, & Missarum* 17. *Aprilis* 1776.

Dubium hinc emergit.

An, & quomodo sit locus reductioni Onerum in casu &c.

Dilata, & scribatur Emo. Episcopo pro nova informatione super annuo redditu Canonicatus per decennium, comprehensis etiam incertis.

FIRMANA REÆDIFICATIONIS CÆMETERII. Cæmeterium in Portu S. Georgei, sive = *Porto di Fermo* quamquam extructum esset *anno* 1768. jubente Archiepiscopo clar. mem. Cardinali Paracciano sumptibus ejusdem Communitatis ; attamen cum esset cadaveribus refertum de anno 1800. pæne fatiscebat. Frustra tum actum est de illo ampliando, vel novo ædificando inter Communitatem dicti Portus, *Ses. 21. cap. 7. de Reform.*

tus, & Communitatem Civitatis Firmi, quarum altera in alteram onus extructionis reiiciebat. Interea novis illatis cadaveribus malus odor exhalavit per Ecclesiam, & ipsum Oppidum, ita ut ad emendandum fœtorem cadavera aqua, & calce conspersa fuere, quo citius consumpta pessimam valetudini expirationem emittere desinerent. Sed fermentata calce cadavera combusta fœtidiorem fecerunt aerem, & parietes cæmeterii detrimentum cæperunt. Res delata est Sac. Tribunali Consultæ, quod tuendæ publicæ sanitati advigilat. Primum itaque severe animadvertit in Parochum Vincentium Veneranda, qui author immissę calcis, damnique inde sequti accusabatur Instaurato enim processu confiscationis pæna ei indicta est. Verū cum Parochus strenue crimen diluisset absolutus fuit rescripto = *Aboleto præcepto quoad confiscationem ulterius non molestetur* = ex quo Parochus restitutionem rerum confiscatarum impetravit.

Ubi Parochus periculum hujusmodi evasit, iterum apud S. Consultam institit, & impetravit, ut Communitas Portus Firmi ad extructionem novi Cæmeterii adigeretur. At Communitas putans se immunem esse debere ab expensis pro extructione necessariis ad scuta 1247. 20., juxta ac Peritus intulit, idcirco ad Sacram hanc Congregationem præces obtulit, ut hoc edificationis onus in Parochum Veneranda reiiceret. Archiepiscopus Firmanus, (ex cujus *Informatione* narrata excerpsimus) audito Parocho, qui jura sua inferius recensenda in scriptis transmisit, ita votum suum concludit = *Negari certe non potest, quin per ejusdem calcis, & aquæ immissionem, ita fermemtatio exarserit, ut muri Cæmeteri aliquod detrimentum tulerint. Sed hanc ob causam minime locus esse videtur disputationi, utrum scilicet id Parochi culpæ tribuendum sit, & utrum præterea ad damni emendationem teneatur. Etenim non agitur de veteris Cæmeterii restauratione, sed de novo conficiendo, cujus ædificium, tametsi casus non evenisset, erat ex integro excitandum, quandoquidem illud, quod nunc extat, utpote cadaveribus plenum, in statu suo relinquebatur. Ergo eo redit simplex quæstio, cui scilicet sit onus inspecto jure canonico novi Cæmeterii construendi. Si Parochus ex jure teneretur; certum est nequaquam impendio oc-*

cur-

currere posse cum fructibus suæ Parochialis Ecclesiæ, prout per indubia documenta ostendit Parochus in ejus Foliis.

Parochiani quidem præcipue ex facto instant, ut Parochus Veneranda ad expensas ædificandi Cæmeterii compellatur. Facto enim suo evenisse ajunt ruinam veteris cæmeterii, scilicet ex eo quod calcem aquæ miscens combustionem cadaverum excitavit, indeque Muri Cæmeterii detrimentum cæperunt. Reque vera Archiepiscopus *in sua Informatione* quamquam putet Parochum culpæ insontem; nihilominus affirmat, quod *per ejusdem calcis immissionem ita fermentatio exarsit, ut muri Cæmeterii aliquod detrimentum tulerint*. Quare si ipse damni author est, ad emendationem esse damnandum concludunt, cum nil explorateius, quam quod damnum suum tenet authorem *ex Trxt. in leg. 64. ff. de Regul. Jur.* Contra Parochus se omni culpa vacuum affirmat. Nam si calcem immissit ad emendandum fœtorem fecit id, quod Vicarius Generalis per epistolam præscripsit; Si vero aquam cum calce miscuit, id sane necessarium erat, ut cadavera consumerentur, quemadmodum testantur ii, qui curandæ publicæ sanitati præsunt. Ex quibus, cum a S. Consulta liberatus sit ab impacto crimine, concludit se prorsus a culpa fuisse alienum.

Verum, ut apposite observat Archiepiscopus, non queritur nunc de restaurando veteri Cæmeterio, ita ut statuendum sit, num Parochus ruinæ causam dederit. Quamquam enim Cemeterium staret, attamen esset inutile quippe quod cadaveribus refertum, & novum construere esset omnino necessarium. Redit itaque quæstio omnis ad hoc, utrum Parochus, vel Parochiani ad extructionem Cæmeterii teneantur. Nullo quidem juris Canonici loco cavetur ad unum ne potius, vel ad alios expensę hujusmodi pertineant. Canonistæ vero in diversam abeunt Sententiam, Alii putant, quod hæc controversia dirimi debeat *ex Decreto Concilii Tridentini Sess. 21. Cap. 7. de Reform.* quo decernitur, ut Ecclesia reparetur primum sumptibus ipsius ecclesiæ, seu Rectoris, & Beneficiatorum, deinde Patroni, & tandem in subsidium expensis Parochianorum, sive Communitatis. Cum vero hæc Tridentini dispositio extendatur etiam ad reparationem ædium Parochialium, ita quoque porrigi debeat ad extructionem Cæme-

meterii, quod sive remotum sit, sive adjacens Ecclesię, semper tamquam ejusdem accessorium consideratur, ex *Text, in Cap. Unic. de consecrand. Eccles. Barbos. de jure Eccles. univers. Lib. 2. Cap. 9. num. 7.* Quare si Parochiani non tenentur nisi in subsidium quoad *principale*, ita quoque in subsidium cogendi sunt ad extructionem Cæmeterii, quod est *accessorium*, ut censet *Reclusio de Re Parochial. part. 1. Tit. 9. num. 100.* Alii vero; quorum frequentior opinio est, putant expensas hujusmodi extructionis Cæmeterii pertinere præcipue ad Parochianos, licet Parochus dives sit. Nam Cæmeterium respicit Parochianorum commodum, & utilitatem, ut defuncti componantur, & sit eis Sepulchrum, ut tenent *Salod. de Visit. Cap. 25. per tot. Crispin. de Visit. part. 2. §. 13. num. 6. Sperell. dec. 68. n. 8. Panimoll. dec. 8. annot. 8. num. 31. decis. 15. annot. 1. n. 44. Monacell. Formul. part. 2. Tit. 13. n. 95.*

Sacra Congregatio *in Tusculana Reparationis Ecclesiæ* proposita *die 14. Decembris 1737.*, *& resoluta die 11. Januarii 1738.* interrogata ad III. Dub. *An reparatio, & expurgatio respective quatuor Sepulturarum existentium in Ecclesia, & inservien. pro laicis adultis fieri debeat sumptibus dictæ Communitatis. seù potius dicti Capituli* respondit = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* = Observandum tamen est *ex Foliis* in eadem Causa æditis, quod præcipua decidendi ratio fuit consuetudo, unde constabat Communitatem semper propriis sumptibus reparasse ecclesiam, & hoc onus comprobatum fuisse ex Decretis S. Visitationis. Videant EE. PP, num hæc convenire possint præsenti quæstioni, in qua Communitas Portus S. Georgei *anno* 1768. mandante cl. mem. Card. Paracciani tum Archiepiscopo Firmano ære proprio in ampliorem formam Cæmeterium extruxit. Cæterum Parochus Veneranda si ex jure teneretur ad extructionem Cæmeterii, negat se habere unde expensas suppleat. Revera Archiepiscopus testatur, quod = *Parochiæ fructus etiamsì incerta uniantur, cuicumque impendio pro re de qua agitur detractis oneribus impares omnino sunt, prout per indubia documenta ostendit Parochus* = Nam exhibet censum parrcchialem, unde constat quod detractis oneribus pro Parocho supersunt *scuta* 93. 10. in annos singulos. Inde deducit, quod

quod licet Parochiani ad has impensas teneantur in subsidium; attamen cum Parochus idoneus non sit qui faciat hoc sumptum, illi constructionem Cœmeteri perficere deberent.

Ex his dirimendum proponitur Dubium.

An constructio Cœmeterii fieri debeat sumptibus Communitatis, seù potius Parochi in casu &c.

In Casu, de quo agitur, Affirmative sumptibus Communitatis.

SENOGALLIEN. REINTEGRATIONIS. Urbs Senogalliæ in proximo bellorum tumultu sæpe transitum exterorum militum, sæpe stationem ferre coacta est ita, ut extrema annonę caritate laboraverit. Cum jam ad comparandum frumentum multa pecunia singulis civibus esset imperata, nec tamen publica fames posset depelli; commotus est Emus Episcopus, & a S. Pontifice veniam impetravit, ut Bona ecclesiastica in hanc causam alienarentur ad scuta vigintj millia, ea tamen lege, ut a Communitate Senogalliæ rependerentur scuta quatuor in singula centum illis Ecclesiis, Locisque piis, quæ suorum bonorum alienarionem ferrent. Hinc Magistratus Civitatis anno 1801. prudente, & probante Episcopo pro ratione bonorum, quæ loca pia possidebant, hanc summam scutorum viginti millium statis quotis partiti sunt. Quo vero facilius bona venderentur, & præsens pecunia haberi posset, venum exposuerunt nonnullarum Sodalitatum fundos ita tamen ut = *per il di più della propria rata saranno queste reintegrate dagl'altri luoghi pii, che non hanno sodisfatto al loro dovere* = ut ex ædicto, *sive Notificazione*, quæ tum vulgata est. *Sess.21. cap.2. de Reform.*

Inter Prædia authorante Emo Episcopo vendita unum precipuæ fuit, quod positum est in regione = *Fancione* = quodque pertinet ad sodalitatem S. Pauli, & SSmæ Annunciationis, vulgus quam appellat = *Aggregazione de' Canepini* = Confratres hujusmodi, qui ex facta repartitione solvere debebant scuta 31. 69., ægre tulerunt fundum venumdari pro scutis argenteis 860. Quare preces dederunt huic S. Congregationi, ut

 facta

facta venditio abrogaretur ita,ut,sodalitium reintegrationem obtineret, vel saltem potestas esset singulis Confratribus prædium redimendi ea lege, ut illud restituere deberent Sodalitio, cum hoc pretium a confratribus restitutum representare posset. Interrogatus Emus Episcopus nil intentatum reliquit, quominus Confratres ad compositionem induceret, eisque proposuit, ut in compensationem acciperent fundum ad Mensam Episcopalem pertinentem. Id quod cum recusassent Confratres, Episcopus in sua Informatione exposuit narrata, ex quibus concludit = *Cum soli Oratores, silentibus aliis venditoribus conquerantur, solique redhibitoriam velle exercere enixe clamitent, in iis justam querimoniæ causam non video, quoties perinde illis, atque aliis venditoribus fructus compensativi ab hoc Magistratu persolvantur. Quamobrem petitionem reiiciendam esse censerem.*

Præces itaque dimissæ fuerunt cum Rescripto *diei* 11. *Julii* 1801. = *Utantur jure suo coram Emo Episcopo prout, quatenus, & contra quos de jure* = Confratres reclamarunt ad SSmum, ut jura sua experiri possent in hac S. Congregatione, cui a Sacratissimo Principe novæ præces remissæ fuere. Hinc commissum est Emo Episcopo ut *tempus prefigeret interesse habentibus ad deducendum jura sua*; Quamquam Emus Episcopus mensis spatium præstituerit etiam *emptori*, ut suam jura proferret; attamen nemo adhuc adfuit, & causa proponitur instantibus Confratribus, qui jura sua mihi in scriptis obtulerunt, ut ea EE. PP. ex officio referram.

Postulant Confratres reintegrationem ad fundum alienatum, seu potius facultatem eumdem redimendi. Nam ex ea venditione vel maxime læsam fuisse contendunt sodalitatem. Venditum enim est prædium pro *scutis argenteis* 860., quod ex recenti Periti relatione extimatur ad *scuta* 1044. Quare si = *Ecclesia Jure minoris debet semper illesa servari* = ut respondit *Alexandr. III. in Cap.* 1. *de in integr. restit.*, & privilegia a jure minoribus concessa, Ecclesiæ communicata sunt, ut tenent omnes Canonistæ, quos refert *Petra ad Constit. Apostolic. Constit.* 1. *Divi Leonis Magni sect.* 3. *num.* 36.; profecto eidem concedenda videtur restitutio in integrum adversus contractum, quemadmodum indulgetur mi-

no-

noribus ex Rescripto *Diocletian.*, & *Maximian.* in *Leg. Si quidem* §. *Si vero Cod. de Præd.*, & *aliis reb. minor.*, si saltem in sexta parte justi pretii se læsos probaverint, ut pluribus adductis tradit *Zanch. de læsion. part.* 1. *Cap.* 7. *num.* 144. Si igitur prædium valeret scuta argentea 1044. profecto læsa esset Sodalitas ultra sextam pretii partem. Quod si ab EE.PP. reintegrationem consequi non possent Confratres; tum postulant, ut Prædium venditum redimere possint. Nam Sodalitati ablatus est fundus, ex quo onera Missarum, Anniversariorum, ælemosinarum solvebat, ita ut iis nunc satisfacere non possit.

Præ munere tamen EE. VV. animadvertendum propono, quod venditio hujusmodi facta est ex justa causa, & legitima interveniente potestate. Nam cum in causam Annonæ, ne pauperes fame enecarentur pecunia erogata sit; profecto res Ecclesiæ alienari poterat in subsidium indigentium *ex Canon. Aurum.* 70. *Distin.* 12. *quæst.* 2. Legitima vero fuit alienatio, statim ac Emus Episcopus affirmat se apostolicam veniam impetrasse juxta ac prescribit *Extravagan. Ambitiosæ de reb. Ecclesiæ non alienan.* Hinc ut restitutio in integrum, quę minoribus, & Ecclesiis æquę conceditur, nunc possint obtinere Confratres ex allegata *Leg. Siquidem* necesse ęst, ut precedat *causæ cognitio*; Scilicet ut verum, & certum fundi pretium statuatur de tempore initæ venditionis. Hoc non præstat Peritus a Confratribus adductus, cum ad tempus præsens se referat, quod licet parum dissitum sit a tempore sequutæ emptionis, attamen ob publica rerum discrimina, cum non ita facile Emptores invenirentur, certe res minoris venibant.

Quod pertinet ad redemptionem fundi venditi, hoc jus vel ex lege datur, vel ex pacto, ut tradit *Card. de Luca discurs.* 7. *num.* 6. *de empt.* Neutrum in proposito casu concurrit, nec redimendi facultas concedi posse videtur ex eo, quod Sodalitas hoc fundo privata non habeat, unde onera satisfaciat. Nam pro his oneribus implendis habet fructus compensativos, quæ pro quantitate pretii ex vendito prædio retracta, reprendere debet Magistratus Senogalliæ, & agere poterit adversus cætera loca pia, ut pro quotis ipsis

ipsis tangentibus Sodalitatem *dei Campini* reintegrent.

Dubium est.

An sit concedenda reintegratio, seu potius facultas redimendi fundum venditum in casu &c.

Dilata.

Sess. 21. Cap. 4. Ses. 24. Cap. 13. de Reform.

SPOLETANA CONGRUÆ. In agro *di Monte Falco* extat Villa *di Casale*, quæ olim subiiciebatur Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochiali S. Bartolomæi ejusdem oppidi, & Capitulum curam etiam in agro exercens decimas percipiebat, & Stolæ emolumenta, nec non reditus bonorum, quæ unica tum Parecia possidebat in eadem Villa in quantitate Modiorum 133., in publico censu extimata *scuta* 2860. Anno 1750. instantibus Villicis *di Casale*, hæc regio a Parecia *di Monte Falco* separata est, & Capitulum in dismembrationem consensit, dummodo sibi maneret jus exigendi decimas, & retinendi fontem baptismalem. Novo Parocho in Villa *di Casale* constituto in congruam assignata fuerunt bona, quæ in eadem Villa existebant ad antiquam Paræciam pertinentia, ex quibus scuta annua fere *octuaginta* redibant.

Post quinquaginta annos, a quibus hæc observata fuere a Parochis dictæ Villæ, cum Pareciam *Casalis* obtinuisset Præsbiter Paschalis Pambuffetti ratus posse se in discrimen revocare jus percipiendi decimas, quas Capitulum in dismembratione sibi reservaverat, judicio egit coram Vic. Gen. Spoleti, & tam in *possessorio*, quam in *petitorio* succubuit ita, ut licet appellationem interjecerit; attamen eamdem postea derelinquens expensas capitulo refecit. Grave hoc tulit Parochus Pambuffetti, & se Pareciam relinquere velle dictitavit. Hinc populus, ne Parocho destitueretur, ad S. Congregationem præces obtulit, ut eidem supplementum congruæ assignaretur, quæ demissæ fuerunt *Rescripto diei* 13. *Septembris* 1800. = *Recurrat ad Episcopum* = Cum vero apud Episcopum nil Populus profecerit: tum Parochus Pambuffetti ipse S. Congregationem depreca-

catus est,ut congruæ augumentum obtineret. Episcopus interrogato Capitulo; hujus jura in scriptis exhibita, monumentisque munita remittit *Ex eisdem*, ait, *habebunt EE. VV. originem erectionis relatæ Pareciæ factæ per meum prædecessorem, & pacta eo tunc conventa cum memorato Capitulo. Non omisi multoties requirere ab Oratore statum activum, & passivum præfatæ Pareciæ una cum incertis, at illum adhuc desidero. Ex documentis tamen ejusdem Capituli habetur quid, & quantum in bonis stabilibus possideat enunciata Ecclesia Parochialis* ;

Ut congrua sibi suppleatur,postulat Parochus Pambuffetti. Nam ex judicio Peritorum, qui extimaruut fundos in hanc causam assignatos, probare studet, se non pluris quotannis consequi,quam sc.35.72. Contra vero impendere debet pro solvendis vectigalibus, pro missis celebrandis, pro manutentione Ecclesiæ *scuta* 37., ut nil ei reliquum sit ad propriam substentationem. Nam nil ex decimis percipit, quas sibi reservavit Capitulum Montis Falci; nil fere ex incertis stolæ, cum fontem baptismalem non habeat; nil demum ex suo patrimonio sacro supplere possit, cum sit ordinatus ad titulum Paræciæ. Cum vero ei auctus sit familiarum numerus profecto labore, & ægestate coactus Paræciam derelinquere vel invitus deberet, nisi ei suppleatur congrua, quæ ex mente Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.*13. *de Reform.* scuta centum attingere debet, & sicuti ex redditibus Matricis providenda est nova Paræcia ex Decreto Tridentini *Sess.*21.*Cap.*4. *deReform.*; Ita ex iisdem supplendum sit quid justæ congruæ deficiat.

Capitulum Montis Falci hoc primum in facto statuit, quod congrua constituta sit in dismembratione ex bonis, quæ Paræcia Matrix possidebat in Villa *Casalis*. Hæc autem consistunt in modiis 133. extimata in postremis Piani Catastri Tabulis ad scuta 1860., ex quibus certe redire debent annua scuta fere *octuaginta*, & constat locata fuisse *scuta* 75. ex quibus vacante Paræcia Æconomus sustentationem accepit. Licet vero Parocus Casalis Fontem baptismalem non habeat; attamen consequitur emolumenta funerum, & Matrimoniorum. Nil vero refert si assignata congrua scuta centum non æquet. Nam ex institutione congrua potest esse minor, ut censuit Sac. Congregatio *in Derthonen. Dismembrationis* 28. *Januarii* 1736.

Qua-

Quare si hactenus Parochi Casalis habuerunt id quod = *pro rectoris & Parœciæ necessitate decenter sufficiut* = ut Tridentinum præscribit *in allegat. Sess.24. Cap.13. de Reform.*; si prædecessores Parochi numquam reclamarunt, nullo modo supplementum congruæ peti potest, nisi probetur reditus pro congrua assignatos omnino decrevisse, ut post *Text. in Cap. Nemo de Consecrat. distin.1.* tradit *Rebuff. de Congrua num.92.*, *& Sac. Congregatio in Feretrana Unionis* 20. *Februarii* 1802.

Constat porro, quod iidem adhuc manent fundi in institutione assignati, qui ob auctum rerum pretium multo plus quam antea reddere debent. Reque vera Peritus a Capitulo interrogatus, affirmat quod si fructus = *si ragguagliassero ai prezzi correnti giudico, che li Terreni sono atti, e possono rendere l'annuo frutto di scudi* 160., *che se poi fossero ben coltivati ad uso di arte, e non abbandonati come al presente la maggior parte incolti, e sodivi sarebbero capaci di rendere d'annuo frutto alli prezzi correnti delle grascie anche scudi* 300. Hinc concludit Capitulum, quod aut falsum sit, quod parum ex fundis redeat, aut id tribuendum secordiæ Parochi Pambuffetti, qui culturam negligit. Ad expensas vero quod attinet adductis testibus probat Capitulum, quod Parochiani ex collectis eleemosynis cæram, oleum, suppeliectilia pro Ecclesię Parrochialis manutentione subministrant. Quare Parochus eo minus de sua congrua impendit.

Nihilominus hæc omnia, si pro supplemento congruæ Sententia EE. VV. inclinet, tum Capitulum negat se ad illud teneri, cum si Matrix Ecclesia reditibus non abbundet, tum ad congruam Parocho Ecclesiæ filialis præstandam compelli nequeat, ut *ex Text. in Can. Bonæ rei quæst.2.* docet *Fagnan. in cap. Ad Audientiam num.4. de Eccles. ædifican.*, & *Sac. Congregatio in Eugubina Dispensationis* 31. *Julii* 1790. Ita autem se deficere redditibus contendit Capitulum, ut ipsis Parochis Montis Falci sit congrua in *scutis* 30., nec illam augere ullo modo possit.

Ex his deliberandum proponitur.

An, & a quibus sit præstandum supplementum congruæ in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

SUTRINA CESSIONIS. Ab eo tempore, cujus memoria non extat, Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Brachiani rubra septem frumenti pro decima, & portione Canonica Mensæ Episcopali Sutrinæ quotannis pensitavit. Hæc consuetudo, cum a Capitulo in discrimen revocaretur, confirmata est tum ex conventione *anni* 1584., tum ex Re judicata A. C., qua Capitulum renuens stare conventis damnatum est ad præstationem rubrorum septem frumenti. Abhinc semper huic obligationi fecit satis usque ed annum 1798. à quo ob publicam rerum perturbationem integræ traditioni frumenti defecit. Verum timens Capitulum, ne judicio compelleretur ad præstandam conventam quantitatem frumenti, habitis comitiis, statuit cedere Mensæ Episcopali, quas a Parochianis exigit decimas = *in mezzo staro di grano dalle Famiglie in cui non vi è il capo di casa, ed in uno staro dall'altre famiglie* = Hinc a SSmo deprecati sunt, vel ut cessionem hanc probaret, vel ut judicem delegaret, qui rem œconomice cognosceret. Præces ad Sac. Congregationem remissæ fuerunt. Interrogatus Episcopus ait = *cum agatur de re ad Mensam pertinente a ferendo judicio prorsus abstineo: Mihi tamen non videtur assumendum onus exactionis juxta consilium a Canonicis captum. Ipsi enim tenentur tradere frumentum Mensæ Episcopali, cujus quidem nihil interest num ex exactione a populo, vel alio fonte desumatur.* *Ses.23. cap.13. de Reform.*

Portio Canonica, quam singulæ Diœcesis Ecclesiæ Episcopo debent sive in signum subjectionis *Cap. Cum Episcopus 7. de Officio Ordinar. in 6.* sive in mercedem sollicitudinis, quam pro omnibus suscipit Episcopus, ut ad *Cap.1. de Sepulturis* tradit *Barbos. de Offic.*, *& Potestat. Paroch. part.3. cap.25. num.7. Layman. lib.3. tit.5. cap.12. num.13.* nullo juris loco determinata est quoad quantitatem, sed pro diversa locorum consuetudine præstatur *Cap. Requisivistis 15. de Testam.* Hinc dum Capitulum Brachiani ex consuetudine, ex conventione, & ex Re judicata pensitare tenetur rubra septem frumenti, non potest hoc onus subterfugere. Verum Canonici hoc unum quærunt, ut cedere possint decimas, quas in frumento percipiunt a Parochianis, cumque Episcopus post deducta Jura Mensæ Episcopalis in Voto fuerit, ut Causa in Folio ab EE.VV. dijudicanda proponeretur, non retardata interim per Capi-

tulum præstatione Frumenti, hinc est, quod jam demandato hujus conditionis adimplemento, Episcopi Votis annuendum putavi subjiciens EE.VV. judicio inferius expressi dubii solutionem.

Agitur de voluntaria cessione, & abdicatione cujusque decimandi Juris, quod ita in Episcopalem Mensam Capitulum transferre vellet; ut si quid præter septem Frumenti Rubra ex quotis Familiarum aliquando obvenerit, id in utilitatem cedat Parrochianorum imminuta ipsis pro rata decimæ contributione. Proponitur igitur res quidem specie tenus Mensæ Episcopali non damnosa, Populo utilis, Capitulo commoda, quia odiosa, & difficilis est decimarum a Parochianis exactio: ideoque non deneganda videtur facultas a Capitulo petita cedendi decimarum Juris.

Verum etiamsi quis Jus suum ad libitum cedere queat, necesse est, ut Cessionarii consensus intercedat, ut in eum trasferre illud possit *Olea de Cessione tit.6. quæstion.10. num. 1.*, ideoque nisi constet de Episcopi Mensæ Administratoris consensu, inutilis porro evadet in casu quæque Capitulo cedendi tributa facultas. Hæc ipsa exigendi difficultas, & odium videtur ex præmissis non arridere Episcopo, cujus deterior evaderet conditio, cum unum habeat septem Rubrorum Frumenti, qui solvendo est, Debitorem, nempe Capitulum.

Cum vero nil referatur, ex quo Jus sibi authument Capitulares cogendi Mensam ad invitam acceptationem Juris de quo agitur, hinc Dubium erit.

An, & quomodo probanda sit cessio in casu &c.

Die

Die Sabbathi 12. Februarii 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUæ duo primo loco proponuntur causæ pertinent ad præteritum Folium, quod EE. PP. resumere dignabuntur.

SPOLETANA CONGRUÆ. In hac causa relata in præterito Folio multa nunc in facto adducit in *Allegat. distribuenda* Parochus Pambuffetti, ad augumentum congruæ consequendum. Profert enim documenta, ut ostendat fundos in congruam assignatos absque sua culpa in deterius abiisse ex redundantia aquarum. Ostendit rursus, quod nemo eos in locatum accipere voluit, licet publica edicta ad oblatores accersendos vulgata fuerint. Affert retractationem Peritorum, de quibus mentio fit *in Folio*. Nam affirmant, tum se fundos extimasse habita ratione ad censuales tabulas, nunc vero habita inspectione fundorum putant ex eis redire posse annua scuta quadraginta. Tandem testes adducit, qui deponunt impossibile esse, ut Parochus ex congrua assignata vivat, cum incerta stolæ, & elemosinę sint tenuissimæ. Ex his, quæ denuo proponuntur dignentur EE. PP. dirimere dubium. *Sess. 21. Cap. 4. Sess. 24. Cap. 13. de Reform.*

An, & a quibus sit præstandum supplementum Congruæ in casu &c.

Dilata, & ad mentem mens est quod Parochus exhibeat Episcopo statum activum, & passivum Paræcię comprehensis incertis, & deinde Episcopus transmittat, & referat Episcopo audito Capitulo.

Sess. 23. Cap. 13. de Reform.

SUTRINA CESSIONIS.

An, & quomodo probanda sit cessio in casu &c.

Negativè.

Sess. 21. Cap. 7. de Reform.

PISAUREN. REPARATIONIS ECCLESIÆ SUPER EXEQUTIONE DECRETI. Ut Archipræsbyter, & Parochus Bastianelli repararet Parochialem Ecclesiam SS. Viti, & Modesti in Oppido Montis Birotii, quæ maximum damnum cæperat ex turbine in nocte 30. *Decembris* 1801. suscitato, preces Sanctissimo obtulit, ut sua authoritate probaret media ad reparationem proposita. Hæc hujusmodi erant: Scilicet, ut ipse Archipræsbiter super fundis Parrochialibus censum imponeret in sorte scutorum centum, & præterea in annos singulos scuta vigintiquinque subministraret in reparationem Ecclesiæ: ut Sodalitia, quæ in Oppido Montis Birotii extabant pro modo redituum in eamdem causam pecuniam conferrent: ut tandem Eremitæ Congregationis B. Petri, qui in eodem Oppido Conventum, Ecclesiamque S. Marci possident ex superextantibus redibus fatiscenti Ecclesiæ opitularentur. Preces hujusmodi ad S. Congregationem remissæ fuerunt, quæ multa ab Episcopo Administratori Pisaurensi percontata est, quęque hic sedulo exposuit in sua prima *Informatione*.

Refert enim, quod cum Ecclesia fere collapsa sit: *Deo fore gloriosius, Populoque commodius si non reficere modo damna, sed totam Ecclesiam instaurandam, & ab integro ædificandam Populus suscipiat, fornicem in ea construendo, cujus ope propulsatis incomodis Plebs illa libentius valeat eam frequentare. Sumptus necessarii ad scuta* 2652. 23. *ascendunt*. Addit quod *Patres Congregationis B. Petri a Pisis, ipsorumque nomine Conventus illorum Priorem P. Antonium Carloni authoritate a P. Blasio Gasparoni sibi facta in id devenire consilii, ut quatuor e suis Religiosis alias mittat alendos,*

dos, quo possit superstites Conventus reditus per sex annorum spatium cedere in ædificanda Ecclesia, qui detractis detrahendis ad summam scutorum 200. *vel* 300. *extimantur ascendere*. Prȩterea affirmat, quod Sodalitia pecunias conferre parata erant, scilicet illud *S. Antonii* offert pretium retrahendum ex venditione Domus, alterum *Sanctissimi Sacramenti scuta* 263., & alterum *Sanctissimi Rosarii scuta* 319., quæ deposita, & nondum adhuc investita habent. Et tandem Confratres S. Mariæ de Monte Carmelo spondent conferre augumentum, quod suis reditibus sperant futurum. Tandem concludit *ex variis expositis oblationibus exurgit summa scut.* 2082. *si Religiosorum fructus superstites scuta* 250. *solummodo singulis annis computentur*.

Nihilominus S. Congregatio iterum injunxit Episcopo, ut transmitteret resolutiones *Sodalitiorum*, *& Fratrum B. Petri a Pisis pro respectivis oblationibus in forma authentica*. Præstitit hȩc Episcopus, & *in posteriori Informatione* sicut cæterorum Sodalitiorum, ita etiam remisit obligationem subscriptam a PatreCarloni Priore Conventus S. Marci, in qua = *munito io sottoscritto Priore del Convento di S. Marco, di tutte le facoltà conferitemi dal P. Reverendissimo Generale Biagio Gasperoni con sua lettera facoltativa dei* 9. *Aprile* 1802., *ed in seguito dell' Assicurazione, che nella lettera stessa mi partecipa della diminuzione di quattro individui Religiosi da questo Convento, promettendo di contribuire detractis detrahendis tutti gl' avanzi annui pel solo giro di sei anni, quali avanzi potranno ascendere alla somma di circa due in trecento scudi. In conferma di tutto questo sottoscrivo questo mio foglio scritto di proprio pugno*. Cum igitur S. Congregatio omnia explorata habuisset, censuit rem Sanctissimo referre, qui ex Audientia *diei* 2. *Junii* 1802. precibus rescripsit. *Sanctissimus audita relatione Episcopi Administratoris Ecclesiæ Pisaurensis, & infrascripti Pro-Secretarii benigne commisit eidem Episcopo, ut veris existentibus narratis pro suo arbitrio, & coscientia Oratoribus gratis indulgeat, ut ad enunciatam taxam procedere, & deveniri possit juxta Votum ipsius Episcopi, facta tamen &c.*

Ut primum Pisauri allatum fuit Rescriptum hujusmodi; statim Administrator Episcopus *die* 13. *Julii* 1802. decre-

cretum tulit exequtoriale in quo = *V. Conventum S. Marci ejusdem Terræ . ac pro eo R. P. Antonium Carloni Priorem, ejusque in Officio Successores taxavit in summa scut. tercentum pro quolibet anno solvenda ad sexennium missis interim per Rev. P. Generalem ipsius Congregationis pro faciliori dictæ taxæ implemento Fratribus in aliis Conventibus alendis , ubi legitimus eorum numerus desit, duobus , vel tribus Sacerdotibus præter Laicos ibi tantum relictis . Ac tandem decrevit , ut superfluæ in omnibus, ac voluptuosæ arceantur expensæ* . Religiosi Decreto Episcopi audientes nou fuere , sed novis oblatis precibus huic S. Congregationi a Rescripto Sanctissimi *diei* 2.*Junii* 2802. reclamarunt. Silentium eis imposuit S. Congregatio edito *die* 17. *Julii* 1802. rescripto = *Aquiescant Rescripto Sanctissimi* . Quare negligentibus adhuc Religiosis familiam Conventus diminuere , censuit Episcopus *die* 7. *Augusti* 1802. preceptum expedire P. Priori Carloni , ut intra decendium Religiosos dimitteret juxta ac præscriptum erat in Decreto exequtoriali . Paruit ille quidem , sed Religiosi institerunt cor. R. P. D. Auditore Sanctissimi , ut facultates injungerentur S. Congregationi ad effectum *procedendi cum clausula de Aperitione oris adversus Rescripti super prætensa coactione Conventus ad contribuendum pro sumptibus reædificationis Ecclesiæ* . Quam quidem instantiam dimisit Auditor Sanctissimi cum Decreto *diei* 7. *Septembris proxime præteriti* = *Mandavit Instantes uti jure suo cor. S. Congregatione Concilii* . Hinc Religiosi obtulerunt vadimonium Archipræsbytero Bastianelli , cæterisque qui reparationi Ecclesiæ student ; Quæ utrinque afferuntur ad sustinendum , vel in discrimen adducendum Rescriptum Pontificium, ejusque exequutionem cognoscent EE.PP. ex *allegationibus* distribuendis .

Religiosi hoc curant scilicet , ut demonstrent falso narratum fuisse Pontifici , quod ad reficiendam Ecclesiam necessaria erant scuta *termillia* , quando ex relatione Fabrimurarii satis sunt scuta *quingentum* . Deinde , a veritate abesse contendunt , quod Pater Generalis potestatem fecerit P. Priori Carloni emittendi obligationem pro contribuenda pecunia ad sexennium ex redditibus Conventus . Nam , quæ littera P. Generalis affertur , hęc inquiunt non præsefert absolutam concessam

sam

sam fuisse facultatem, purumque consensum, sed dumtaxat illum propendere in hanc faciendam pecuniarum erogationem. Ex his concludunt preces duobus falsis suppositis inniti, adeoque Rescriptum Pontificium obreptitium omnino esse ex *Text. in Cap. Ad aures* 8., & *in Cap. super litteris de Rescript. Rota decis.* 323. *cor. Molin.*, & *in Ferentina Transactionis* 26. *Junii* 1801. §. 5. *cor. R. P. D. Resta*. Deinde contendunt, quod nulla sit necessitas reedificandae Parrochialis Ecclesiae. Nam minori sumptu reparari potest ruina, quam turbo intulit Fabricae. Remota vero necessitate cogi non possunt Religiosi ad conferendam pecuniam, cum de jure obligatio reparandae Ecclesiae intra veram necessitatem cohibeatur, ut statuit *Rota in Nepesina Fabricae* 11. *Martii* 1774. *cor. Eminentissimo Herzan*. Posita vero necessitate grave esset majorem sumptuum partem ex redditibus conventus deducere, & Religiosos dimittere, ut alio sustentationem recipiant.

Archipraesbiter vero Bastianelli mordicus defendit Rescriptum Pontificium, ejusque exequutionem. Latum enim esse dicit consulente S. Congregatione, quae omnia antea perspecta habere voluit, quam Sacratissimo Principi rem referret. Unde extrinsecus repellitur omnis suspicio obreptionis, statim ac re cognita editum est Rescriptum. Quod vero necessaria sit expensa scutorum fere *termillium*, id probat testimonio Architecti, & Episcopi, qui a Peritis percontavit expensam necessariam. Quamquam vero agatur de reedificanda Ecclesia, ut Populo commodior sit; attamen id Pontifex scivit ex Relatione Episcopi antequam per Rescriptum facultatem tribueret, ut pecunia annua Conventui imperari posset. Consensum vero P. Generalis clare erui dicit ex Epistola, in qua Prior Carloni injunxit, ut rationes Conventus conferret ad designandam summam contribuendam. Caeterum haec ipsa epistola, sicut & alia documenta exhibita fuerunt S. Congregationi priusquam Rescriptum prodiret. Quare si legitima habita est obligatio a P. Priore emissa, non possunt nunc eam Religiosi, neque ex facto, neque ex jure in discrimen adducere. Non *ex facto*, quia ex superius expositis constat de vera necessitate. Non *ex jure* quia deficientibus ordinariis reme-

mediis a S. Concilio Tridentino *Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.* præscriptis, Sacra hæc Congregatio extraordinaria probavit, & authoritate Apostolica cogi possunt Religiosi ad conferendas pecunias, cum divitem Conventum in illa Paræcia possident, & possint pecunias suppeditare.

Hæc summa sunt capita utriusque *Allegationis*: EE. PP. dignabuntur dirimere dubium.

An, & quomodo Rescriptum diei 20. *Junii* 1802., *ejusque exequutio sint observanda in casu &c.*

Affirmative pro annuis scutis 250.& Episcopus curet invenire redemptorem operis cum idoneis fidejussionis.

Ses. 21. *cap.* 4. *de Reform.*

ANCONITANA DISMEMBRATIONIS, ET REINTEGRATIONIS. Quæ in Agro Anconitano posita est Regio a circumfluente Flumine Æsino *di Fiumesino* nuncupata, ea ab immemorabili subjecta fuit Pareciæ Castri *Falconara* non parum dissitæ. Numquam tamen ab Incolis *di Fiumesino* excitata quærela est, quod illis incommodus esset accessus ad Parochialem, nec constat, quod ullus, nisi inopino morbo correptus, destitutus Sacramentis decessit. Nam Parochus Joannes Frampoli, qui ex litteris Apostolicis tenet nunc Parochiam *di Falconara* = sive per se, & coadjutorem officia parochialia naviter præstitit, sive etiam ex composito cum *PP. Eremitis Congregationis B. Petri a Pisis*, qui in eadem regione Conventum, Ecclesiamque S. Laurentii possident, quique, ubi casus ferret, Incolis in re spirituali adesse solebant. At in proximo tumultu Republicano visum est iis, qui summas imperii tenebant ad instantiam nonnullorum a Paræcia *di Falconara* dismembrare regionem *di Fiumesino*, in eaque novam Pareciam erigere. Itaque *la Municipalità Rurale di Ancona* = novę Pareciæ fines statuit, capita animarum designavit, quæ ad erigendam Pareciam pertinerent & bona a Parecia *di Falconara* separavit, unde novus

Pa-

Parochus *di Fiumesino* congruam sumeret. Cum hæc omnia retulisset *al Ministro dell'Interno*, hic frustra reclamante Parocho Frampoli jussit Emo Ranuzzi Anconitano Episcopo per epistolam diei 25. Ap. 1799. *Avendo io smembrato la Parochia di Fiumesino, da quella di Falconara, ed essendo già destinate le rendite della nuova Parrocchia v' incarico sotto la più stretta vostra responsabilità di presentare un Sacerdote idoneo per conferirgli la sud. Chiesa Parrochiale.*

Ne quid gravius accideret ecclesiasticæ disciplinæ Emus Episcopus prudentię suæ existimavit esse, concursum indicere AD NOVAM PARÆCIAM ERIGENDAM. Præ ceteris probatus fuit Pater Casoni Religiosus ex Eremitis Congregationis Pisanæ. Tum Parochus Frampoli, quem ob suam repugnantiam ad dismembrationem faciendam jam notaverant Viri republicani, censuit, ut morem Episcopo gereret, consensum dismembrationi præstare, ita tamen, ut in actis emiserit secretam protestationem, in qua declaravit = *che per la dismembrazione della Parrochia non ha egli deliberatamente prestato mai alcun voloutario consenso, avendo emanata la seguente protesta chiusa, e sigillata a motivo di non incorrere amarezze col governo presente, il quale ha ordinato la smembrazione, e per garantire altresì le ragioni, che al Frampoli competer possono in tempo più propizio.* Quamquam vero Emus Episcopus numquam Decretum erectionis novæ Pareciæ tulisset, attamen in Litteris Patentalibus datis Patri Casono ita se expressit = *fuit revera Ecclesia S. Laurentii a nobis tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, & ad præscriptum etiam a Sac. Concilio Tridentino in novam formiter redacta Paræciam, prout ex actis nostræ Cancellariæ dignoscitur.* Hinc Patrem Augustinum Casoni deputavit *in economum Curatum prædictæ Pareciæ donec, & quousque Apostolicæ approbationis Litterę obtentæ fuerint*, & eidem Casoni tamquam *Œconomo Curato* a Cancellario Episcopali possessio Paræciæ, & bonorum data est.

Veteri restituta per eas regiones disciplina, censuit Emus Ranuzzi rem omnem, quæ dismembrationem Paræciæ *di Falconara* respiciebat *in Folio* exponere,

& in consilium adhibere viros ecclesiasticos, ut statueretur quid consilii capiendum. Ubi id rescivit Pater Casoni statim ad futurum Pontificem (vacabat enim adhuc Sedes Apostolica) se appellavit. Itaque Emus Episcopus statuit audire Pontificium Oraculum. Occubuit Pater Casoni & Incolæ *di Fiumesino* Præces exhibuerunt S. Pontifici, ut indiceretur Concursus ad Pareciam *di Fiumisino*. Quæ præces remissæ fuerunt ad Sac. Congregationem, quæ Antistitem Administratorem Anconæ (Nam interea Emo Pastore viduata erat) interrogavit *de causis retardati concursus post obitum Patris Casoni*. Hic vero respondit non aliam fuisse, quam quod *nova Fluminis Æsini Parochia republicana tempestate ortum habuit, & Falconeriensis Parœciæ imminutio, novæque ad flumen æsim institutio a S. Sede confirmata nondum est. Interim illorum incolarum spirituali bono per Parochum administratorem provisum abunde a me est. His itaque authoritate, & oraculo Sanctitatis Suæ compositis, novæ Pareciæ erectione juxta S. Canones facta examen statim indicam.*

Parochus vero Frampoli, & ipse deprecatus est SSmum, ut sua primæva jura Parochialia super regione *di Fiumisino* salva maneret. Iterum Sac. Congregatio(cui preces hujusmodi remissæ fuere) exquisivit *Informationem* Administratoris Episcopi Anconitani, qui ait *haud mihi successit cum Plebano Falconariæ convenire. Ipse enim ab omni conditione abhorrens eo tantum incubuit, ut novæ Pareciæ institutionem nullitate, & injustitia incusaret. Id unum perpendi enixius obtestor, multum sane velut alias monui longeque a Castro Falconariæ dissitum Populum Fluminis Æsini, ideoque ad Spiritualem octingentarum animarum salutem in regione illa omnino necessariam fuisse novæ Paræciæ erectionem*. Causa ad *Folium* ablegata non destitit Parochus Frampoli statim vadimonium offerre iis, qui videbantur erectionem novæ Pareciæ Fluminis Æsini defendere. At decernente me ut illi mandatum Procuræ afferrent intra præstitutum terminum, latitarunt omnino a judicio. Proponitur igitur causa sua tantum jura deducente Parocho Frampoli sub infrascripta dubii formula.

Tria

Tria profecto suadere videntur dismembrationem Pareciæ, scilicet *distantia* Regionis *di Fiumesino* dismembrandæ a Parecia *di Falconara*, *periculum*, ne illi Incolæ Sacramentis careant, & tandem *Vota Episcopi, & Populi*, quæ in dismembrationem tendunt. Nam ex testimonio Episcopi constat, quod regio *di Fiumesino multum longeque* distat a Castro *di Falconara* & ad dismembrationem faciendam satis videtur duplicis lapidis distantia, ut tradit *Fagnan. in cap. ad audientiam de Eccles. edifican. num.* 39. *Pirrhing. in Jus Canon. cap.* 16, *num.*31. Quamquam vero hactenus sine Sacramentis nemo decesserit; attamen non tollitur periculum in casibus inopinis, in quibus ob locorum distantiam non ita prompte Parochus accersiri, & adesse potest. Hinc populus pluries ad Sac. Congregationem præces a septuaginta familiis subscriptas dedit, ut novus Parochus maneret in Regione *di Fiumesino*. Hinc Episcopus administrator EE. VV. obtestatur *enixius perpendi ad Spiritualem octingentarum animarum salutem in regione illa omnino necessariam fuisse novæ Pareciæ erectionem*. Accedit, quod licet dismembratio hujusmodi tempore Reipublicę expleta sit *facto* quidem minus legitimo eorum, qui tum imperium usurpabant, attamen probata quodammodo videtur ab Emo Cardinali Ranuzzi, dum concursum indixit super nova Paræcia di *Fiumesino*; quam a se erectam formiter dixit *in Litteris Patentalibus* datis Patri Augustino Casoni, dum illum in Economum Curatum deputavit.

His, quæ præ munere deduxi occurritur a Parocho Frampoli *in sua allegatione* ut moris est EE. PP. distribuenda. Nam Tridentinum *in sess.*21. *cap.*4. *de Reform.* has dismembrationes permittit, quatenus *ob locorum distantiam, sive difficultatem Parrochiani sine magno incomodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt*. Hinc concludit Frampolus, quod ad dismembrationem obtinendam satis non sit sola distantia, sed concurrat oportet Parrochianorum *magnum in comodum*, sive quia difficile sit iter, sive quia impervius accessus, ut ipsi Sacramentis destituantur Authore *Fagnan. in cap. ad audientiam num.* 8. *Pignatell. consult.* 230. *num.* 5.

Tom.4. Reclusio de Re Parrochiali part.1. Tit.12. numer.87. Rota in Costantien. Parrochialitatis , & Reintegrationis 22. *Februarii* 1747. §. 14. *coram clar. me. Card. Caprara* , & Sac. Congregatio *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis Parochialis* 8. *Martii* 1732. , & *in Asculana Dismembrationis* 11. *Aprilis* 1739. *ad I. Dub.* Haec autem procul abesse a specie nostra contendit Parochus Frampoli , cum ab immemorabili Incolae *di Fiumesino* subiiciantur Paraecię *di Falconara* , quin ullam excitaverint querelam sibi incommodum fuisse adParrochialem accedere, & ex testimonio ipsorum Incolarum constet, quod nemo umquam nisi repentino morbo correptus in extremis caruerit Sacramentis , vel pręsentia Parochi . Quod si in posterum hoc eventurum timeatur , Parochianorum saluti consuli poterit per deputationem Cappellani Curati , ne dismembratio fiat , quę in subsidium est adhibenda , si aliter Incolarum incommodo occurri nequeat ceu monet *Rota in Eyesteten. Decimarum* 4. *Julii* 1745. §. 5. *coram Figueroa* & facere consuevit Sac. Congregatio *in Derthonen. Dismembrationis* 5. *Aprilis* 1732. , & *in Asculana Erectionis Pareciae* 26. *Novembris* 1796.

Ex quibus cum Parochus Frampoli dismembrationem Pareciae excludere putet, tū nihili faciendam esse censet erectionem Pareciae in Regione *di Fiumesino facto* , non jure expletam jubente = *Il Ministro dell' Interno* = Nam Eminentissimus Ranuzzi nec Pareciam dismembravit nec illam dismembrare potuit. Nullum siquidem decretum tulit pro dismembratione facienda & si concursum indixit , & novam Pareciam erectam asseruit *in litteris Patentalibus* P. Casoni datis, non idcirco dismembrationem probavit . Concursum enim indixit super Parecia *de novo erigenda*, id quod excludit , quod erecta fuerit . In litteris vero patentalibus affirmavit quidem , quod fuerit Ecclesia S. Laurentii *in novam formiter redacta Pareciam* , sed addidit = *prout ex actis nostrae Cancellariae dignoscitur* = Cum vero nil reperiatur in Cancellaria, quod Erectionem Pareciae praeseferat , ut ipse fassus est *in Folio* exhibito Congregationi Ecclesiasticorum , ita concludit Parochus , quod illa enunciatio in litteris patentalibus non probat , quod Episcopus

scopus dismembrationem probaverit, sed ea tantum expresserit, ne in offensionem cum moderatoribus Reipublicæ incideret. Maxime cum Patrem Casoni non Parochum instituerit, sed deputaverit in Economum Curatum, quo nomine ei possessionem dedit Bonorum.

Cæterum Frampolus contendit, quod etiamsi Emus Ranuzzi voluisset, non tamen potuisset probare dismembrationem Pareciæ. Nam necessarius erat consensus Capituli ex *Text. in cap.* 1° *de iis quæ fiunt a Prelat.* Deinde cum Parochus Frampoli ex Litteris Apostolicis Pareciam obtinuisset, non poterat Episcopus propria authoritate inconsulta Sede Apostolica eamdem Pareciam dismembrare *Rota in Costantien. Dismembrationis* 16. *Januarii* 1739. §. *Neutrum coram Vicecomite*. Quatenus vero Episcopus rite ad dismembrationem processisset, deficiente tamen necessitate dismembrationis quidquid gestum est in prejudicium Parochi revocandum est, ut factum alias a Sac. Congregatione apparet *in Materanen. Dismembrationis* 9. *Septembris & in Constantien.* 30. *Maii* 1741.

Demum nil sibi obstare contendit Frampolus si tum in dismembrationem consenserit. Nam ex facto compertum est semper eum repugnasse dismembrationi, ab eaque reclamasse, semperque ei impositam fuisse necessitatem præstandi consensum. Ex quibus erumpit vis, & metus, qui consensum præstitum irritant ex *Text. in Leg. Ait Prætor. ff. de eo quod metus caus.*

Nihilominus hæc omnia, quæ Frampolus exponit, si EE. PP. dismembrationi locum esse putabunt, tum sane statuendus erit modus, quo dismembratio fieri debeat. Præcipue quærendum in qua Ecclesia nova Parecia erigenda sit. Nam in regione *di Fiumesino* unica extat Ecclesia S. Laurentii pertinens ad Regulares Congregationis Pisanę. Hactenus Economus Curatus in illa Ecclesia Sacramenta ministravit, & in Conventu habitavit *ex Decreto S. Congregationis diei* 17. *Julii* 1802. Sed Religiosi illi repugnant sibi hanc servitutem imponere, & quatenus in illa eccle-

ecclesia nova Parecia erigenda sit, postulant, ut Parochus Regularis ex proprio ordine constituatur.

Videant igitur EE. PP. quomodo dirimendum sit Dubium.

An, & quomodo sit locus dismembrationi Parœciæ, seu potius reintegrationi in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam deputato sumptibus Parochi Cappellano Curato, qui resideat in Regione di Fiumisino.

Sess. 21. cap. 4., & 5. de Reformat.

NULLIUS NONANTULÆ ERECTIONIS PARÆCIÆ, ET UNIONIS. Castrum Serra in Urbinatensi positum subest Spirituali jurisdictioni Abbatis Nonantulani. Unica in illo est Parochialis Ecclesia *Divis Blasio, & Abbundio* nuncupata, quæ late in Agro protenditur, & numerat Familias *centum sexaginta sex*. Ex his *triginta sex* dispersæ sunt inter saltus appenninos, & a Parochiali tertio, & quarto lapide distant. Omnibus præest Parochus Castri *Serræ* Sacerdos Petrus Bonazzoli, qui decimas personales a singulis familiis in frumento percipit, quę una cum fructibus bonorum parochialium non excedunt congruam scutorum centum. Cum vero ob locorum distantiam, & itineris difficultatem singulis, & precipue remotioribus habitantibus assiduam opem præbere nequeat Parochus, hinc deprecatur ab EE. VV., ut in rurali Ecclesia S. Laurentii instituatur Cappellanus Curatus, qui alpestribus incolis Sacramenta ministret. Ut vero stipendio Cappellani Curati consultum sit, postulat, ut suæ Pareciæ uniantur duo simplicia Beneficia ordinariæ collationis Abbatis Nonantulani; quorum alterum erectum est in Ecclesia *S. Laurentii*, alterum in Ecclesia *S. Ioannis*, quæ licet maneat intra limites Diœcesis Calliensis; attamen in ea Abbas Nonantulanus ordinariam exercet jurisdictionem. Illud Beneficium *S. Laurentii* possidet Sacerdos Ubaldus Conti qui ex eo percipit annua scuta triginta, nec alio præter manutentionem Ecclesię onere gravatur.

Hoc

Hoc vero S. Joannis cui nulla infixa sunt onera, possidebat Praesbiter Loreti, qui interea occubuit in mense S. Sedi reservato, ex quo beneficio scuta annua sexdecim redeunt.

Auditi sunt Ministri Dateriae, qui nonnullas obiiecerunt difficultates inferius recensendas super u nione beneficiorum. Ordinarius quidem exposita confirmans censet ob distantiam locorum, & itineris asperitatem succurrendum esse praecipue familiis remotioribus in agro dispersis. Attamen censet, quod utilior sit novae Pareciae erectio, cui addicantur illae triginta sex familiae, quae tribus vel quatuor lapidibus a praesenti Parrochiali distant. Nam eo loci, quo Familiae hujusmodi habitant, extat ruralis Ecclesia *Beatae Mariae ad Nives, quae propria est familiarum cujusdam Villulae. Neqne dubitandum, quin singulares familiae, quarum est propria, illam omnino novo Parocho plenissimo jure cedant. Omnibus ad Sacra facienda necessariis rebus instruitur, & qaemdam annuum censum fortasse scutorum quindecim pro sua manutentione possidet. Nullas certe aedes habet, in quibus novus Parochus versetur, & nova eas molitione aedificare opporteret tum familiarum subsidio, quae commodum sentirent, tum ex fructibus beneficiorum, quod sub aeconomo seponere, & in hanc causam impendere necessarium esset antequam novus Parochus constitueretur. Parochus autem Castri Serrae dismemarationi ultro assentitur, modo tamen integrae sibi sint decimae, tum ne imminuatur Ecclesiae censustum ut eidem ecclesiae intemeratum jus praeservet suae antiquae matricitatis. Neque ullus locus esse videtur disserendi, quisnam ad Canonum censuram teneatur ad constituendam novam Pareciam. Neque enim antiquo Parocho ad id vires suppetunt, cujus census suas vix necessitates exaequat, neque populo, qui egentissimus est, neque Ordinario Nanantulano, qui acerbissimis hisce temporibus Abbatiam suam abbreviatam videt.*

Quamquam hactenus Parochus Castri *Ferrae* unus rexerit Paraeciam, & universo gregi licet per agros longe, lateque disperso advigilaverit, attamen ipse Ordinarius affirmat impossibile esse, ut curam suam protendat ad remotiores incolas, qui aut prorsus deficiunt Spi-

Spiritualibus subsidiis, aut a mercenariis mendicare coguntur. Sane hisce Parochianorum necessitati consuli posse videtur per deputationem Cappellani Curati, ut decernere consuevit S. Congregatio ne ad subsidiarium dismembrationis remedium deveniret, nisi aliter saluti animarum subveniri posset, ut *in Eugubina Dismembrationis* 31. *Julii* 1790. *ad I.*, *& II. Dub.*. Verumtamen, cum ultra locorum distantiam periculum quoque sit, ne Parrochiani Sacramentis destituantur tum Tridentinum *Sess.* 21. *Cap.* 4. *de Reformat.* jubet veri Parochi institutionem. Maxime, cum concurrat consensus ipsius Rectoris, quo fit, ut pronius in dismembrationem inclinari possit.

Alterutrum EE. VV. arrideat sive novæ Pareciæ erectio, sive Cappellani curati institutio semper statuendum erit, unde sumenda sit vel congrua Parochi, vel stipendium Cappellani. Hoc quidem a solo Parocho esset suppeditandum; illa percipienda esset = *ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus*, *& si necesse fuerit compellere possit* (Episcopus) *Populum ad ea subministranda*, *quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam* = ut præscribit iisdem verbis Tridentina Synodus *Sess.* 21. *Cap.* 4.. Verum Parochus *Castri Serra* vix congruam habet, & Populus ægestate laborat. Neutrum proinde cogi certe posse videtur nec ad congruam, nec ad stipendium authore *Fagan. in Cap. ad Audientiam n.* 4. *de Eccles. edifican.*, & S. Congregatio declaravit *in Eugubina Dismembrationis* 31. *Julii* 1790. In his vero terminis opportuna videtur unio duorum beneficiorum simplicium, quorum unum institutum est in Ecclesia S. Laurentii, alterum in Ecclesia S. Joannis. Nam Tridentinum in sequenti *Cap.* 5. *Sess.*21. probat = *unionem beneficiorum curatorum*, *& non curatorum cum curatis propter earum* (Ecclesiarum) *paupertatem, etiamsi dictæ Ecclesiæ*, *vel beneficia generaliter essent*, *vel specialiter reservata*, *aut qualitercumque affecta*. Quare dum Parochus, nec Populus potest suppetias ferre paupertati Ecclesiæ, & aliunde necessaria sit novæ Paræciæ erectio, vel Cappellani institutio, hæc sane necessaria & utilis causa est, qua subeunte S. Congregatio unionem beneficiorum probavit

vit in *Sabinen. Unionis* 16. *Junii* 1788.'. Nilque facessere videtur; si alterum Beneficium S. Joannis situm sit in separata Diaecesi Calliensi. Nam subest ordinariae jurisdictioni Abbatis Nonantulani, ut proinde ex materiali Diaecesum distinctione nullum impedimentum petitaeunioni paretur.

Statuendus insuper est *modus* quo dismembratio, & unio facienda sit. Ordinarius proponit quod nova Parecia erigatur in rurali Ecclesia B. Mariae ad Nives. Nam haec commodissima est triginta sex familiis remotioribus, quae dismembrandae sunt a Parecia *Castri Serra*, ut in novam aerigendam coalescant. Praeterea haec Ecclesia possidet annuum censum scutorum quindecim ad suam manutentionem, & instructa est rebus omnibus ad Sacra facienda. Verumtameu Ecclesia hujusmodi pertinet ad nonnullas privatas Familias, & adnexas non habet aedes, quas Parochus incolere possit. Sed Ordinarius subdit, quod familiae, quibus Ecclesia pertinet, cessionem facient, & aedes edificari poterunt tum opitulantibus iis familiis, quorum commodo nova Parecia erigitur, tum suspensa nova erectione usque dum ex fructibus uniendorum Beneficiorum aedes construantur.

Tandem Parochus Castri Serra, licet ipse praeces obtulerit prò institutione Cappellani Curati, assentitur quidem in dismembrationem, dummodo salvum ipsi sit jus decimandi,& redditus parrochiales integros percipiat, & honores matricitatis consequatur. Ipsa vero decimarum perceptio etiam super dismembrata Paraecia redolet jus matricitatis, sed minime excludit quin aliud signum honoris Parocho Matricis reservari possit.

Haec omnia deliberanda veniunt sub dubio.

An, & quomodo sit locus dismembrationi Pareciae, & unioni Beneficiorum in casu &c.

Negative quoad dismembrationem pro nunc, affirmative quoad unionem beneficiorum Pareciae Castri Serra pro stipendio Cappellani Curati facto verbo cum SSmo.

Sess.22.cap.6., & 11.de Reformat.

CAMERINEN. SUSPENSIONIS NOMINATIONIS, ET REDUCTIONIS. Præsbiter Julius Ciccarelli *Anno* 1657. simplex Ecclesiasticum Beneficium erexit *in Altare S. Sebastiani* Ecclesiæ B. Mariæ = *di Coldivento* =, quod extat in Oppido *Murciæ* Cammerinen. Diœcesis. In fundatione has pręcipuas leges indixit: Ut Missam unam in singulas hebdomadas, & prętereà quatuor in quocumque anno statis diebus fęstis *Rectores vel per se*, *vel per alios* celebrarent: Ut elemosina pro singulis Missis constitueretur in obolis *triginta* percipiendis ex prædio pro fundo Beneficii assignato = *di Annua rendita di scudi* 17. =, *ed in caso che detta Terra non rendesse il frutto a proporzione del peso imposto in una Messa la settimana, oltre le quattro Messe da celebrarsi a ragione di Giuli trè per Messa dichiarò, che sia lecito al detto Rettore tralasciare per rata le dette Messe infra hebdomadam così, e talmente, che sempre debba avere Giuli trè per Messa* = Ut juspatronatus laicalis spectaret Primogenitis Masculis ex linea primum masculina, mox fæminina Dominici fratris, qua deficiente substituta esset eodem ordine linea Masculina, & fæminina Venantii alterius Fratris, & deinde Venantiæ, & tandem Margaritæ Sororum. Quibus omnibus defectis jus nominandi pertineret ad Parochum *Castri Murciæ*; Ut Rector nominandus esse deberet ex lineis vocatis ad juspatronatum activum.

Hieronimus Angelelli nunc gaudet jure nominandi tamquam descendens ex stirpe Masculina venantiæ Ciccarelli, cui sublatis descendentiis primum vocatis juspatronatus delatum est. Vacato nuper Beneficio per obitum Sacerdotis Petri Pandolfi præfatus Hieronimus deprecatus est a S. Congregatione tum *Suspensionem* nominationis, ut impletis omnibus oneribus superextantes reditus beneficii applicentur quoad ipse, ejusque uxor vivat ad levandam suam paupertatem, tum etiam postulavit *reductionem* Missarum attenta deterioratione fundi in dotem Beneficii assignati. Archiepiscopo Camertino commissum est, ut, auditis iis quorum intererat, super præcibus referret, & interim non curreret quadrimestris Patronis præstitutus ad præsentandum. Acriter instantiæ Oratoris obstitit Clericus Petrus Antonelli, qui cum, & ipse prodeat a

Ve-

Venantia Ciccarelli tamquam descendens sibi prae aliis debitam esse contendit institutionem ad vacans beneficium. Hujus jura in Scriptis exhibita, documentisque comprobata remisit Archiepiscopus, qui ad illa se referens suam Informationem concludit = *Bene perpensis omnibus, quæ hinc inde exponuntur, potiora mihi videntur jura Petri Antonelli, qui sua spe obtinendæ Apostolicæ Dispensationis super ætate in statu Clericali jam constitutus, ac in ætate undecim Annorum, & cum fundatore sanguine conjunctus jure proprio pro ejus institutione coram Ordinario judicialiter instetit; quam ea, quæ pro parte Hyeronimi Angelelli foventur, ea potissimum ratione, quia non ex prohibitione Fundatoris, sed unice Ecclesia vetante inhabilis est Clericus Petrus Antonelli propter defectum ætatis, dispensatione tamen Apostolica supplendum ad antedictum vacans Beneficium.*

Cum æquitas Ecclesiæ non sinat Patronum Beneficii mendicare, hinc, si ad inopiam vergat, ei concedit, ut alimenta ex fructibus beneficii assignentur per *Text. in Can. Decernimus* 16. *quæst.* 7. *Cap. Nobis de Jurepatronat.* Immo ex indulgentia S. Congregationis Patrono opitulatum est etiam per suspensionem Missarum, *in Lucana* 17. *Januarii* 1789., & per suspensionem nominationis, ut impletis oneribus reliqui fructus erogarentur in levandam Patronorum paupertatem *in Montis Regalis Cappellaniarum* 23. *Novembris* 1793. Verum Hyeronimus suspensionem postulat nominationis Beneficii, quamdiu ipse, ejusque Uxor vixerit. Diuturna sane nimis hæc vacatio videtur, cum ipse annum agat quadragesimum septimum, & servato ordine, quem natura jussit, multa ei supersit adhuc vitæ spes; atque idcirco longa hæc fructuum perceptio per patronum laicum dispositioni juris adversatur teste *Card. de Luca de jurepatronat. disc.* 20. *num.* 12. *Fargna de Jurepatronat. part.* 2. *Can.* 27. *Cas.* 6. *num.* 4. Hinc ostendere debet se ita paupertate laborare, ut alio modo suæ indigentiæ consuli nequeat, nisi per diuturnam Beneficii suspensionem. Quæ quidem indigentia probatur ex geminis adductis testibus, qui deponant Hieronimum fortunis lapsum esse = *avendo alienati diversi Terreni, e fatti diversi*

 de-

debiti passivi di modo; che nello Stato presente si può considerare per famiglia discaduta, e povera.

Contra hæc Petrus Antonelli negat, quod Hieronimus tanta prematur inopia, ut egeat fructibus Beneficii. Nam adhibet testimonium Parochi S. Blasii Castri *Murciæ*, qui affirmat Hieronimum, ejusque uxorem *non sono stati mai, ne lo sono nella dura necessità di accattare il pane per vivere, essendosi sempre mantenuti colla propria industria senza alienar stabili, quantunque in qualche urgenza hanno fatto debito, ed alienato qualche mobile* =. Preterea ex relatione Peritorum evincit, quod census Hieronimi in prædiis Urbanis, & rusticis æstimari possit *ad scuta* 1930. Hinc concludit, quod si nulla Hieronimus, qui solus cum Uxore est absque liberis, ægestate laboret, vel certe non tanta, ut alimenta ex reditibus beneficii consequatur, nullo modo concedenda sit suspensio nominationis, ne sibi detrimentum inferatur. Nam ipse Antonellus tamquam a Venantia descendens, & in linea vocata existens gaudet jure passivæ vocationis, & jam institit coram Ordinario, ut institutionem obtineret. Nec ei obstare posse censeo, quod Sacerdos actu non sit. Nam fundator hanc conditionem non requisivit in suis descendentibus, quibus concessit, ut *per alios* missas celebrare possent, ex quo reijcitur qualitas *Sacerdotalis actu* in rectoribus nominandis. Immo vero, dum extinctis lineis descendentibus injunxit hanc qualitatem in Sacerdotibus ex Oppido Murciæ eligendis, exurgit hinc discretiva, quod ubi inter descendentes non expresserit non voluerit, cum ubi voluit, expressit. Quare si Clericus Antonelli nunc habet jus ad beneficium consequendum, profecto si concederetur suspensio ad vitam Hieronimi, qui adhuc ætate floret, & uxoris quæ nullo patronatu, nec jure ad alimenta consequenda fruitur, ipse diu carere beneficio deberet.

Postulat præterea Hieronimus reductionem Missarum, ita ut Missa una hebdomadalis, quam Fundator præscripsit, ad unum Sacrum in singulos Menses cohibeatur. Contendit enim, quod ex fundationis lege permissum sit = *in caso, che detta terra non rendesse il frutto a proporzione del peso imposto sia lecito al Retto-*

tore tralasciare per rata le dette Messe infra hebdomadam così, e talmente, che sempre debba avere Giuli tre per Messe = Fundum vero Beneficii abiisse in deterius affirmant Testes, qui deponunt = *Sappiamo, che li Terreni di detto Beneficio sono stati molto deteriorati dal Rettore Pandolfi specialmente ora, che sono affittati ad un tal Paolo Topini* = ; Quin tamen Testes hujusmodi pandant quantum ex hisce fundis nunc redeat. Animadvertendum hinc est fundatorem permisisse quidem reductionem missarum, si fundi minus responderent, quam scuta annua *Septemdecim*, quantum scilicet ipse Fundator affirmavit ex eis quotannis redire = *di annua rendita di scudi* 17. = quæ superabant onera missarum calculata eleemosina in *obulis triginta*. At constat, quod recenter fundus beneficii locatus est Paulo Topini pro annuis scutis *viginti* = Non itaque probatur imminutio redituum, & proinde reductio prorsus deneganda videtur.

Dubium proponitur.

An sit locus suspensioni nominationis, & reductioni Missarum in casu &c.

Negative in omnibus.

SIRACUSANA REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. NOTUM Urbs non ignobilis Siciliæ duas habet Collegiatas Ecclesias alteram *SS̃mo Crucifixo*, alteram in *Divo Nicolao* nuncupatas. Illa conflatur ex Archidiacono, Canonico Cantore, & Thesaurario, & novem Canonicis, qui servitium chori in diebus fæstis singuli præstant, in diebus vero ferialibus sex tantum per alternativas hebdomadas. Habent vero detractis oneribus annuos reditus in unciis Siculis 83. 27. quæ ita inter Capitulares distribuuntur, ut Archidiaconus *uncias* 14 6., Cantor *uncias* 9. 19. Thesaurarius *uncias* 7. 3. reliqui Canonici singuli *uncias* 5. 26. quotannis consequantur. Altera vero Collegiata S. Nico-

Ses.22. Cap.2. de Sacrific. Missæ.

colai constat ex Præposito, Cantore, Thesaurario, & decem Canonici. Omnes quotidie choro intersunt, & annuus reditus ab oneribus immunis *in unciis Siculis* 144. partitur inter eosdem hac ratione, ut *unciæ* 16. 14. tribuantur Præposito, *unciæ* 13. 8. Cantori, tantumdemque Thesaurario, *unciæ* vero 10. 2. unicuique ex decem Canonicis.

Hactenus diligentissime utrumque Capitulum Missam conventualem pro Benefactoribus quotidie celebravit, applicavitque. Sed nunc attenta redituum tenuitate ad S. Congregationem recurrunt per separatas preces ad impetrandam reductionem Missæ conventualis ad dies festos tantum. Episcopus Siracusanus subscribit iis, quæ utriusque Collegiatæ Canonici exposuerunt, *& cum media non suppetant ad augendas præbendas, & nimis tenues sint reditus Collegiatæ dignos authumo Oratores, qui petita venia donentur applicandi Missam pro Benefactoribus solis diebus Dominicis, & Fæstis*, ut iisdem fere verbis utramque *Informationem* concludit. Utraque instantia iisdem nititur causis, ut proinde censui sub unico, eodemque dubio EE. VV. proponere.

Ex Constit. *BENEDICTI XIV. Cum semper oblatas* confirmatur Sanctio antiquiorum Ecclesiæ Canonum, quibus injungitur Collegiatis Missam Conventualem pro Benefactoribus singulis diebus applicare. Quare si utraque Collegiata semper hoc onus præstitit, quin umquam reclamaverit, videri sane posset, quod nunc petita reductio reiicienda esset. Nam animadvertendum est quod inter onera, quæ ex reditibus deducuntur, elemosina Missæ conventualis calculatur, quam exigunt omnes Capitulares. Quare eorum præbendæ augendæ sunt hac elemosina, ita ut Canonici Sanctissimi Crucifixi scuta 19. 20., Canonici vero S. Nicolai scuta 24. 33. monetæ romanæ quotannis percipiant.

Verum in eadem Constitutione cavetur, ut si provideri nequeat inopiæ Præbendarum ex prescripto *Tridentini Sess. 24. Cap. 15. de Reform. = reliquum erit ad S. Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit, perspecto rerum statu, Apostolica authoritate eidem impertita quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantum-*

tummodo dies reducere. Cum vero Episcopus affirmet nulla suppetere media ad præbendas augendas, & in casu tenuissime sint in quo Canonici SSmi Crucifixi vix habeant annua scuta 19. 20 monete romanæ, & Canonici S.Nicolai scuta 24.35.,videtur sane quod concedenda sit reductio prout concurrente tenuitate Præbendarum semper hæc S. Congregatio reductionem decrevit *in Veliterna ad III. Dubium* 14. *Martii* 1772. *in Spalacten. Missæ Conventualis ad I., & II. Dub.* 23. *Julii* 1729. *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1745. *in Placentina Missæ Conventualis* 1. *Martii* 1777.

Dubium proponitur.

An sit locus reductioni Missæ Conventualis ad dies festos de precepto in casu &c.

Affirmative quoad applicationem tantum.

AMERINA VISITATIONIS SS. LIMINUM. In relatione Status Ecclesiæ Amerinæ a moderno Episcopo transmissa *pridie nonis Decembris nuper elapsi anni* 1802. hoc EE. VV. POSTULATUM proponitur. *Sess.7. Cap.6. de Reform.*

Chorales Cathedralis Cappellanias septem esse dixi. Harum autem tres esse vacantes tribus ab hine annis, scilicet vacant illæ duæ, quas bon. mem. EpiscopusConsoli Prædecessor meus erexit. Cum enim redditus ipsarum sint fructus LL. Montium ex duabus quintis partibus, quæ modo solvuntur, habet unaquæque introitum scutorum decem, Tertia autem scutorum decem octo, ideoque ob hujusmodi tenuitatem, nullus ad eam obtinendam concurrit, ergo longo ab hinc tempore quatuor dumtaxat sunt Beneficiati chorales, quod ipsis gravamen affert servitii chori detrimentum, & decus minuit Ecclesiæ, sacrarumque functionum. Quamobrem etiam,atque etiam rogo EE. VV., ut facultatem dignentur mihi concedere tres prædictas Cappellanias

in

in unum simul uniendi quousque LL.Montium restituantur in pristinum, aut omnium trium introitus ad sc. 60. veniat. Tunc enim ex tribus duas efformabo, alias uti nunc semper vacantes erunt.

Praestat nunc exploratum facere EE. VV. a quibus Cappellaniae hujusmodi fundatae sint, quae onera praeseferant, quosque habeant fundos, & reditus. Quae omnia patent ex documentis ab Episcopo transmissis in sua posteriori *Informatione*. Duas itaque Cappellanias in postremis tabulis scriptis anno 1769. instituit Praesul Jacobus Philippus Consoli Episcopus Amerinus. Hic =*considerando, e volendo noi stabilire a pro dell' anima nostra un perpetuo suffragio, e considerando, che nel dar luogo alla nostra mente pensiamo nel tempo stesso con decorare la nostra Cattedrale con l'aumento dei ministri addetti in essa al Servizio di Dio* = jussit, ut duo erigerentur Cappellaniae *con l'obligo alli Cappellani di servire in Coro in Chiesa nel modo, che sono in obligo di servire li quattro Cappellani corali niente escluso se non l'obligo della Messa conventuale, alla quale saranno tenuti li soli quattro antichi Cappellani* =Pro fundo tandem hisce cappellaniis assignavit Loca viginti Montium ex quibus olim redibant annua *scuta sexaginta* partienda inter duos Cappellanos, qui praeterea gravantur onere Missarum 150. pro unoquoque in annos singulos. Tertia vero Cappellania erecta est ex simplici, nullisque oneribus obnoxio Beneficio, quod erectum erat sub nomine Canonicatus in Ecclesia S. Secundi quod extat in suburbio Ameriae. Etenim *anno* 1786. unitum fuit Cappellanis choralibus cum onere residendi apud Ecclesiam majorem, & inserviendi in choro, & alii Ecclesiasticis functionibus, ut ceteri Cappellani chorales. Huic cappellaniae nunc redeunt *sc. duo de viginti*. Episcopus affirmat, = *nullus neque Patronus, neque alius adest, qui teneatur ad supplementum, & Capitulum Cathedralis unioni consentit* =.

Unio sane repugnat voluntati eorum qui beneficia erexerunt, quae servari debet, quoad fieri potest, incolumis *Can. Ultima voluntas Quaest.* 13. Verum Tridentinum *in sess. 7. C. 6. de Refor.* permittit uniones ex justa & rationabili causa, & auditis quorum interest.

Com-

Compertum autem est causas hujusmodi referendas esse ad necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ *ex Text. in Cap. Exposuisti de Præben. Barbos. ad Concil. Trident. Sess. 7. de Reform Cap. 6. num. 11. Rebuff. Tit. de Union. num. 38., & in Legionen. Unionis 24. Aprilis* 1723. Cum vero ex imminutione redituum abhinc triennium vacent Cappellaniæ, quarum diminutis reditibus nemo velit acceptare emolumentum impar oneribus, videtur sane necessarium, ut unio perficiatur, & unus saltem sit qui onera, & servitium Chori præstet. Hinc etiam Ecclesiæ utilitas emergere videtur. Nam Cappellaniæ hujusmodi, idcirco fundatæ fuere, ut aucto numero Cappellanorum Choralium, adaugeretur Ecclesiæ Servitium. Quare potius utile erit unum Cappellanum ex reditibus trium Cappellaniarum constituere, quam permittere, ut omnes tres prorsus vacent non sine detrimento servitii Choralis, & gravamine cæterorum Cappellanorum.

Maxime cum ex hac unione fieri quodammodo satis possit voluntati Fundatorum. Nam Præsul Consoli geminis Cappellanis a se institutis præter servitium Chori injunxit, ut Missæ tercentum celebrarent. Tertia vero Cappellania tantum gravatur servitio Chorali. Quare unus Cappellanus poterit, & Missas celebrare, & servitium Chori præstare. Ex redititibus enim trium Cappellaniarum habet *scuta* 42.: scilicet *scuta* 24. ex duobus quintis, quæ nunc solvuntur pro viginti Locis Montium, & *scuta* 18. ex tertia Cappellania. Quæ scuta *quadraginta duo* satis esse possunt tum pro eleemosyna saltem biscentum Missarum quæ ad manualem nunc exigunt scuta triginta, tum etiam pro servitio Chori obeundo, in quam causam supersunt scuta duodecim.

Hæc pertinere possunt ad modum faciendæ unionis, quatenus EE.VV. hæc arrideat. Hæc tamen unio tamdiu perdurare petitur, quamdiu augeantur fructus Locorum Montium: Nam ut Episcopus proponit cum ex fructibus Cappellaniarum percipi poterunt scuta sexaginta, tum duo Cappellani erunt instituendi.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

PLACENTINA CESSIONIS. In regione *di Calvignano* Placentinę Diœcesis extat Parochialis Ecclesia, cujus Patrona est Familia Bottigella. Cum Parochiales Ædes, quae Ecclesiæ contiguæ, continentesque sunt, penitus fatiscerent, nec eas modernus Parochus Pisani habitare posset, hic Patronos compellavit, ut ruinosas Ædes reficerent. Isti vero se converterunt in Parochos antecessores, quarum culpa ruinam ædium evenisse contendebant. Lis acta est, & pendet adhuc indecisa. Interea, ne Parochus à Paræcia abesset, Familia Bottigella cum ob angustias rei familiaris impar esset reficiendis ædibus prudente Episcopo conventionem scripsit *die* 13. *Julii* 1802. cum Comite Fantoni, qui reparationem facere spondit reportata tamen cessione juris nominandi Parochos, quamdiu ipse viveret. Subjicio EE.PP. hujus conventionis capita,

I. *Che sia obligato detto Fantoni far seguire del proprio la restaurazione della casa parrochiale nella forma espressa nella perizia, e che per il prossimo venturo mese di Settembre corrente anno debba esser abitabile la cucina, sala, e due stanze superiori, e la restante opera sia ultimata nl mese di Giugno venturo* 1802.. II. *Li Fratelli Bottigella cedono tutte, e singole loro ragioni al detto Giacomo Fantoni di compellere li Parochi antecessori alla spesa della sudetta restaurazione di modo, che tutto ciò, che potrà conseguir per tal causa il detto Fantoni debba cedere a di lui particolare vantaggio*. III. *A contemplazione di detta restaurazione li sopra nominati Bottigella cedono al Fantoni il jusnominandi li Parochi della Parrochia di Calvignano di loro spettanza, tal nomina vita però naturale durante del medesimo Fantoni coll' obligo, che seguita detta restaurazione debbasi ridurre a publico instromento la cessione del jus nominandi li Parochi*. IV. *Che volendo detti Fratelli Bottigella sborsare la somma di Lire ottocento al Fantoni entro un anno, che finirà per tutto il mese di Luglio* 1802. *nel qual caso ricupereranno detti Fratelli Bottigella il jus della nomina del Parocho di Calvignano anche vita naturale durante di detto Fantoni*. V. *Non avrà effetto la presente convenzione se non dopo l'approvazione di Monsignor Vescovo di Piacenza da riportarsi a spese, e diligenza de Fratelli Bottigella*.

VI.

VI. *Se la spesa che si farà dal Fantoni a norma del disegno non oltrepassarà le Lire* 1100. *sarà tenuto detto Fantoni far costruire come in disegno il portico dietro la Cantina sino alla cinta del Cimiterio , e ciò tutto per il mese di Luglio anno* 1802. , *e quando poi avesse fatto una spesa maggiore delle dette Lire* 1100. *non sarà tenuto all' eseguimento di detta opera.* VII. *Non si potrà fare alcuna transazione da oggi in avanti per la manutenzione della Casa Parrochiale, ma rimarranno intatte le respettive ragioni.* VIII. *Non sarà tenuto il Fantoni alla condotta de' Materiali, cioè sabbia, acqua, e generi di ogni sorte necessari alla predetta restaurazione , e questi verrano eseguiti dalli Massari , e fittabili di questa commune mediante esortazione , che le verrà fatta dal Paroco Pisani .*

Ubi Fratres Bottigella insteterunt pro approbatione hujus cessionis coram Ordinario , hic censuit se destitutum prorsus esse facultatibus . Hinc prædicti Fratres a Sac. Congregatione veniam petunt , ut has conventiones per publicum Instrumentum stipulare , & cessionem juris nominandi legitime facere possint . Episcopus Placentinus in sua *Informatione* suppeditat ea, quæ narrata sunt , & deinde prosequitur = *Initis conventionibus prædictis mihi recursum habuerunt Partes petentes conventionis approbationem Vicario meo in illis Diœcesis partibus Generali per nuncium mihi referente . Litteras ex abrupto responsivas dedi Vicario prædicto , quibus laudata recurrentium voluntate , quæ tantam respiciebat utilitatem Ecclesiæ ad approbandum me paratum obtuli conventiones prædictas nullo exarato Decreto . Re postea mature perpensa de Ordinarii incompetentia super instantia prædicta aliquid decernendi partes certiores feci , cum tamen Fantonus operi reparationis jam manum dederit , & ædes Parochiales ad capacem satis , & commodam habitationem redegerat , non sine notabili sumptu a Perito adjudicato in Libris Mediolanensibus* 1487. *conflantibus scuta* 240. *circiter monetæ Romanæ , comprehenso valore operum, quæ adhuc explenda remanent . Hisce se stantibus , & nemine reluctante , cum de insigni erga dictam Ecclesiam Beneficio actum sit , quæ jam residentia Parochiali fruitur dictæ conventiones , & cessio approbari posse censeo .*

Hæc præcipua est conventionum summa, ut Fantonus expensas ad reficiendas Ædes parrochiales faciat, & in correspectivitatem acquirat jus nominandi Parochum, dum ipse sospes sit, praetereaque ut actiones contra Parochos antecessores aquirat, quibus ad expensas compellere possit eos, quorum culpa ædes deteriorasse dicitur. Hæc sane postrema actionum cessio nil redolet illiciti, in quo reprendi posset. Redit itaque quæstio ad cessionem juris præsentandi ad beneficium Parrochiale, quæ videtur facta titulo oneroso, & correspectivo restaurationis ædium Parochialium, quam spondidit Fantonus sibi vicissim stipulata cessione *juris nominandi*, ut *ex Cap. III.* Conventionum = *a contemplazi que di detta restaurazione li Fratelli Bottigella cedono il jus nominandi li Parochi però vita durante del medesimo Fantoni* = Id, quod apertius quoque est *ex Cap. IV.*, in quo Fratres Bottigella sibi expresse caverunt = *che volendo sborsare la somma di lire 800. entro il termine di un anno ricupereranno il jus della nomina, anche vita naturale durante di detto Fantoni* = Nam videtur pretio extimatum fuisse hoc nominandi jus, & idcirco cessum, ut Fantonus in restaurationem ædium impenderet, & tum redimendum, cum *libræ octingentum* restituerentur.

Quod si ex jure est, ut cessiones correspectivæ, & onerosæ venditioni æquiparentur *ex doctrina Angeli in leg. Modestinus num. 2. ff. solnto Matrimon.*, quam sequitur *Rota* passim, & præcipue *in Romana Melioramentorum 21. Aprilis* 1788. §. 10. *coram Canilliac*; profecto reprobanda esset cessio hujusmodi juris nominandi ad Beneficium Ecclesiasticum. Nam = *cum inconveniens sit vendi juspatronatus, quod est spiritualitati adnexum*, ut increpatur *in cap. De jure 16. de jurepatron.*, hinc Sac. Concilium Tridentinum *ses. 25. cap. 9. de Reform.* expresse defendit Patronis ne = *dictum juspatronatus venditionis, aut alio quocumque titulo contra canonicas sanctiones transferre præsumant* = Contra autem canonicas sanctiones est rem spiritualem pro temporali utilitate transferre, & proinde procul a simoniaca pravitate juspatronatus vendi, aut quocumque oneroso titulo in alium transferri nequit *ex Cap. Cum Sæculum 13. de jurepatron.* Hinc sæpe Sac. Congregatio cessiones hujusmodi juspatrona-

na-

natus reprobavit *in Viterbien. Alienationis* 13. *Januarii* 1661., *& in Neapolitana Beneplaciti* 4. *Martii & 6. Maii* 1760., *& in Tadertina* 3. *Julii* 1762.

Verumtamen tum demum reprobavit, si utilitas ex cessione quaesita in cedentem perveniat, & mala fides in cessione explenda eruperit. Nam Tridentinum irritat contractus *contra canonicas sanctiones* initas, scilicet quando quis pretium exigat, aut solvat pro cedenda, vel acquirenda re spirituali. Fratres vero Bottigella dum jus nominandi cesserunt, nil sibi stipularunt, vel perceperunt, cum expensae à Fantonio faciendae convertebantur in utilitatem Ecclesiae. Nam aedes fatiscebant itaut Parochus veniam abessendi a Paraecia impetraverit. Utrum Patroni ad eas reficiendas tenerentur, vel potius antecessores Parochi, quos causam ruinae dedisse dicitur, sub judice erat, & lis adhuc pendet indecisa. Verumtamen etiamsi Patronis hoc onus incumberet, nulla spes erat de instauratione perficienda attenta eorum inopia. Quare videtur Patronos gessisse rem Ecclesiae utilem, si cesso *jure nominandi* invenerunt, qui restaurationis faceret expenras quas intererat Ecclesiae, quam primum fieri, ut praesentia Parochi uteretur. Fantonus vero dum sumptus pro reparatione suscepit sub incerta spe reintegrationis, fecit sane insigne Beneficium Ecclesiae. Quod si insignibus benefactoribus Sac. Canones remota omni simoniae suspicione concedunt perpetuū juspatronatum, ut ex Lambertin. *part.*1. *quaest.*1. *artic.*12. *num.*6., *Piton. de Controvers. Patron. allegat.*7. *num.*21., non videtur reprobanda cessio *juris nominandi* à Patronis ultro facta illi, qui multum pecuniae in utilitatem Ecclesiae impendere promisit, ut tradunt *Suarez de Religion. lib.*4. *cap.*1. *num.*13. *tom.*1., *Lotter. de Re Beneficiar. lib.*3. *quaest.*29. *num.*97., *Schimer. juris prudent. Civ. & Can. par.*2. *de Delict. cap.*1. *num.*134.

Accedit, quod ab iis conventionibus non abest bona fides. Nam inita fuerant sub ea conditione expressa *in Cap. V = non avrà effetto la presente convenzione, se non dopo l'approvazione di Monsiignor Vescovo* = Si haec reservatio consensus Superioris Ecclesiastici abstergit quamcumque labem, qua infectae esse possunt conventiones, authore *Fagnan in Cap. Cum quidem de Pact num.* 4. multo sane magis dum Eqiscopus affirmat

se

se de iis certiorem factum fuisse & *ad eas approbandas se paratum obtulisse*. Quare Fantonus bona fide sumptus fecit, quos ægre repeteret a Familia Bottigella *cum in Summa sit rei familiaris angustia* ex ipso testimonio Episcopi. Dum itaque conventiones nec illicitas pactiones præseferre videantur, & bona fide initæ sint, & vergant in utilitatem Ecclesiæ, EE. PP. deliberandum restat.

An conventiones sint probandæ in casu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Martii 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

AMERINA VISITATIONIS SS. LIMINUM. *Sess. 7. Cap. 6. de Reform.*
An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi celebratis quotannis Missis biscentum.

PLACENTINA CESSIONIS. *Sess. 25. Cap. de Reform.*
An conventiones sint probandæ in casu &c.

Affirmative facto verbo cum Sanctissimo.

INTERAMNEN. DECRETORUM. Undecim ex universo Clero Interamnensi simplices Præsbiteri reclamarunt ad S. Congregationem adversus duo capita Edicti ab Episcopo lati *die* 14. *Januarii* 1802. scilicet, quæ adigunt omnes Presbiteros indicta multa scutorum trium, ut Episcopo Pontificanti adsint, & *collationi casuum coscientiæ* interveniant. Ex Rescripto *diei* 17. *Julii* 1802. facta eisdem potestas est sua jura in S. Congregatione deducendi = *non retardata interim exequutione edicti* = Hinc *die* 20. *Novembris* 1802. silente Episcopo, & auditis Præsbiteris rogati EE. PP. = *An, quomodo, & quæ Decreta Episcopi sint exequenda* = responderunt = *Affirmative in omnibus ad formam* *Ses. 24. Cap. 12. de Reform.*

tæ

tamen Concilii Romani tit. 15. *Cap.* 9. *quoad Collationes Casuum coscientiæ*. Nihilominus Præsbiteri numquam, prout erat injunctum, exequutionem edicti præstarunt. Nedum enim Pontificalibus, post æditam *Resolutionem* non adfuerunt, sed ex illis unus, & alter brevi veste indutus, interque Populum serpens ad Ecclesiam se contulit, dum Pontificalia perficiebantur, quasi Episcopale Edictum, & jussa S. Congregationis floccifacere videretur. Gæsta hæc quidem sunt a Præsbiteris, cum jam ipsis ab ædita Resolutione indultum erat *novæ Audientiæ* Beneficium. Sed reclamante Episcopo, quoniam ex Rescripto *diei* 17. *Julii* 1802. demandata erat exequutio edicti, interim dum simplices Præsbiteri sua jura deducebant; hinc eidem Episcopo injunctum fuit, ut ad comprimendum eorum spretum multas exigeret, & pervicaciores ad domum religiosam compelleret, ut spiritualibus vacarent exercitiis. Ab hac exequutione quæstio *attentatorum* a Præsbiteris excitata est, de qua feci eis potestatem, ut apud EE. PP. jure suo uterentur per *Memoriale* distribuendum.

Reproponitur hodie causa, & Promothor Fiscalis sua jura deducens contendit, quod edictum vim Legis habere debeat, licet non fuerit publice affixum. Nam licet necessaria sit publicatio, ut ex lege subditi teneantur; attamen modus quo hæc publicatio fieri debeat a jure non est præscriptus; Unde satis est, quod Clero speciatim intimato ad interressendum certa die collationi casuum coscentiæ fuerit lectum, & nunciatum, prout ad validitatem Legum Ecclesiasticarum satis est, quod in Ecclesia publice legantur, ut tradit *Benedict. XIV. de Synodo Diœces. Lib.* 13. *Cap.* 4. *num,* 1. Præterea contendit potuisse Episcopum compellere Præsbiteros simplices, nec beneficiis in Cathedrali fruentes, ut Pontificalibus interessent. Id enim jubetur in Interamnensi Synodo Andreassi, quæ in illa Diœcesi observatur. Quare si abusus aliquis irrepsit, maxime vacante sede Episcopali, poterat modernus Episcopus aliquod illius Synodi caput ad observantiam revocare.

Nec sibi obesse putat, vel sanctio Concilii Tridentini, vel S. Congregationis responsa in præterita causæ propositione allegata, vel demum inobservantia ipsius Synodi quoad hanc interessentiam. Tridentinum nam-

namque *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.* jubet quidem Canonicis, & Beneficiatis = *Episcopo celebranti, & alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire* = Cum tamen taxativis non utatur dictionibus, non sequitur, ut compelli nequeant Præsbiteri simplices, quando vel ex Constitutionibus Synodalibus, vel ex consuetudine ad interventum obligantur. Responsum vero in allegata *Segnen.* non tangit præsentem casum, cum ageretur de interventu Missæ, quæ singulis hebdomadis per Canonicum In Feria V. celebrabatur. Oppositam vero inobservantiam negat probatam esse *in Facto*, sive *in jure* quidquam prodesse. Nam ex testimonio Capituli Cathedralis probatur tantum, quod non viget nunc Interamnæ consuetudo, ut Præsbiteri simplices Pontificalibus Episcopi intersint, sed numquam affirmatum est, quod Synodus Andreassi inobservata sit. Cum vero ex ipsa Synodo exploratum sit, quod antea obtinebat consuetudo, ex qua Præsbiteri simplices Pontificalibus interessebant, hinc posterior inobservantia allegari nequit contra Constitutiones Synodales, ut tradit Rota *Decis.* 136. *num.* 21. *cor. Ansaldo Decis.* 259. *num.* 12. *cor. Molines*. Nam ex voluntate Legislatoris, vim accipit Lex, non ab acceptatione Populi, ut docet *Benedict. XIV. de Synod. Diœcesan. lib.* 13. *cap.* 4. *num.* 3.

Maxime, cum nunc major Cleri pars Canonici, Beneficiati, Parochi, & etiam multi ex simplicibus Sacerdotibus reprobent undecim illos Præsbiteros, qui ab edicto reclamarunt, & necessarius profecto sit eorum interventus, ut Pontificalia juxta *Rubricam* celebrentur. Nam Canonici, & Beneficiati in *Stallo* manere debent itaut opus sit aliis, qui ad Altare ministrent. Quoad vero interventum *collationi casuum coscientiæ* allegat *Cap.* 9. *tit.* 15. *Concilii Romani*, in quo disponitur = *Opere pretium ducant Episcopi, omnemque curam, ac diligentiam adhibere non desistant quousque Congregationes tum in Civitatibus, tum in Diœcesibus per omnes de Clero Sacris initiatos Canonicos, Parochos, & Confessarios semel in unaquaque hebdomada. certoque designando die, & sub certa pena pecuniaria contra contumaces habeatur* = Unde concludit quod Præsbiteri simplices collationi casuum coscientiæ intervenire debeant.

Defensor vero Præsbiterorum in nova *Allegatione* distri-

stribuenda hoc primum *in jure* statuit, quod Episcopus a Clericis suæ Diæcesis nequeat servitia petere, quæ in jure expressa non sunt *Canon. quia Cognovimus* 6. *Caus.* 10. *quæst.* 3. *Cap. conquerente* 16. *de Offic. Ordinar. num.* 8., *ibique Abbas num.* 1. & *Fagnanus num.*8. *Van-Espen. in Jul. Ecclesiastic. part.*2. *tit.*2. *cap.*1. §. 1. Hanc regulam ipse Defensor extendit ad Decreta Synodalia, ut in iis quæ preter jus sunt, & tangunt interesse Cleri nihil statuere possit nisi universo Clero, non tantum Capitulo consentiente *Monacell. formul. legal. in adnot. ad form.*3. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 25. *Bolletti disquisit. Clerical. part.* 1. *Tit. de exempt. Cleric.* §.2. *num.*5. *Pignattel. consult.* 72. *num.*2. *tom.* 1. Nullo vero juris loco cautum esse defendit, quod Præsbiteri simplices teneantur interesse Pontificalibus Episcopi. Nam Tridentinnm *in sess.* 23. *Cap.*16. *de Reform.* prescribit, ut Clericus *suis fungatur muneribus* in illa Ecclesia, in qua adscriptus est, & in *allegat sess.*24. *cap.*12. *de Reform.* nominat Canonicos, & Beneficiatos, ut Episcopo Pontificalia exercenti adsint, ut ex hoc ademptam fuisse Episcopo facultatem cogendi alios Ecclesiasticos tenent *Nicol. Lucubrat. Canonic. lib.* 1. *tit.*22. *num.* 4. *Monacell. adnot. ad form.* 4. *num.*32. *tom.* 1., & definivit Sac. Congregatio *in Isernien.* 18. *Julii* 1643. *Lib. Decret.*17. *pag.* 212. *in Sarnen. Servitii Ecclesiæ* 17. *Junii* 1790. *Lib. Decret.*40. *pag.*396.

Negat porro, quod Interamnensis Episcopus potuerit compellere Præsbiteros simplices ad interessendum in Pontificalibus ex eo quod in Synodo Andreassi jubeantur interesse. Nam cum ex jure non teneantur hoc servitium præstare, contendit, quod ex lege Synodali obligari non poterant, nisi accedente observantia ipsarum Constitutionum. Contraria enim consuetudo sciente, & prudente legislatore observata abrogat legem scriptam ut post *Text. in* §. *penultim. Instit. de jur. natur. gent.*, & *civil.* tradit *Voet. in Pandect. Lib.* 1. *tit.*3. *num.* 37. *Pignatell. Consult. Canonic.*165, *num.*7. *tom.*9. *Rota in Cornen. Funerum* 17. *Aprilis* 1752. §. 7. *coram Matthejo*. Preter ea quæ in preterita propositione attulit ad probandam contrariam consuetudinem nunc utitur facto Cardinalis Rapaccioli immediatus Episcopi Andreassi Successor qui tam longe abfuit quod adigeret Presbiteros sim-

pli-

plices ad interessendum Pontificalibus, quin immo Sodalitium S. Luciæ rogavit, ut concederet quod quatuor Cappellani ipsius servitio addicti Pontificalibus interessent. Ex hoc igitur facto, ex testimonio Capituli, & Magistri Cæremoniarum concludit, quod Synodus Andreassi penitus inobservata fuit.

Ad alterum edicti caput, quod collationes casuum conscientiæ respicit, contendit, quod ex *Concilio Romano* Præsbiteri simplices intervenire non teneantur. Nam licet loquatur in genere de Clericis in Sacris constitutis, attamen postea meminit de Canonicis, Parochis, Confessariis, ita per adjunctas species genus superius expressum cohibitum censetur *in Beneventana Lesionis super restitutione Capitalis* 6. *Maii* 1768. §.4. *coram Azpuru*. Ita dispositionem Concilii interpretavit Sac. Congregatio in Responsu 15. *Septembris anni* 1751. transmisso ad *Visitationem SS. Liminum* Episcopi Interamnensis, quem consuluit ut cogeret Parochos, & Confessarios. Tandem postulat moderationem multæ pecuniariæ inflictæ quoad cetera capita edicti. Nam immoderata dici debet in scutis tribus, quam alias Sac. Congregatio ad duos *carolenos* cohibuit *in Larinen. Decretorum Synodalium* 30. *Augusti* 1732. *ad II. Dub.*

Ex his EE. VV. deliberandum proponitur.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis & amplius.

LAURETANA CAPPELLANIÆ. Tres præcipuas leges indixit, cum in Cathedrali Ecclesia Lauretana Cappellaniam *anno* 1700. fundavit Comes Joannes Baptista ab Arcu Canonicus olim, & Custos Metropolitanæ Salisburgensis, & Archidiaconus Cathedralis Tridentinæ. *PRIMO* voluit ut Cappellania esset = *Simplex opus pium laicale, & temporale ita quod nullo umquam tempore aliquam qualitatem Beneficii Ecclesiastici assequi valeat* = prohibuitque, ne = *dictum opus mere laicale numquam censeatur affectum Dataria* *Ses.* 25. *cap.* 5 *de Reform.*

Apostolicæ, sive pro tempore Ordinario, tantoque minus protectoribus hujus Almæ domus = SECUNDO injunxit = *Rectori seu pro tempore Cappellano dicti pii operis laicalis celebrari faciendi per alios quinque missas qualibet hebdomada* = *TERTIO* tandem reservato jure parronatu activo Senioribus familiæ suæ ab Arcu, & nominatis pro duobus primis successivis Cappellanis Præsbiteris Thoma, & Josepho de Magistris jussit, ut = *debeat institui nominari, & præsentari in Rectorem, & Cappellanum dicti operis pii aliquis ex filiis Philippi de Magistris, & in deficientiam filiorum Philippi nondum uxorati præsentari debeat aliquis filius Barbaræ de Magistris uxoris Paschalis Cesarini, & istis deficientibus presentari, & nominari debeat unus ex liberis Clementiæ de Magistris nunc nubilis, & quatenus tempore vacationis, seu vacationum sint plures filii, & descendentes de Magistris dignior, & magis habilis præferatur.*

Ita in familia de Magistris, ejusque descendentibus constitutam juspatronatum quodamodo ampliavit Fundator *anno* 1710., quo tempore assignato in Cappellaniæ dotem fundo = *Campi longhi* = in agro Recinetensi posito, addidit alia capitalia ad scuta *noningenta*, & onus quinque Missarum Hebdomadalium ad quotidianam celebrationem extendit. Nam Barbara de Magistris in gentem Cesariniam concedens filias tantum susceperat fæminas Elisabeth, & Pasqualinam. Clementiæ vero de Magistris cum Josepho Morganti thalamum diu infecundum levem spem sobolis dabat. Hæc pre oculis habens fundator in instrumento augumenti dotis stipulato expresse profitetur quod cum = *sit propensus non solum masculis descendentibus ex familia de Magistris, verum etiam fœminis adjuvamen præbere, propriam mentem, & voluntatem explicans declaravit, & declarat, quod post mortem dicti Rev. Thomæ de Magistris, nunc dicti pii operis rectoris, succedere debeant in Rectoratu ejusdem operis pii descendentes masculi Philippi de Magistris, & cum de facto dicta Clementia Soror eorumdem fratrum* (de Magistris) *uxor Josephi Morganti infecunda existens, si ita perseveret, succedere voluit filios Elisabeth, & Pasqualinæ nubilium filiarum Barbaræ de Magistris, & Paschalis Cesarini; hac tamen conditione adiecta, ut deficientibus propriis, & legitimis filiis capacibus earumdem*

dem Elisabeth, & Pasqualinæ pro rectoratu, dicti operis Pii teneantur substituere aliquem ex filiis ex primo matrimonio Josephi Morganti, ut singulas Missas celebret cum stipendio consuetæ elemosinæ. Reliquum vero quod supererit ex fructibus bonorum pro dicto opere pio assignatorum cedere voluit in eorum emolumentum, & utilitatem dummodo tamen per alium dicta Sacrificia indeficienter celebrentur.

Ex quo fundationis loco tota ducitur præsens controversia. Nulli enim fuerunt Philippo de Magistris filii, qui primo erant ad juspatronatum passivum vocati. Quare evenit substitutio favore Elisabeth, & Pasqualinæ Cesarini, quæ filiæ erant Barbarę de Magistris. Illa nupta erat Antonio Mariani, ex eaque filius Præsbiter Arcangelus Mariani Cappellaniam vivens possedit. Quo defuncto, cum nulli superessent filii ab Elisabeth delata successio est ad filios Pasqualinæ, quæ in manus Caroli Francisci Senioris Galeotti convenerat. Superstes erat ex hoc conjugo filius Petrus Antonius Galeotti, sed prorsus incapax possidendi Cappellaniam, quippe qui uxorem habebat. Alter ex Pasqualina filius Dominicus Antonius jam occubuerat, dum Cappellania vacavit, relinquens post se filium Carolum Franciscum, qui, celebs cum esset, putavit posse se Cappellaniam tenere. Reque vera in Curia Episcopali Auximana *die* 28. *Februarii* 1794. mandatum *de immittendo* impetravit ad Predium = *Vaccaro* = in Auximano positum, quod inter bona Cappellaniæ recensebatur, & locatum retinebat Joseph Bertucci Paullo post censuit ejus Patruus Petrus Antonius Galeotti posse se quoque esse participem fructuum Cappellaniæ cum in Fundatione prescribatur, quod si nullus ex Filiis Elisabeth, & Pasqualinæ idoneus esset ad retinendam Cappellaniam, tum impletis oneribus quod ex fructibus supererat cedere debeat *in eorum emolumentum, & utilitatem*. Controversia ejusmodi composita fuit amica transactione *die* 3. *Decembris* 1794. stipulata inter Carolum Franciscum Juniorem Galeotti, & Josephum Michelini qua assertum Procuratorem Petri Antonii Galeotti, in qua conventum est, ut Cappellania = *debba godersi fra di loro per egual porzione durante le loro linee a forma degl' Istromenti d' istituzione dell' anno*

no 1700., *e* 1719. Cum tamen Michelinius Procurator non exhibuisset mandatum Procuræ spondidit rathihabitionem hujus concordiæ a Petro Antonio præstandam, quam tamen hic, emittere nequivit. Nam quo die 3. *Decembris* 1794. acta hæc sunt Maceratæ, pridie diei 2. *Decembris* Petrus Antonius Anconæ occubuit. Ejus tamen filiæ, & hæredes Anna Marianna, & Theresia hanc transactionem ratam habuerunt per publicum instrumentum adhibitis solemniis gæstum *die* 16. *Aprilis anni* 1795. In vim hujus transactionis Sorores hujusmodi Galeotti pensiones exegerunt a Josepho Bertucci Conductore Prædii *Vaccaro* quod ad Cappellaniam spectabat.

Carolus vero Antonius cum *anno* 1796. de nuptiis cogitaret supplex adivit hanc S. Congregationem, ut præfatam Cappellaniam retinere posset in Statu Conjugali. Auditum est Votum Vicarii Apostolici Lauretani, a quo S. Congregatio accepit = *quod nemini jus læditur, nemini officitur, cum nemo ad Cappellaniam adspirare queat* = Hinc licet putasset, quod petitæ retentionis gratiæ obstaret fundatio; attamen aliquid Carolo Antonio indulgendum censuit. Propositum enim die 13. Januarij 1796. Dubium = *An, & quomodo pium Missarum opus, de quo agitur, retineri valeat in Statu Conjugali* dimissum fuit Responsu = *Negative, sed consulendum SSmo pro suspensione nominationis ad decennium, deputato Ecclesiastico Administratore, qui satisfactis oneribus, superextantes reditus Galeotti consignet* ut *ex Folio hujus diei* recognoscere poterunt *EE. PP.*. Primum Carolo Antonio parum arridere visum est hoc Rescriptum. Nam Summo Pontifici (qui æditam resolutionem aucthoritate sua probaverat) supplicavit, ut sibi fas esset iterum S. Congregationem adire. Præcibus hujusmodi remissis = *Alla stessa S. Congregazione* = hæc *die* 20. *Februarii* 1796. rescripsit = *Reproponatur in Folio* =.

Post hæc aquievit Carolus Antonius, & molestus esse cæpit conductori Bertucci pro pensionibus fundi *Vaccaro*. Ille convertit molestias in Sorores Galeotti, quę licet judicio adessent, & jura ex fundatione, & transactione derivarent, ut defenderent jure fructus Cappellaniæ percepisse, attamen Carolus Franciscus fræetus Rescripto S. hujus Congregationis *anni* 1796.,

quo

quo ei Cappellaniæ reditusper decennium addicebantur, semper obtinuit in illis judiciis, quorum primum actum est *anno* 1797. *coram A. C. Met*, alterum *anno* 1800. *coram Auditore Ubaldini*, tertium *anno* 1802. *coram R. P. D. Frosini*. Frustra Sorores Galeotti ab hoc postremo Judicato appellationem postularunt, vel saltem, ut Causa huic S. Congregationi ablegaretur, Rejectæ enim fuerunt ex Decreto R. P. D. Auditoris SSmi *diei* 7. *Decembris* 1802. Cum tamen comperissent, quod post Resolutionem S. Congregationis *anni* 1796. ipso instante Carolo Francisco rescriptum fuerit = *Reproponatur in Folio* = hinc supplicarunt Sac. Congregationem, ut contra editam Resolutionem jure sua proferre possent super obreptione, & subreptione gratiæ tum a Carolo Francisco exoratæ. Commissum est Episcopo, ut huic tempus præfiniret ad *deducendum jura sua*. Proponitur nunc causa in strenuo partium conflictu, utrinque exhibentibus *Allegationes* EE. PP. distribuendas.

Duo sunt, quæ in Resolutione *diei* 13. *Januarii* 1796. statuta fuerunt: scilicet, & rejectus est Carolus Franciscus ab implorata retentione Cappellaniæ in statu Conjugali, & eidem ex gratia indultum est, ut impletis per administratorem oneribus superaxtantes Cappellaniæ fructus per decennium consequeretur. De prima Rescripti parte non quæritur nunc, dum nil obest sed immo prodest Sororibus Galeotti, quod Carolus Franciscus depulsus sit a retentione Cappellaniæ in statu conjugali. Redit quæstio omnis ad applicationem fructuum eidem concessam per decennium. Vitio enim subreptionis hanc gratiam insimulant Sorores Galeotti, ex eo quod reticita sint earum jura sive *ex fundatione*, sive *ex transactione*, unde ipse deducunt cumulativum jus cum Carolo Francisco ad perceptionem fructuum Cappellaniæ; Quæ jura cum incomperta fuerit S. Congregationi, immo in Informatione Vicarii Capitularis Lauretani affirmatum fuerit, quod = *nemini jus læditur*, *nemini officitur*, *cum nemo ad Cappellaniam adspirare queat* = videtur subreptitia, & abreptitia gratia illa, quæ concessa non esset, si S. Congregatio jura mulierum comperiisset, ut *ex Text. in Cap. Ex. litteris de Rescript. Rot.* in *Auxima-*

mana Cappellaniæ 21. *Aprilis* 1752. §. *final. coram Canilliac*.

Utrum mulieres hujusmodi habeant jura, præcipua hujus causæ controversia est. Negat Carolus Franciscus hæc Feminis obvenisse ex *Fundatione*. Nam Sacra Congregatio cum statuerit, quod Cappellania retineri possit in statu conjugali, multo magis Fæminæ ab illa arcendæ sunt. Deinde addit quod tum jus fæminis ad percipiendos super extantes fructus Cappellaniæ ex fundatione quæri potuerit, cum inter filios Elisabeth & Pasqualinæ deficeret is, qui idoneus esset Cappellaniæ retinendæ. Hunc casum nondum adhuc evenisse contendit. Nam vacata Cappellania per obitum Sacerdotis Archangeli Mariani, ipse Carolus Franciscus tamquam cælebs poterat Cappellaniam consequi. Antequam vero ad statum conjugale transiret gratiam impetravit, ut decennio perdurante posset fructus percipere. Quæ gratia cum secumferat dispensationem a legibus fundationis, reputari idoneus debet, ac si fructus ex fundatione percipere posset, ut tradit *Lotter. de re benefic. lib.*2. *quæst.*40. *num.*167. *Piton. Contravers. Patron. Allegat.* 100. *num.* 329., *Rota in Feinsigen. Canonicatus* 10. *Maii* 1715. §. 7. *coram Cerro*. Nihil vero negocii sibi facessere putat *transactionem*, cum stipulata sit a Procuratore (quin tamen constet de Mandato procuræ) postquam Petrus Antonius jam obierat, nec eam ratificare poterat, ut pacto conventnm erat. Quibus in terminis, ut per mortem expirat mandatum, ita stipulatio non tenet, ut tradit *Urceol. de Transact. Quæst.* 12. *num.*1. *Rota coram Buratt. Decis.* 14. *num.* 4. Quæ transactio etiam irrita fieret ex eo, quod Transigentes immutare non poterant fundationis leges, nisi intercedente venia, & derogatione Apostolica authore *Turricell. de Bonis Ecclesiæ non alienan Cap.* 8. *num.* 13. & *Rota in Tuden. Iurispatronatus* 27. *Februarii* 1736. §. *Impleri cor Calcagnino*.

Contra hæc Mulieres contendunt quod sibi apertissimum jus sit ex fundatione ad percipiendos fructus Cappellaniæ. Nam Fundator casum prospiciens, quod nemo ex vocatis capax esset retinendi Cappellaniam, disposuit = *ut deficientibus propriis, & legitimis filiis capacibus*

cibus earumdem Elisabeth, & *Pasqualinæ* impletis per alium Cappellaniæ oneribus *reliquum quod superrit ex fructibus bonorum pro dicto opere pio assignatorum*, *cedere voluit in eorum emolumentum & utilitatem*. Quamquam vero participes horum fructuum facti sint *FILII* Elisabeth, & Pasqualinæ, attamen tum ex parte *proemiali*, tum ex *conditionali* hæc dispositio *ad fœminas* quoque extendenda est. Nam in proemiali professus est velle se *fœminis adjuvamen præbere*, & in conditionali statuit, ut *extincta linea masculina*, & *feminina prædictarum Elisabeth & Pasqualinæ*, juspatronatum passivum cederet Familiæ de Morgantis. Quod si Fæminæ, quæ ab Elisabeth, & Pasqualina descendant participes fiunt de reditibus Cappellaniæ; si nullus sit eam retinendi capax, jam contendunt, quod hoc casum evenerit. Nam Carolus Franciscus, qui unicus superest masculus ab Elisabeth, & Pasqualina descendens ab ipsa Sacra Congregatione rejectus est a retinenda Cappellania in statu Conjugali. Dum itaque evenit conditio, ex quà poterant Fæminæ participationem fructuum consequi, nil ei prodesse potest indulta applicatio fructuum, cum Sac. Congregatio ignoraverit jura fæminarum, immò gratiam concesserit sub falso supposito, quod Carolus Franciscus narravit nempe esse se = *esclusivamente da qualsivoglia altro in oggi passivamente chiamato* =

Cæterum Fæminæ ex *transactione* quoque sua jura derivant. In illa namque inter Petrum Antonium, & Carolum Franciscum conventa fuit participatio fructuum Cappellaniæ = *duranti le loro linee a forma degli Istromenti d' istituzione del* 1700., *e del* 1719. = Quare si Petrus Antonius morte præreptus eam ratihabere non potuit, satis est quod acceptam tulerint Filiæ, semel ac de eorum interesse agebatur, & jus ad participationem habebant = *a forma degl' Istromenti d' istituzione* = Nil vero in hac transactione derogatum fuit legibus fundationis. Neuter enim ex stipulantibus capax erat retinendi Cappellaniam, non Petrus Antonius, qui uxorem habebat, non Carolus Franciscus, qui ad Conjugium properare valebat. Proinde non erat necesse, ut ad validitatem transactionis veniam & derogationem Apostolicam impetrarent, cum nil

conventum fuerit, quod a legibus fundationis abhorreret.

Ex his utrinque disputatis sequitur Dubium.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a Decisis sub die 13. Januarii 1796. in casu &c.

In decisis.

Ses. 24. Cap. 12 de Reform.

VENTIMILIEN. JUBILATIONIS. Ineunte *anno* 1761. Præsbiter Joseph Orengo consequutus est Canonicatum in Cathedrali Albintimilii, quod a Fundatore appellatur *Canonicatus Olignani*. Ratus anno proxime præterito 1801. se quadragenarium servitium explevisse, imploravit ab hac S. Congregatione indultum Jubilationis. Præces remissæ fuerunt Vicario Capitulari, qui audito Capitulo suam Sententiam proferret. Habitis Comitiis Canonici acriter obstiterunt ex rationibus inferius recensendis, quas transcriptas remisit Vicarius Capitularis referens = *Interfuit quidem Orator per annos quadraginta continuos Choro, Utrum autem se laudabiliter gesserit haud referre valeo* = Rejecta hinc fuit instantia per Rescriptum *diei* 12. *Septembris* 1801. = *Lectum* = Validius tum institit Canonicus Orengo per novas præces in quibus refutare sategit ea, quæ a Capitulo opponebantur. Iterum rogatus est Vicarius Capitularis, qui referret de *continuo, & laudabili Servitio, perquisitis Libris punctaturarum, & transmissa earum summa*. Ex Litteris vero a Vicario Capitulari datis *die* 29. *Martii* 1802. constat quod Canonicus Orengo munia Protectoris Seminarii, & Economi Mensæ Episcopalis sedulo exercuit, & pueros cathechesim domi docuerit, ut a defuncto Episcopo Claverini Beneficium simplex in compensationem meritorum consequutus sit. *Quo vero ad Servitium Chori attinet perspectis tribus Libellis punctaturarum scilicet annorum* 1793. 1796., & 1798., *quos tantum apud Canonicos invenire potui, ipsum Ora-*

Oratorem nulla malignitate gravatum inter negligentiores, quin immo ipsius defectus aliorum superare cognovi, & me presente decem annorum spatio sepe sepius irreverentem in choro perspexi. Relata in Folio causa est *citata parte*. Nam Canonici sua jura deducere velle visi sunt, coram me concordato dubio. Sed dictum ad hanc diem vadimonium deseruerunt, & causa proponitur jura sua deducente Canonico Orengo in Allegatione EE. PP. distribuenda.

Non jure scripto, sed moribus inolevit consuetudo, ut qui per quadraginta annos *continuæ*, & *laudabiliter* Ecclesiæ servitio adfuerunt, honestam missionem consequantur ut sepissime tradidit S. Congregatio in *Ripana Jubilationis* 11. *Martii* 1728. *in Civitatis Castellanæ* 29. *Novembris* 1766. *in Lauretana Jubilationis* 2. *Decembris* 1775. *ad II. Dubium*, & *in Brictinarien. Jubilationis* 12. *Maij* 1792. Ut Canonicus Orengo probet continuum, & laudabile servitium affert testimonium Vicarii Capitularis, qui affirmat = *per annos circiter quadraginta huic Ecclesiæ Cathedrali utile*, & *laudabile servitium prestitisse doctrinam christianam quolibet tempore quadragesimali gratis pueros edocendo domi suæ*. Alios producit Testes qui prædicant *si è sempre diportato da degno Ecclesiastico nel lodevole quadragenario servizio prestato gratis a questa popolazione insegnando annualmente in tempo di quaresima a Dottrina Cristiana* = Quod si aliquando in obeundo ervitio Chori negligentior fuit, id attribuit vel morbo quo, teste Medico, afflictatus est, vel rerum publicarum perturbatione, in quibus insons in exilium pulsus patria carere debuit, vel tandem muniis quæ exercere debuit, tum Protectoris Seminarii, tum Economi Mense Episcopalis. Quod si Episcopus Claverini tanti eum fecit, ut dignum habuerit, qui Ecclesiasticum simplex Beneficium præter Canonicatum consequeretur, si nunc inclinata jam ad annos septuaginta ætate morbis fractus est, eo magis sibi concedendum esse concludit indultum Jubilationis.

Silentibus nunc Canonicis pro meo munere observandum censeo, quod agitur nunc de indulto jubilationis, ac proinde nil ad præsentem quæstionem refert, si Canonicus Orengo longæva prematur ætate, & in-

firma sit valetudine. Hæc eum juvare poterunt, ut exoret dispensationem a choro quamdiu infirmitas perduret, numquam vero, ut indultum jubilationis consequatur, ut novissime definivit S. Congregatio in *Urbinaten. Indulti* 18. *Septembris* 1802. Ad hoc impetrendum nullomodo probatum videtur *continuum*, *& laudabile servitium*. Nam in præcitatis testimoniis nulla mentio excidit de servitio chori, sed tantum de servitio præstito in edocendis, instituendisque puerulis in christiana cathechesi. Contra vero Vicarius Capitularis de hoc continuo, & laudabili Servitio interrogatus respondit, quod perspectis libellis punctaturarum annorum 1793., 1796., & 1798. qui nunc supersunt eumdem Oratorem inter negligentiores cognovit, & *me presente decem annorum spatio sæpe sæpius inreverentem in choro perspexi*. Quin excusare se possit a negligenti servitio ex eo quod aliis erat muneribus distentus, vel ex infirmitate, vel exilio. Nam si hæc impedire non potuerunt, quominus punctis *fallentiarum* notaretur, non videntur idoneæ causæ cur a se negligentiæ notam abiiciat.

Proponitur Dubium.

An sit locus jubilationi in casu &c.

Negative.

Ses.22. Cap.6. de Reform.

ECLESIEN. ONERUM. In Cathedrali Ecclesiensi in unam *massam* coaluerunt tum reditus, qui in quotidianas Capitularium distributiones erogabantur, tum alii, qui in Missas erant legati. Hisce omnibus exigendis reditibus præpositus erat Collector, qui nomine stipendii percipiebat ex fructibus exactis scuta *quinque* in singula centum. Verum cum reditus hujusmodi consisterent in Censibus modicæ summæ, quibus plerumque Debitores indigentes gravabantur, exactio erat implicatissima, & incommoda ita ut Capitulum *anno* 1652., quo diligentior esset collector, de-

decrevit augumentum illius stipendii ad scuta *septem* pro centenario, & anno. Quemadmodum legata Missarum, quæ *annum* 1652. præcesserunt, acceptata fuerunt cum onere stipendii Collectoris in scuta *quinque* pro centenario scutorum; ita ab hinc in præsens in legatis acceptandis calculatum fuit augumentum stipendii ad scuta *septem* ex Decreto Capitulari anni 1652.

Factum deinceps est, ut grassante peste, vel sævientibus hostibus in Regnum Sardiniæ Massa Capitularis adeo diminuta sit, ut quæ olim attingebat summam *in libris Sardis* 152324., ea anno 1781. censeri vix poterat ad libras Sardas 84000. Temporum autem vetustate, & injuria evenit quoque bonorum commixtio, incertitudo onerum, inadimplementum Missarum. Ut sibi Canonici Ecclesienses consulerent *anno* 1781. rem omnem exposuerunt S. Congregationi, postulantes condonationem onerum inadimplementorum, separationem Massæ, reductionem Missarum. Rem tot facti, & juris questionibus implicatissimam sedulo illustravit, & patefecit Emus Cardinalis Antonelli, cujus Votum S. Congregatio exquisivit, & sequta est, ut EE. VV. recognoscere poterunt *ex Folio in Ecclesien. Onerum, & Distributionum 19. Augusti, & 9. Septembris* 1786.

Applicatæ itaque fuere *Massæ distributionum* duæ ex Tribus partibus totius massæ, relicta tertia parte pro legatis. Reductio vero concessa est pro diversa qualitate legatorum. Quæ enim dubia, & incerta erant nec habebant peculiarem fundum superstitem reducta fuerunt juxta regulas, quæ alias S. Congregatio in reductionibus hujusmodi præscripserat. Quæ vero legata fundum habebant superstitem, nec cum reliquis Capituli bonis commixtum, ea servata fuerunt ita tamen, ut si casu imminuti essent reditus ad æqualitatem redigendus foret fundus, & onus. Hisce acceptis S. Congregationis *Resolutionibus* statim Episcopus Ecclesiensis ad exequtionem properavit. Separata est Massa distributionum, eique adscriptæ fuere geminæ ex tribus partibus omnium redituum, assignata reliqua tertia pro legatis. Exigue vero sunt distributiones, quæ Capitulo ex dicta Massa obveniunt

niunt, quoniam annua scuta 38. monetæ Romanæ pro unoquoque Canonico non excedunt, tertioque minorem ratam Cappellani percipiunt. Constat Capitulum ex Archipresbytero, duodeviginti Canonicis, & sex Cappellanis, & notandum quod septem Canonici absque Præbenda distributionibus tantum gaudeant, tenui vero Præbenda reliqui 11. sunt provisi, quoniam tres Præbendæ annua scuta 160. attingunt, reliquæ vero septem ad scuta 80. tantum ascendunt, & Archipresbyter, qui pinguiorem habet Præbendam, annua in favorem Seminarii pensione gravatur. Unusquisque demum solvit in causam tributorum circiter scuta sex pro centenario, & ad manutentionem Ecclesiæ, & celebrationem festi S. Titularis tenetur.

Hæc quoad Massam distributinnum. Dum ex reliqua tertia parte conficienda erat Massa legatorum, dubitatum est num legata ante annum 1652. acceptata subire deberet augumentum Salarii Collectoris ad scuta septem in singula centum ex Decreto Capituli 1652. Sed censuerunt Capitulares ex integra Massa legatorum nedum deducere scuta septem in singula centum pro Salario Collectoris, sed etiam *scuta* 9., *&* *obol.* 6. ex fructibus hujus Massæ pro stipendio Archivistæ Advocati, & Procuratoris. Nunc vero dubitant num id jure fecerint nec ne. Quare EE. VV. consulunt num stipendium Collectoris pro legatis acceptatis ante *annum* 1652. deducendum sit in scutis quinque pro centenario, ut in more erat, cum legata acceptata fuerunt, seu potius in scutis *septem*, ut ex Decreto Capituli *anni* 1652. auctum fuisse constat. Et rursus num ex fructibus *Massæ Legatorum* Salarium Archivistæ Advocati, & Procuratoris deducendum sit. Si perperam hoc fecerunt, tum postulant quoad præteritum absolutionem ob Missas, quæ celebratæ non fuerunt ob auctum stipendium Collectoris, & novum constitutum Salarium Archivistæ, Advocati, & Procurotoris.

Altera quoque suborta est dubitatio quoad fundationem factam *anno* 1594. a Canonico Antioco Murgia. Hic enim Capitulo donavit Libras Sardas 1000., *perchè si dica, e celebri perpetuamente la Messa Maggiore, che*

si *dice*

si dice pro Popolo, per detto Canonico Murgia pregando per la di lui anima, e de suoi = Canonici vero = *accettando* (verba sunt Particulæ Fundationis) *la donazione di Lire* 1000. *fatta dal detto Canonico Murgia promettono, e s' obligano, che dal giorno presente in avvenire diranno, e celebreranno perpetuamente ogni giorno detta Messa Maggiore, che si dice per il Popolo nella quale si pregherà per detto Canonico Murgia, e dopo la di lui morte per l' anima sua, e de suoi, e ciò senza dilazione, e scusa*. Ex hisce libris 1000. (quæ respondet scutis Romanis 320.) in fondum hujus Misse erogatis, supersunt nunc libræ 184., seu scuta Romana 55. unde redeunt quot annis scuta *tria*. Fundus iste cum fuerit adscriptus *Massæ distributionum*, dubium nunc oritur num ex fundatione Murgia Canonici solam præsentiam præstare debeant Missæ Conventuali, seu potius ipsam Missam pro fundatore applicare teneantur.

Super quibus auditus est Episcopus qui in sua *Informatione* quoad Stipendium Collectoris Archivistæ, Advocati, & Procuratoris hæc habet *Dignum esse Capitulum censeo condonatione Missarum, quas ab anno* 1787. *usque ad hæc tempora prætermisit, præsertim cum de re agatur, quæ omnes afficit & nimium gravosum esset, ut præsentes aliorum, qui decesserunt, pœnas suentes per aliquot annos, donec missæ adimpleantur, diminutionem patiantur in suis proventibus, qui tenues sunt. Sic enim Canonicorum coscentiæ consultum erit & facilior mihi tribuetur occasio rem omnem in posterum componendi. Nam hoc dubio sublato in reductione Missarum, quæ ex Decreto Sacræ hujus Congregationis ad taxam Concilii Romani mihi concessa fuit, ex SEXDECIM obolis qui unicuique Missæ respondent TRESDECIM celebranti, & reliquos TRES pro stipendiis supradictis, & Sacristiæ expensis assignare licebit, nisi aliter EE. VV. placuerit*. Quoad vero fundationem Canonici Murgia ita votum suum concludit = *Sed cum fundationis verba sint dubia abs re non putarem, ut hujusmodi Capitale Massæ unitum remaneat, & ejus fructus in distributiones convertantur. Nam etiam in hoc casu Capituli precibus, &*

Missæ

Missæ conventualis, quæ hodie pro benefactoribus applicatur suffragio participaret. Rem omnem complexus sum sub triplici infrascripto Dubio.

In I. Dubio queritur num ex integra Massa legatorum deducenda sint stipendia Archivistæ, Advocati, Procuratoris, quæ ad scuta Romana 9. 60. pertingunt. Rursus statuendum erit, utrum pro legatis ante annum 1652. acceptatis solvendum sit stipendium Collectoris in scutis septem in singula centum. Utrumque nimirum a Capitulo factum esse constat ab anno 1787. Quamquam antea numquam legata Missarum hæc onera subierant; attamen id evenit ex eo quoad tum confusi in unam Massam erant reditus, & fundi pro distributionibus, & legatis assignati. Postmodum vero cum authorante Sacra hac Congregatione duplex efformata sit Massa, & altera distributionum ab altera legatorum divisa, inquirendum erit num Massa legatorum hisce expensis gravanda esset. Sane cum dubium subesset, nec quidquam de hac re anno 1787. a Sacra Congregatione esset definitum, consulenda erat ipsa Sacra Congregatio priusquam expensæ a Massa legatorum deducerentur, & Sacrificia diminuerentur. Verumtamen expensæ hujusmodi necessariæ videntur. Nam opportuna est opera Archivistæ, qui antiquas, diversasque fundationes, & onera unicuique adscripta, & fundos illis assignatos diligenter adnotet. Cum vero fundi hujus Massæ legatorum in Censibus consistant exiguæ summæ, & ab indigentibus plerumque debeantur, opera necessaria est Advocati, & Procuratoris, qui morosos debitores ad solutionem compellat. Tenuis autem est impensa hujusmodi, itaut ex Massa Legatorum deducenda videatur.

Quoad stipendium Collectoris, questio pertinet ad legata Missarum, quæ acceptata fuere ante annum 1652. Tum enim solvebatur salarium Collectori in scutis quinque pro quolibet centenario, & cum hoc onere acceptata reperiuntur. Decreto vero Capitulari anni 1652. auctum fuit hoc Salarium ad scuta *septem*, itaut facta anno 1787. separatione Massæ legatorum cum hæc gravata fuit augumen-

mento Salarii Collectoris, videri poterit, quod Massa pro augumento non teneatur in Legatis acceptatis ante annum 1652. Sed eadem redit responsio, quod hoc augumentum erat necessarium, quo diligentior foret Collector. Quare legata licet acceptata cum onere Salarii Collectoris in scutis quinque pro centenario, subire nihilominus debere videntur hoc augumentum omnino necessarium.

Quod si EE. VV. putabunt hæc onera detrahenda esse ex Massa Legatorum, tum sane Episcopus modum proponit, quo hæc deductio in posterum fieri possit. Nam exoratam a Sacra Congregatione facultatem obtinuit Missas reducendi ad taxam Conciliarem nempe ad obolos sexdecim. Proponit ergo quod celebranti in posterum dari poterint *obul.* 13., & reliqui tres oboli converti in expensis pro Collectore, Archivista, Advocato, Procuratore, & Sacrario.

In II. dubio controversia est, num ex fundatione Murgia Canonici applicari teneatur Missam Majorem. Fundator quidem de applicatione non meminit, sed pacto tantum convenit = *che si dica, e celebri la Messa maggiore detta pro Populo pregando per la di lui anima, e de suoi* = Deficiente vero expressa mentione applicationis, tum sane ex præsumpta voluntate est quæstio dirimenda, ut tradit *Benedict. XIV. de Sacr. Missæ Lib. 3. Cap. 9. num.* 3. Sane præsumendum videtur applicationem voluisse, qui certum reliquit Missarum emolumentum, cum quisque velit, ut præscripta celebratio redeat in suam utilitatem authore *Fagnan. in Cap. Significatum de Præben. num.* 44. *Cardinalis de Lugo disput.* 20. *de Eucharist. Sect.* 1. *numer.* 23., & S. Congregatio *in Asculana* 24. *Augusti ad I. Dub.*, *& in Mutinen. Applicationis, & Reductionis Missarum 26. Julii ad I. Dub.* Maxime cum Fundator ad conventam celebrationem eam adjecit conditionem = *pregando per la di lui anima, e de suoi* =, quæ applicationem quodammodo præseferre videntur.

Ponderandum tamen est quod impar oneri reliquit emolumentum. Nam libræ 1000. Sardæ, quæ pro fundo datæ fuere æquaut scuta 320. monetæ romanæ, ex quibus scuta vix decem septem redeunt omnino impa-

xia ad onus applicationis Missæ Majoris, seu, ut explicat Episcopus, Conventualis. Dum ita Fundator non reliquit par emolumentum numquam præsumitur, quod de applicatione cogitaverit, ut novissime definivit S. Congregatio *in Nuceriua Applicationis, & Reductionis* 19. *Junii* 1802. Insuper observandum, quod verosimile non est conventam fuisse applicationem Missæ Conventualis, quæ ex Sacrorum Canonum sanctione applicanda erat pro Benefactoribus in genere, etiam ante latam a Benedict. XIV. Constit. = *Cum semper oblatas* = Quæ omnia suadere videntur Canonicos obstrictos non esse ad applicationem, præsertim nunc cum fundus imminutus sit ad scuta romana 55., & fructus ferat in annuis scutis *tribus*. Proindeque si ad applicationem non tenentur, capitale hujusmodi probe adscriptum est Massæ distributionum.

Quandoquidem EE. VV. in negativam Sententiam ferantur, quoad proposita *Dubia*, tum in III. quærendum erit num Canonicis impertienda sit absolutio, quoad præteritum. Nam ob deductum ab *anno* 1787. stipendium Collectoris, Archivistæ, Procuratoris, Advocati ex MassaLegatorum minor Sacrorum numerus celebratus fuit, & pro fundatione Murgia Missam non applicarunt. Cum tamen id bona fide factum sit, cum in statuendoSalario Collectoris antiquam sequuti sunt consuetudinem, & alia stipendia necessaria esse censuerunt, & tandem ambigua videatur fundatio *Murgia*, idcirco concedenda videtur absolutio ob missas non adimpletas, quæ nemini denegatur, tum comitante bona fide, ut S. Congregatio in *Forolivien. Reductionis* 13. *Junii* 1789., tum accedente impotentia supplendi in qua Canonicos reperiri testatur Episcopus, ut in *Fanen.* 16. *Maii* 1779. *ad II. Dub.*

Triplex proponitur Dubium.

I. *An, & quomodo ex Massa Legatorum sit deducendum Salarium Archivistæ, Procuratoris, & solvendum stipendium Collectoris in scutis septem pro centenario etiam pro LegatisMissarum ante annum 1652. acceptatis in casu &c.*

II. *An*

II. *An ex fundatione Margia Canonici teneantur applicare Missam Majorem in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Dilata, & ad Eminentissimum Gabrielli qui dignetur rem perpendere, & votum suum aperire.

PISAUREN. APPLICATIONIS HÆREDITATIS Nicolai Celi hæc fuit postrema voluntas in testamento anni 1800. expressa. Legavit annosæ famulæ Magdalenæ Giannotti scuta *viginti quatuor*, quotannis rependenda a Josepho Celi Fratre suo, quem hæredem usumfructuarium instituit. Voluit ut ex bonis in Districtu *Frontonis* cum Fratre indiviso possessis, *che con la proprietà si facciano celebrare tante Messe* = In reliquo vero asse = *Erede Universale, e proprietaria dopo la morte di detto Signor Giuseppe Celi instituisce la di lui anima con piena ragione* = Exequutores Testamentarios designavit in bonis Pisauri existentibus Præsbiterum Marzi, in bonis vero sitis in Parecia rurali Montis S. Mariæ ejus Rectorem pro tempore, qui nunc est Sacerdos Dominicus Paolucci. *Sess.22.Cap.6. de Reform.*

Census hereditarius constat ex bonis in territorio *Frontonis* valoris scutorum 529., ex predio posito in Parecia *S. Mariæ*, quod *scuta* 700. extimatur, & tandem ex Domo posita in Civitate Pisauri *scut.* 650. Assem hujusmodi hæreditarium in scutis 1875. gravant gemini Census alter scutorum 200., qui ad Societatem Sanctissimi Nominis Dei pertinet, alter in *Scutis* 133. 33. ½, qui ad Phisicum Raffaelli spectat. Præterea ab eodem asse præstandum est vitalitium famulę. Hujus hęreditatis applicationem postulant *Magistræ Piæ*, quæ in Civitate Pisauri maxima cum utilitate operam navant instituendis puellis. Tres istæ sunt cum famula, nec aliud habent quam scuta annua 130., quam partim ex fructibus census, partim ex reditibus Prædioli percipiunt.

Episcopus Administrator Pisaurensis hæc omnia refert in sua *Informatione*. Applicationi consentit unus ex te-

testamentariis exequtoribus Præsbiter Marzi, Alter nimirum Parochus Montis S. Mariæ repugnat, immo postulat applicationem Prædii existentis in sua Parçcia, ut suę inopię consulatur. Rem componendam esse censet Episcopus hoc modo = *Bona stabilia quæ sunt in Parœcia S. Mariæ subsogarem bonis existentibus in loco Frontone, & onus celebrationis Missarum a Testatore injunctum in Prædium illum transferrem. Hæc subrogata bona concederem Pareciæ S. Mariæ onere injuncto celebrandi tot Missas, quot fructus suppetunt, & signanter in omnibus anni festis diebus. Sic satisfacta esset voluntas Testatoris Celi, & provideretur necessitati illius Parçciæ. Locus etenim asper est, in hyeme difficilis accessus, una tantum nunc celebratur Missa Parrochialis neque omnibus datum est eadem hora ad audiendum sacrum accedere. Hæc mediante secunda Missa omnes possent præcepto satisfacere. Reliqua hæreditatis bona supplicantibus feminis attribuerem, hac tamen lege, ut mense quolibet unam applicare faciant Missam, nec non aliam in die anniversaria obitus Testatoris in qua fiat communio Generalis, & qualibet hebdomada tertiam partem Rosarii recitent in communi. Onera hæreditatis nempe stipendium vitalitium annuorum scutorum* 24. *a Nicolao relictum famulæ, nec non census Raffaeli, & aliud quodcumque debitum feminis applicarem, excepto alio censu sc.* 133. 33. *favore sodalitii Sanctissimi Nominis Dei, de qua oneratum vellem fundum assignatum Parrochiali Ecclesię S. Mariæ, quia hujus valor superat valorem bonorum in Feudo Frontone, & ipsemet Parochus suum liberum assensum præbuit.*

Petitæ applicationi obstat voluntas Testantis. Nam statim ac hæredem instituit animam suam, non in alium usum convertenda sunt bona hæreditaria *ad Text. in Cap. Idem quæ contigit de Relig. Dom.* Et quamvis expressum non sit opus pium in quod eroganda essent; attamen si jussit celebrationem Missarum quood bona in agro *Frontone* posita, ex hoc ipso conjectura tacitæ voluntatis deducitur, quod Missas quoque celebrandas voluerit ex reliquis bonis. Hinc deneganda videretur applicatio bonorum, vel in Magistras Pias, vel in Parochum Sanctæ Mariæ. Verum cum instituta sit hæres l' *anima mia* quin expressum sit, quo potissimum suffraggio uti deberent Exequtores testa-

stamentarii, profecto non commutanda est voluntas, sed potius interpretanda, & ex authoritate Apostolica destinari debet opus pium exequendum. Quare inspici oportet num utilis, & necessaria subsit causa, cur piis faeminis & Parçciae fieri debeat applicatio. Hac enim concurrente causa applicationes ex jure permittuntur *Cap. quia Monasterium de Religios. Dom. Cap. Penultim. de Constit. sess. 22. Cap. 6. de Reform.*

Sane institutio Puellarum respicit publicam, & religiosam utilitatem. Dum hoc pium opus prȩstant Magistrae piae necesse est, ut earum alimentis consulatur. Profecto tres illae, quȩ Pisauri manent, vix habent annna scuta 130., unde vitae subsidia parare sibi nequeunt. Videtur ergo quod utilis subsit, & necessaria causa, cur applicatio fiat. Pari modo utilis immo necessaria videtur applicatio Pareciae, ut diebus festis alterum celebretur Sacrificium, quo alpestres incolae possint sacris interesse. Haec autem omnia, cum expiationem animae Testatoris praeseferant, suadere applicationem videntur ut tradit *Monet. de ultim. voluntat, Cap. 2. num. 262. Valent. de ultim. volunt. Vot. 27. num. 102.*

Quandoquidem EE. VV. in applicationem consentiant, tum non videtur discedendum *a modo*, quem Episcopus exponit in superius relata *Informatione*. Nam & Suffragio Testatoris consulitur, & indigentiae Magistrarum, & necessitati Pareciae. Unde cum Parochus, & executor testamentarius in hanc conveniant applicationem deliberandum erit.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione haereditatis Josephi Celi in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

ROMANA CANONIS. Possident Fratres Josephus, & Hieronimus Baldini secundam contignationem, domus, quae posita est ad Agonalem, & Capitulo SS. Lau- *Ses. 24. cap. 4. de Reform.*

SS. Laurentii, & Damasi scuta quatuor nomine canonis quotannis respondent. Quamquam *a die* 24. *Aprilis* 1798. qui respondit *diei* 5. *Florealis anni* 6. *æræ republicanæ* lata esset lex, quæ permittebat Emphithentis, ut Canones etiam invitis dominis directis possent redimere soluto quadragies valore annui Canonis; attamen Fratres Baldini nisi ad diem 15. *Martii anni* 1799. egerunt contra Capitulum, ut Canonem in vim præfatæ legis redimerent. Quo die a Prætore Decretum obtinuerunt pro solvendis in hanc causam scutis 160. in Schedis nummariis vulgo *assignati*, & si minus Capitulum ea recipere vellet, facta eis potestas est deponendi. Obstitit Capitulum & causa delata est ad Tribunal Civile. Iterum die 22. *Martii* demandatum est depositum, & tandem Capitulum in eo judicio succubuit. Itaque *die* 3. *Maii* 1799. assignata receperunt, & Instrumentum redemptionis Canonis stipularunt, licet jam ex lege 14. *præcedentis Aprilis* penitus abrogata essent assignata, quę Fratres Baldini jam deposuerunt.

Liberata urbe ab invasione in Edicto *diei* 13. *Februarii* 1800. vulgato a Duce Nasellio jussum est = *Saranno pur fermi li contratti di titolo oneroso già stabiliti, e perfezzionati, quando non siano altronde nulli, e lesivi*. Hinc Capitulum restitũta veteri disciplina postulavit ab Sac. Congregatione, ut irrita declararetur redemptio Canonis a Fratribus Baldini stipulata, simulque reintegratio Capitulo concederetur ad Canonem percipiendum. Exquisita est Sententia Celsissimi Vice-Cancellarii, ut eam proferret audito Capitulo & Fratribus Baldini, quibus præfigeretur terminus ad sua jura deducenda in hac Sac. Congregatione. In remissa Informatione plura adducantur inferius recensenda, ex quibus concludit = *pro petita nullitate annuendum esse censeo, ideoque reintegrandum Capitulum ad perceptionem annui Canonis, ac si tale Instrumentum non fuisset stipulatum, & quidem absque restitutione pretii, quia ex ipso Instrumento habetur tot Schedas vulgo Assignati die* 3. *Maii* 1799. *traditas fuisse dum jam ad nihilum rèdactæ fuerunt.*

Fratres Baldini numquam in hac Sac. Congregatione adfuerunt, ut sua jura deducerent. In scriptis tamen Celsissimo Vice-Cancellario exhibitis contendunt

va-

validam fuisse stipulatam redemptionem, cum facta sit ad normam illarum legum, quæ tum obtinebant, & illa pecunia, quæ erat in commercio. Qnare dum solutione ejus quod debetur prorsus obligatio extinguitur ex *Text. in leg. Juris Gentium ff. de Pactis* 1. *Pro Fundo leg. de Transact.*, manere debet ea stipulatio, quæ postquem Canonici sucubuerunt in judicio, ultro ab ipsis facta est, non *ex Officio* judicis. Si igitur Canonici in vim legis, & unius alteriusque Judicati redemptionem stipularunt profecto contractus hujusmodi numquam infectus dici posset nullitatis, & lesionis itaut manere debeat incolumis ex ipso Naselliano Edicto, quo jubetur = *Saranno fermi li contratti di titolo oneroso già stabiliti, e perfezzionati, quando non sieno altronde nulli. e lesivi* = Verum quidquid sit num lex de redimendis Canonibus obligare posset Ecclesiam, & num stipulatio a Capitulo inita teneat sine venia Apostolica: Canonici se enormissime lesos esse contendunt itaut irrita sit stipulatio, & judicata. Receperunt enim scuta 160. in Assignatis *die* 3. *Maii* 1799. quæ nedum erant opinione abjecta, sed prorsus ex lege 14. *Aprilis* omnino abrogata. Quare cum nihil acceperint pro concessa redemptione dubitari non potest, quin læsum sit Capitulum. Neque læsio hujusmodi abest, si respiciatur ad diem 15. *Martii* 1799., quo primum Baldini redemptionem postularunt & Assignata obtulerunt. Nam inspecta *Tariffa*, ea die *scutum unum* in Assignatis representabat in moneta argentea obolos 25. Non pluris igitur accepissent quam scuta quadraginta, scilicet quartam partem scutorum 160., nempe justi pretli, quod lex pro redemptione constituit, id quod tum ex jure communi *in leg.2. leg. de rescindenda vendit. tum ex Statuto Urb. Cap.* 15. lesionem enormissimam constituit *Zanch. de lesion. Cap.2. num.57. Rota in Romana Læsionis* 12. *Junii* 1795. §.3. *cor. Priolo*.

Quin obesse possit vel quod Capitnlum recnsare non poterat hanc pecuniam, vel quod ultro eam recepit. Etenim = *creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit* = tradit *Paulns in leg.99. ff. de solut.* Si igitur ex oblata pecunia Capitulum passurum esse læsionem demonstratum est, profecto poterat recusare reprobam

bam monetam ut definivit *Rota in Romana Pecunia-ria* 15. *Maij* 1801. §.9. *cor. Priolo*. Non vero sponte sed iudicis imperio adactum Capitulum pecuniam recepit. Non itaque spontanea fuit, sed coactiva emissa a Capitulo quietantia ut definivit *Rota in Romana seu Veliterna Cambii* 30. *Aprilis* 1802. §. 16. *cor. Resta*, *& in Romana, seu Perusinu Pecuniaria* 25. *Junii* 1802.

Si igitur Capitulum coacte accepit, si deteriorem pecuniam habuit, si lęsum enormissime est; profecto non videntur liberati fratres Baldini ex suscepta obligatione solvendi Canonis, & irrita prorsus est facta redemptio, & Capitulo concedenda videtur reintegratio ad perceptionem Canonis.

Dubium proponitur:

An sit concedenda reintegratio in casu &c.

Ses. 25. cap. 4. de Reform.

FERENTINA CESSIONIS JURISPATRONATUS.

Ad declivium alpestris Oppi di Juliani posita est Sacra ædicula a Divo Francisco e Paola nuncupata, in qua erecta est Cappellania, cujus juspatronatus pertinet ad Josephum Claroni. Census hujus Cappellaniæ constat ex domo Ecclesiæ contigua, quæ æstimata nunc a Peritis *scuta* 398., locari solet in annuis *scutis* 10., tum etiam ex Prædio valoris *scutorum* 270., ex quo redeunt quotannis *scuta* 15. Onus vero Rectori injunctum est, ut duo Sacra in singulas hebdomadas conficiat, & præterea diem festum S. Titularis cum missa solemni, & Vesperis celebret, ad quæ onera subeunda necessaria sunt annua scuta *undeviginti*; itaut proinde *scuta sex* Cappellano supersint ex annuo fructu, quod in scutis *vigintiquinque* ex fundis Cappellaniæ percipitur.

Ve-

Verum Ecclesia una cum adnexis ædibus penitus fatiscens est,& ad reparationem necessaria sunt *scuta* 344. Præterea caret sacris supellectilibus ad res sacras parandas. Ut his expensis faceret satis Joseph Claroni Patronus omnibus adimpletis solemniis censum imposuit in sorte scutorum triginta. Egestate tamen coactus summa hac usus est in alimenta suæ familiæ. Impar igitur cum sit & demittendo æri alieno, solvendisque decursis fructibus, & rparationi Ecclesiæ, adiuntarumque ædium & tandem conficiendis sacris utensilibus, ægit cum Francisco Antonio Colafranceschi, qui, dummodo sibi, suisque descendentibus juspatronatus cessum sit, spondet nedum dissolvere censum, & fructus, Ecclesiam reficere, & sacra ornare Supellectile, sed etiam *in compenso di tal cessione cede alli detti Claroni una Possessione nel Territorio di Giuliano in Vocabolo Collespia di valore scudi* 90., *e di annuo frutto scudi* 7., *ed altra Possessione in Vocabulo Valle della Palombara di valore scudi* 30., *e di annuo frutto scudi* 2., *a condizione, che mancando la linea Claroni detti due Predi debbano ricadere alla Cappella di S. Francesco di Paola*.

Postulat itaque Joseph Claroni, ut Sac. hujus Congregationis authoritate cessio hujusmodi probetur. Hæc quę *in facto* exposita sunt, documentis illustrata suppeditavit Episcopus, qui Votum suum ita concludit = *Quibus sic stantibus ambigi nequit propositum contractum cessionis Patronatus in maximum Familiæ Claroni, & Oratoris commodum redundare, sed etiam diffluere in utilitatem, & favorem ejusdem Ecclesiæ. Nam cessionarius Colafranceschi pietate fretus, divitiisque pollens Ecclesiam, ceteraque adnexa edificia quantocius restaurare, ipsamque Ecclesiam decenti supellectili ornare poterit, atque promisit. Cumque præterea nemo de Familia Claroni hujusmodi Patronatus cessioni, & perpetuæ tsanslationi in familiam Colafranceschi contradicat, ea propter postulatæ contractus approbationi annuendum fore censerem, præscripto tamen. & limitatio unius anni termino eidem Cessionario, ut pollicitæ restaurationi Ecclesiæ, cæterisque pactis adimpleat*.

De ineunda cessione agitur ex qua per conventionem ultro, citroque obligatoriam a familia Claroni transfe-

 ren-

rendum est Juspatronatus Ecclesiæ, & Cappellaniæ in in Familiam Colafranceschi, Hoc inquirendum est, numquid ex jure prohibeat, quominus cessio probetur. Duo sane obesse videntur. Primum quod in contractum deducitur Juspatronatus, quod cum *sit Spiritualitati adnexum Cap. De jure* 16. *De jure patronat.* idcirco Sac. Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *Cap.* 9. *de Reform.* defendit Patronis, ne = *juspatronatum venditionis, aut alio quocumque titulo contra Canonicas Sanctiones transferre præsumant*. Quæ sane prohibitio se protendit ad cessiones, quæ, dum correspectivæ sunt, & onerosæ, redolent contractum venditionis, ut post *Text. in leg. Modestinus ff. solut. matrim.* tradit Rota *in Romana Melioramentorum* 21. *Aprilis* 1758. §.10. *coram Canilliac*, quæque, dum preseferunt rem temporalem concedi ad acquirendum juspatronatum, profecto a Canonicis Sanctionibus *in Cap. Cum Seculum* 13. *De jurepatron.* tamquam simoniæ labæ in factæ reprobantur, quemadmodum eas passim rejecit Sac. Congregatio, & præcipuæ *in Viterbien. Alienationis* 13. *Januarii* 1661., *& in Neapolitana Beneplaciti* 4. *Martii*, *&* 6. *Maii* 1760., *& in Tudertina* 3. *Julii* 1762.. Num vero Colafranceschi pro acquirendo jure patronatu cesserit rem temporalem, non levis oritur dubitatio ex verbis ipsis Cessionis. Nam ipse *in compenso di tal cessione* concedit duo Prædia, quæ usufruenda sunt a Familia Claroni pro jure patronatu, quod in illum transfert. Præterea ponderandum est, quod cessio hujusmodi vergit in detrimentum successorum Familiæ Claroni cum hoc jure priventur, quod eisdem est ex Fundatione attributum.

Dum hæc contra cessionem EE. VV. proposui, non ea pretermittam, quæ ad probandam cessionem facerent. Nam ex allegato *Tridentini* loco tum demum contractus hujusmodi reprobantur, cum initi sint *contra canonicas Sanctiones*. Sacri vero canones sinunt ut qui insigni beneficio Ecclesias prosequuntur, juspatronatum possint aquirere ut tradit *Lambertin. part.* 1. *quæst.* 1. *artic.* 12. *num.* 6. *Piton. de Controverss. Patron. Allegat.* 7. *num.* 21.. Si igitur Colafranceschi, & ecclesiam, continentesque ædes e ruina spondet reparare, si censum & insolutos fructus dimittere, si sacra supellectilia comparare, profecto cum tamquam insi-

gnis

gnis benefactor haberi debeat, nil impedimento esse videtur, quominus Juspatronatus aquirat, qui multum pecuniæ in Ecclesiæ utilitatem impendit, ceu monet *Suarez de Religion. lib.4. Cap.7. num.13. tom. 1. Lotter. de re benefic. Lib.3. quæst.26. num.97. Schimer. jurisprudent. Civ., & Can. part.2. de Delict. Cap. 1. num.134.* Neque si Familiæ Claroni duo Fundi in usumfructum cessi sunt, idcirco hoc simoniam sæpere videtur, tamquam factum in correspectivitatem cessionis jurispatronatus. Nam si = *Patronus vergat ad inopiam ab Ecclesia illi modeste succurritur* = ut jubet *Clemens III. in Cap. Nobis 25. de Jurepatron.* sequitur, ut Claronus, qui multa ex testimonio Episcopi premitur inopia, nedum jus ad alimenta haberet, sed etiam ad suspensionem Missarum, & onerum, ut ex reditibus Cappellaniæ alimenta accipere, quemadmodum S. Congregatio respondit *in Camerinen.* 21. *Augusti* 1784. *& in Asculana Dispensationis* 20. *Maii* 1786., *& in Aquen. Cappellaniæ* 30. *Januarii*, *&* 3. *Februarii* 1787. Quare nil a jure devium videtur, si Cessionarius jurispatronatus solvit aliquid Patrono Pauperi in causam alimentorum, ut definivit Sac. Congregatio *in Fanen. Beneplaciti* 8. *Augusti* 1801. Maxime, cum Predia hujusmodi data sint Claronis, ut eis usufruantur, & iis peremptis cederent in utilitatem Ecclesiæ, ut proinde cessio hujusmodi utilis Ecclesiæ futura sit.

Detrimentum vero successorum Familiæ Claroni satis jam occurritur in stipulanda cessione. Nam si privantur hoc jure patronatu, immunes fiunt ab impensis necessariis pro reparanda Ecclesia. His cum attenta paupertate idoneus non sit Joseph Claroni, qui nunc patronatum possidet, vel cogeretur æs alienum contrahere pro quo successores tenerentur, vel Ecclesia ruinosa penitus collabesceret, ut successores patronatum ammittere cogerentur. Contra vero ex reditibus Cappellaniæ impletis oneribus supersunt libera *scuta sex* quæ Patroni percipere possent. Hoc quidem non amittunt, sed in cessione assignantur duo Prædia usufruenda a Familia Claroni, ex quibus redeunt annua *scuta novem* ut eisdem excessione non damnum sed lucrum obveniat.

Ex his in utramque partem a me deductis si EE.VV. Sententia pro cessione approbanda inclinet, tum sane

pre oculis habendum erit id quod Episcopus monet ut scilicet Cessionario præstituatur anni terminus, ut reparationes, ceterasque in Ecclesiam necessarias expensus conficiat. Cum vero Joseph Claroni Depositum sc.20., quæ in emptionem sacrarum suppellectilium eroganda erant in proprios usus converterit, monendus saltem erit, ut consulet scientiæ suæ.

Dubium proponitur.

An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione cessionis in casu &c.

Die Sabbathi 30. Aprilis 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PISAUREN. APPLICATIONIS HÆREDITATIS. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione hæreditatis Josephi Celi in casu &c.* *Ses.22, Cap.6. de Reform.*

Dilata, & reproponatur citatis omnibus interesse habentibus.

ROMANA CANONIS. Hæc causa indecisa remansit *in postreme Congregationis Folio* in quo eam ex officio proposui. Postquam die 20. Februarii proximi præteriti anni Preces Capituli S. Laurentii in Damaso R. C. Emi Vice-Cancellarii remissæ fuerunt, ut dignaretur Sac. Congregationem *instruere*, *& Votum suum aperire, auditis Capitulo & Fratribus Baldini, eisdemque præfixo termino ad deducendum Jura sua in Sac. Congregatione*, & posteaquam R. C. Ema Votum suum aperuit, numquam vadimonium inter contradictores constitutum est ex eo quod Fratres Baldini apponere neglexerunt = *Nihil Transeat* = ideoque sibi tribuere debent, si ipsis indefensis causa in Folio relata est. His tamen nunc reclamantibus feci potestatem, ut sua jura cor. EE. PP. deducerent, quod faciunt per impressam *allegationem* distribuendam. *Ses.24. Cap.24 de Reform.*

Contendunt Fratres Baldini, quod in discrimen adduci non possit Canonis redemptio, utpote facta in vim le-

legis, ex Decreto Judicis, & Rejudicata, quæ acceptata fuit a Capitulo per litis renunciationem, & stipulatum Instrumentum redemptionis. Nec necesse esse putant, ut Beneplacitum Apostolicum interveniret, cum ageretur non de voluntaria, sed necessaria alienatione, quæ jubente lege fieri debebat, ut proinde Beneplaciti defectus in actibus necessariis non inficiat nullitate contractum, ut tradit *Rota decis.230. per tot. coram Roxas decis.* 11. *num.* 8. *de empt. coram Falconer. decis.*80. *num.* 8. *coram Riminaldo.* Ad læsionem, qood attinet, contendunt quod Capitulo obtulerunt *Assignata a die* 20. *Februarii* 1799. facta interpellatione judiciali, unde si postea abrogata fuere, periculum pertinet ad Creditorem, qui nulla subeunte causa oblatam pecuniam recusavit ad *Text. in Leg. Qui decem* 72. *ff. de solut.*

Sed quæstio eo semper redit, ut in preterito Folio animadvertendum duxi, scilicet ad læsionem enormissimam, quam Capitulum tulit ex qualitate pecuniæ a Baldinis datæ. Nam licet quo *die* 20. *Februarii* 1799. Baldini *assignata* obtulerunt, ea accepisset Capitulum, attamen non pluris valebant, quam obolos *undetriginta* in singula scuta, itaut revera Capitulum percepisset *scuta* 46. 40. pro *scutis* 160. Igitur cum Capitulum infra medietatem læsum appareat, hinc ex Statuto Urbis contractus omnino irritatur. Resumpto itaque præcedentis Congregationis *Folio* dignentur EE. PP. deliberare.

An sit concedenda reintegratio in casu &c.

Affirmative, & amplius.

Ses.23. Cap.4. de Reform.

FERENTINA CESSIONIS JURISPATRONATUS.

An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione cessionis in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem, mens est, quod Episcopus deputet Curatorem futuris vocatis, eoque audito referat.

PE-

PERUSINA SUSPENSIONIS. Præsbiter Jacobus Bolletta ex præsentatione Capituli Cathedralis Perusinæ consequutus est ruralem Paræciam *Villæ della Rabatta*, quæ licet amovibilis sit ad nutum, attamen ex indulto Apostolico ad ejus titulum ordines suscepit. Dum Paræciam exercebat plures in Curia Ecclesiastica tulit inquisitiones, tum ob injurias, & percussiones ab ipso illatas nonnullis ex parrochianis, tum ob minus honestas consuetudines cum fæminis, & præcipue cum puella *Rosa Briccoletta*. Numqnam tamen ex his inquisitionibus pœnam ullam tulisse constat, neque in Curia Ecclesiastica, neque post superventam rerum perturbationem ab iis, qui in criminosos animadvertebant. Nam cum rumor in vulgus serperet Parochum Bolletta vitiasse Rosam, ex eaque natum domi suæ infantem necasse, hinc instante Magistratu, quem vocabat *Prefetto Consolare* publica in Parochum quæstio *Infanticidii* constituta est *die* 16. *Maii* 1799. apud Tribunal Criminale. Quamquam vero in eo judicio esset absolutus, attamen ab ipsis republicanis Viris judicium hujusmodi per impressas Scripturas reprobatum fuit. *Ses.* 15. *Cap.* 1. *de Reform.*

Tum illi ipsi, qui sedicentis reipublicæ summas tenebant Parochum Bolletta indignum judicarunt, qui parrochialia munera obiret, & Episcopo Perusino non semel, sed sæpius authores fuerunt, ut illum a Paræcia removeret, novumque Parochum nominaret. Sed Episcopus prudentiæ suæ existimavit esse Æconomum Curatum Paræciæ præficere. Post hæc idem Parochus in aliud incidit criminale judicium, in quo accusatus *della ritenzione di uno Stortino arma proibita*, *die* 15. *Maii* 1799. per publicam Sententiam = *attesa la cattiva qualità dell' accusato* = ad compedes per triennium fuit damnatus. Dum itaque Parochus Bolletta publicis vinculis mancipatus luebat pœnam ei inflictam, mutata rerum publicarum conditione Perusia liberata est ab *Austro-Aretinis*. Reclamavit hinc Bolletta ad Imperialem Commissarium, qui jussit, ut traduceretur ad Conventum *Montis Lugi* = *ove debba compire l'impostali condanna, e non sortire da detto ritiro senza espresso commando*.

Verum resipiscere quodammodo visus est Parochus Bolletta, & Episcopo suo scribens, suosque fatens erro-

res postulavit veniam egrediendi e Conventu, ut solveret peregrinationis votum, quod voverat. At Episcopus de vera emendatione diffidens hanc veniam denegavit, ita ut Bolletta de *mense Februario anni* 1800. arbitratu suo reliquit Conventum *Montis Lugi*, Perusiam venit, Sacraque confecit non sine populi admiratione, & contra voluntatem Episcopi, qui affirmat oretenus eum monuisse, ut se ab Altare abstineret. Quare die 12. *Aprilis* 1800. per Decretum Episcopus suspendit eumdem Parochum a divinis, & ab Officio, quod Decretum postridie *diei* 13. *Aprilis* Præsbitero Bolletta intimatum fuit.

Interea Romæ vetus disciplina restituta erat. Unde Parochus Bolletta e re sua putavit reclamare ad *Sac. Congregationem Immunitatis*, ut acta criminalia reipublicæ tempore in eum facta tamquam irrita rescinderentur. A qua instantia rejectus SSm̄um deprecatus est, ut remota suspensione ad rem divinam peragendam, munusque Parochi obeundum reintegraretur. Consultus Episcopus ab R.P.D. Auditore SSm̄i, cū novisset Parochum Bolletta in contermina Diecesi Civitatis Plebis non incedere in hàbitu, & tonsura, nec vitam Clerico decentem ducere, opportunius duxit acta omnia transmittere, quæ una cum precibus Parochi Bolletta ad Sac. hanc Congregationem ablegata fuere ex *Rescripto SSm̄i diei* 1. *Ianuarii* 1801. Pro reintegratione, & rehabilitatione Preces iterans Parochus Bolletta ad Sac. hanc Congregationem, hæc ex Rescripto *diei* 28. *Februarii* 1801. jussit, ut ille sese reciperet in domum religiosam, in qua signa emendationis præberet. Vix per *octiduum* in domo *Cappuccinorum* versatus est Bolletta, iterum gratiam reintegrationis & rehabilitationis postulavit; iterumque ex Rescripto *diei* 28. *Martii* 1801. exquisitum est *Votum* Episcopi ea injuncta conditione, ut si Parochus domum religiosam reliquisset ad illam rediret ad dispositionem Sac. Congregationis. At Bolletta in religiosam domum, quam post octo dies dereliquerat, rursus se recipere recusavit, & Episcopus *Informationem* trasmittere distulit.

Quo factum est, ut reclamante Parocho Bolletta, quasi Episcopus ei denegasset justitiam, oportuit denuo rescribere *die* 8. *Augusti* 1801, ut præfigeretur terminus

nus Promothori Fiscali ad deducendum sua jura in S. Congregatione. Promptum se esse, Episcopus rescripsit, ut *Informationem* remitteret, dummodo Bolletta imperium S. Congregationis audiret, & in religiosam domum concederet. Hæc ubi accepit S. Congregatio jussit per rescriptum *diei* 12. *Septembris* 1801., ut Parochus imperatis obsequeretur. Hinc Bolletta novas porrexit preces ad hoc, ut a S. Congregatione designaretur domus Religiosa in qua posset spiritualibus vacare exercitiis. Id quod arbitrio Episcopi commissum est per rescriptum diei 23. *Januarii* 1802. Obtemperavit tandem Parochus ingrediens de consensu Episcopi domum Congregationis Oratorii, ac proinde Antistes Perusinus Informationem remittens datam *die* 1. *Junii* 1802., superius narrata fusius exposuit, documentisque confirmavit, & tandem ita concludit.

Significem tandem ipsum Bolletta reperiri modo a die 12. *Aprilis sub exibita fideijussione pro victu, penes Patres Congregationis S. Philippi Nerii, & temperanter vivere. Præsumendum tamen ex hoc constantem emendationem haud arbitror. Vetus enim vitium annis plurimis probandum non diebus, vel mensibus exploratum est, & eo vel maxime cum perseverantia non desit infamis amicitiæ cum Rosa Briccoletta, de qua fuse jam supra, & prosequuntur duodecim testes de recenti auditi. Immane prorsus eternumque scandalum Populo eventurum ex hac rehabilitatione pro certo tenendum, quin immo non Populo tantum Parœciæ Rabatta, sed totius Diæcesis, & integræ etiam provinciæ, & ultra, cum agatur de crimine tanta evidentia diffamatum, tanta manifestatione declaratum, ut neutiquam vel occultari possit, vel negari. Additur insuper animi declaratio facta per Bolletta vindictam sumendi acerrimam statim ac restitutus fuerit de omnibus suis adversariis. Addatur decisa Populi oppositio, ardensque contrarium studium secretis suffragiis explicatum & consimile votum Capituli mei Cathedralis tamquam Parœciæ Patroni. Cum agatur de Parœcia minime idonea ad pensionem ullam sustinendam, ejusque titulo de sui natura amovibili fuerit ex indulto speciali ad Sacra inauguratus Orator, nullam aliam rationem in casu amplectendam forte opinari potest, nisi facultatem ipsi elargiri de celebrando etiam sine titulo, donec provisio aliqua sine cura animarum sese offerat.*

Ne causa hujusmodi in vulgus exiret, offensionemque concitaret novo edito Rescripto *diei* 19. *Junii* 1802. mandatum est = *Ponatur in Folio ad manus distribuendo* = Denuo Orator Bolletta insitit poscere, ut sibi fas esset domum religiosam relinquere, cum jam per trimestre spiritualibus exercitiis laudabiliter vacasset ex testimonio Præpositi Congregationis Oratorii, nec haberet unde quotidianas expensas in *obolis quadraginta* supplere posset. Quare die 14. *Julii* 1802. indultum eidem est, ut posset e domo religiosa egredi, dummodo tamen probaret apud Episcopum suam vitæ rationem testimonio Parochi usque dum causa super reintegratione & rehabilitatione proponeretur. Dum ex officio causam *in Folio manuscripto* referre parabam Parochus ipse præsens sua jura deducere postulavit. Ubi hoc rescivit Promothor Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ Perusinæ vadimonium dixit Parocho Bolletta, & causa *sub infrascriptis Dubiis* proponitur utrinque *allegationes* distribuentibus.

I. DUBIUM pertinet ad reintegrationem *della Rabatta* ad Paræciam, & rehabilitationem ad celebrationem Missæ. Contendit Parochus quod Episcopus ad suspensionem procedere non posset, nisi prævia monitione & inquisitione *ex Text. in Cap. si quis* 2. *& Cap.* 4. *de purgat. cononic.* itaut nisi ob grave crimen suspensio infligi nequeat *Monacell. Tom.* 3. *Formul.* 3. *num.* 9. Se autem omni prorsus crimine, sed etiam suspicione criminis carere contendit. Nam absolutus fuit ab imputato *infanticidio*, nec ab alio Judice in eum denuo inquiri potest, ut tradit *Boer. Decis.* 289. *num.* 3. *& Viv. Decis.* 296. *num.* 7. Male vero damnatus fuit pro imputata *armorum retentione*. Nam fuit accusatus Clericus coram Judice laico, ut proinde Episcopus ex hac inquisitione condemnare eum non potest ex *Tex. in C. At si Clericus de Judiciis*. Suspicio vero criminis nullam ex eo judicio exorta est, cum patuit calumnia. Nam illi ipsi testes, qui affirmarunt, quod cadaver sanguine maculatum erat, ingenue fassi sunt, quod ante perquisitionem Fiscalem terram levem, quæ cadaveri erat imposita, sanguine perfunderunt gallinaceo, quo corpusculum macularetur. Testes vero hujusmodi, cum in processu non reperiantur talia loquentes; propterea Parochus contendit, quod transmissus processus

ex-

expilatus sit. Deinde accedit, quod Rosa Briccoletta, quæ parochum de stupro accusaverat, pænitens mendacium postea fassa est, eumque insontem declaravit. Ex quibus concludit, quod judicium illud odio excitatum fuerit, & nullam ei notam infamiæ inurat.

Addit demum, quod jam a quinquennio abest a Paræcia; quod spiritualibus exercitiis vacavit in Recessu *Montis Lugi*, in Conventu *Cappuccinorum*, & in domo *PP. Oratorii*, in quibus per plures menses commoravit, & diutius manere non potuerit attenta paupertate, & veniam a S. Congregatione egrediendi obtinuit. Testimonium Parochi, aliorumque adducit ad ostendendam præsentem vitæ rationem. Affert Parochianorum desiderium *anni* 1801. in scriptis expressum, ut ad Curam regendam iterum preficiatur. Nec tandem sibi obesse putat, si Episcopus in sua *Informatione* affirmet, quod *anno* 1802. per secreta suffragia a Parochianis reprobatus sit, cum actus hujusmodi *in Positione* non reperiatur. Id quod moneo vos pro meo munere EE. PP., falsum esse. Nam Episcopus in sua Informatione transmisit & *in Positione* asservatur actus quo omnes Parrocchiani qui in numero sunt 28. Familiarum legitime vocati Delegati Apostolici auctoritate, convenerunt in numero 23. & nemine discrepante omnes, qui interfuerunt per secreta suffragia Parochum Bolletta reintegrationem postulantem rejecerunt.

Promotor vero Fiscalis non se opponit quoad rehabilitationem ad celebrationem Missæ, sed acriter defendit decretum suspensionis, ne Parochus reintegrationem ad Paræciam consequatur. Duo præcipue probanda assumit; *Primum*, quod justa fuit causa, cur Parochus suspenderetur, *Alterum*, quod nulla sit causa quamobrem sit reintegrandus.

Quoad primum statuit *in jure* quod ubi suspensio non per modum *Censuræ*, sed tamquam *pœna* inflicta sit, tum non requiratur præcedens monitio, ad *Text. in Cap. Romana de Sent. Excommunicat*; Sed satis sit quod Decretum fuerit intimatum, ut tradit *Schmalzgrueber in Jus Ecclesiastic. part. 4. tit. 39. num. 288. Reiffenstuel. in jus Canon. Lib. 3. Decret. Tit. 39. num. 173.*. Tum ex Decreto Tridentini *Sess. 14. Cap. 1. de Reform.* probat, quod Episcopi possint ab officio, & susceptis ordinibus *ex quacumque causa etiam ob occultum cri-*

men, *&* *quomodo libet etiam extrajudicialiter* suspendere, & suspensiones *ex informata conscientia* semper servavit Sac. Congregatio, & præcipue in *Alerien.* 24. *Novembris* 1667. *Lib.* 31. *Decret. pag.* 134., *&* *in Capritana* 16. *Decembris* 1730., *&* *in Oritana, seù Tarentina Attentatorum* 20. *Augusti* 1735.

Hinc duas profert causas suspensionis scilicet *occultum Crimen.*, *&* *Diffamatio*. Quamquam Parochus Bolletta in publica quæstione reus infanticidii accusatus, sententiis judicum liberatus sit; attamen ex indiciis & conjecturis suspiciosissimum erat crimen, ita ut Episcopus, cujus arbitrio permissum est judicare de occulto crimine, potuerit eum suspendere. Conjecturas vero deducit ex mala consuetudine cum Rosa Briccoletta opinione publica comprobata, ex hujus confessione, qua affirmavit se vitiatam ferre ventrem à Parocho Bolletta, ex confessione ipsius Parochi, qui non diffitetur Rosam domi suæ enixam esse se prudente, & probante, & natum puerum vivum in manibus habuisse, & mortuum sepellisse, tandem ex fiscali perquisitione, unde inventus est cadaver pueruli cum secto umbillico, ex quo interfectum fuisse Periti affirmant.

Diffamatum vero fuisse parochum evincunt testes deponentes de prava consuetudine cum mulieribus, de immorigeris sermonibus, & percussionibus Parrochianis illatis. Rursus probant criminales querelæ, processus, præcepta Curiæ Episcopalis, inquisitiones a Republicanis factæ, quæstio in eum constituta de infanticidio, & damnatio ad compedes ob *retentionem armorum prohibitorum*. Ex his omnibus concludit Promothor Fiscalis contractam esse infamiam juris, & facti ad ea, quæ tradit *Schmalzgrueber. in ius Ecclesiastic. part.* 4. *tit.* 37. §. 4. *num.* 165. Unde cum habeatur pro publico Concubinario suspendi merito potuit ab Episcopo, dum ipso jure concubinarii suspendantur *ex Can. Nullus. Can. Præter. Distin.* 32. Sacra vero Congregatio probavit suspensionem ex *informata Conscientia* Parocho inflicta ob pravas mulierum consuetudines, & ob publicam diffamationem in *Perusina Remotionis Vicarii Curati* 26. *Septembris* 1795.

Pergit deinde promothor Fiscalis ad alterum caput, in quo demonstrat, nullam esse causam cur Parochus Bolletta reintegretur Negat enim pænitentiam egisse

sal-

saltem per triennium continuatam, ut necesse esse ad tollendam infamiam tradunt *Pirhing. de temp. ordin. num.* 19: *Vviestner. tit. de pœnis num.* 64. *Schmalzgrueber. in Jus Ecclesistic. part.* 4. §. 4. *tit.* 37. *num.* 174. Abesse quoque contendit vitæ *emendationem*, cum ex Testibus probatur, quod perseveret adhuc consuetudo cum Rosa Briccoletta, & quod Parochus vindictam contra Parochianos animo volutat. Denique, qnod etiam *infamatione* notatur, cum Parrochiani, & Capitulum eumdem indignum judicarunt, qui iterum Pareciæ præficeretur,

II. *DUBIUM* respicit modum, quo Patrimonio, & alimentis Parochi consuli debeat quatenus EE. VV. eumdem a reintegratione ad Parçciam repellant. Nam ordinatus est ad Titulum Paræciç, a qua suspensus est. Gratis asserit Parochus, quod ex fructibus Paræciæ *della Rabatta* redeant annua *scuta tercentum*. Episcopus hoc negat, & vix fructus hujusmodi satis esse affirmat ad stipendium *Æconomi*, cæterasque manutentionis Ecclesiæ expensas. Hinc proponit, ut rehabilitetur *ad Missam*, donec de aliquo beneficio sine cura animarum provideri possit.

Sequuntur dubia dirimenda.

I. *An, & quomodo sit locus reintegrationi ad Parœciam, & rehabilitationi ad celebrationem Missæ in casu &c.*

Et quatenus negative quoad reintegrationem.

II. *An, & quomodo prospiciendum sit patrimonio, & alimentis in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Affirmative ex redditibus Paræciæ, sin minus prout de jure, & Procurator Aloysi acriter moneatur,

Sess.23.cap.12. de Reform.

FANEN. DECIMARUM. Diuturnae litis inter Cives Fanenses,& Comitatus Castra super iniqua onerum repartitione actae finem attulit tum Constitutio Gregorii XIII. *anni* 1577., tum inita inter eosdem *anno* 1589. transactio;eademque suscitavit gravius judicium, qood nuperis temporibus absolutum tandem fuit. Ut enim in Constitutione Gregoriana praescriptum fuit, ita in Transactione conventum, quod bona a Fanensibus possessa in Territoriis Comitatns ad *Catastrum* Civitatis, & vicèversa bona Comitatensium in Territorio Civitatis possessa ad *Extimum* Comitatus censerentur. At postea, cum ex hac censendi ratione multum detrimenti caperent Comitatenses, jussit S. M. Paulus V. in litteris Apostolicis *anni* 1611., ut *collectae*, quae bonis imperantur, in eo loco solvantur, quo bona sita sunt, numquam vero iu loco, quo Possidentes domicilium habent. Nihilominus Fanenses diu, multumque pro exequtione Transactionis dimicarunt, recusantes sub transactionis praetextu collectas solvere Communitatibus Comitatus pro bonis in ejus territoriis possessis. Tandem *anno* 1794. hujus rei cognitio delata est ad Sac. Congregationem Boni Regiminis, quae in strenuo partium conflictu statuit *die 6. Decembris* quod: *allibratio, & collectatio Bonorum esset facienda in loco ubi bona sita erant ad formam Brevis Paulini*, & frustra reclamantibus Fanensibus in hac Sententia praestitit *die* 13. *Junii* 1795., & 26. *Aprilis* 1796. quo die jussa est extensio voti *More Rotali*.quod confirmatum fuit per Breve S. M. Pii VI. datum sub *die* 28. *Aprilis* 1794.

Quo quidem in Voto inter onera Communitatibus solvenda mentio fit *Decimae Parochorum*. Nam ex pervetusta concordia (quae tamen adhuc delitescit) inolevisse asseritur, ut Comitatus Castra *Serrae Ungarinae*, scilicet, *Saltarae,Cartoceti, Barneci, Ripaltae, Puteoli, ac Montis Jani* cum parochis convenerint, praestandas esse loco decimarum certas frumenti quotas, quae ab ipsis Communitatibus in Possidentes tribuebantur. Hinc Communitates Comitatus post rescissam ex Sententia Sac. Congregationis B. Regiminis transactionem, cum Decimas imperassent Possidentibus quoque Fanensibus, horum alii decimas pensitarunt, alii acriter obstiterunt contendentes se omnino immunes ab hoc onere Decimarum declaratos fuisse

ex

ex Re judicata *A. C. Amadei*. Nam *anno* 1745. urgente Communitate *Serræ Ungarinæ* Cives Fanenses pro decimarum solutione, isti ab eodem A. C. Sententiam obtinuerunt Manutentionis = *in possessione seu quasi libertatis non solvendi decimas, reservato jure tum super petitorio, quam super observatione, & exequtione transactionis* 28. *Martii* 1589. = Postero vero *anno* 1746. Judicium petitorium coram eodem A. C. absolutum est altera Sententia, qua definitum = *nullum jus, nullamque actionem competiisse, & competere dictæ Communitati petendi contra Cives Fani decimarum solutionem pro bonis, quæ ab illis possidentur in Territorio Serræ Ungharinæ, reservato jure favore Parochi Serræ Ungharinæ pro solutione decimarum prout &c. quatenus de jure*.

Sententia hujusmodi nacta vires Reijudicatæ delata est in gradu *Restitutionis in integrum* ex Decret. R. P. D. Auditoris SSmi primum ad S. Rotam, mox instantibus Communitatibus ad S. hanc *Congregationem*. Exquisitum est Votum Episcopi Administratoris Fanensis, qui remisit *Informationem R. P. D. Antonii Gabrielis Severoli Nuncii nunc temporis Vindobonæ, quam ad Sac. Congregationem Boni Regiminis olim direxit*. In qua quidem R. P. D. Severoli Episcopus Fani utrinque rationes affert, & tandem concludit = *Se abrogata la Transazione gli altri pesi tutti inerenti alla libra sono ritornati al dritto delle Communità del Contado, così deve pur esservi tornata la decima, quale medesimamente appartenente all'esito Catastrale, e che deve intendersi compresa sotto il nome generale de Pesi communitativi espressi nella Sentenza difinitiva del B. Governo*. Hinc concordatum est Dubium *super restitutione in integrum*, qnod licet absir procul a more, institutoque hujus Sac. Congregationis; attamen hæc formula vitari non potuit, semel ac ex Rescripto R. P. D. Auditoris SSmi præscripta fuit.

Ex *allegationibus* de more distribuendis cognoscere poterunt EE. PP., quæ utrinque afferuntur ad infirmandam, vel confirmandam Rem judicatam A. C. Amadei. *Comitatenses* enim contendunt, quod abrogari oporteat tamquam injusta ea Resjudicata, unde prorsus deletur jus illud decimandi, quod Parochi habent ex dispositione juris *in Cap. Ex transmissa* 23. *de decimis, & in Trident. Sess.* 23. *Cap.* 12. *de Reform.*, ut sci-

scilicet ipsi decimas exigere possint super omnibus prædiis in districtu pareciæ sitis sive ab indigenis qui incolunt Pareciam, possideantur, sive ab alienigenis, qui alio lares fixos habent, ut post *Text. in Cap. Cum contingat* 29., & *in Capite Cum* 30. *de decimis* tradunt *Fagnan. ibidem num.*21. *Phiring. in jus Can. tit. de Decim. num.*25. *Rota in Corduben. Decimarum* 25. *Junii* 1751. §.3. *coram Molino*. Neque exemptionem a solvendis decimis prodesse posse contendunt Civibus Fanensibus, sive ex transactione deducatur, sive ex longæva observantia.

Etenim cum Breve Gregorianum super *allibratione* bonorum in loco domicilii, sublatum fuerit per posterius Breve Paulinum, quo bona censenda esse jubentur in loco, quo existunt; ita transactio, quæ Gregoriana Constitutione nitebatur, omnino irrita declarata est ex Rejudicata Congregationis B. Regiminis. Hinc contraria observantia, & exemptio cadat oportet, vel quia resolutus est titulus transactionis, unde derivabat, ut statuit Votum S. Congregationis *B. Regiminis* §.14., vel quia hæc exemptio cessat quando in aliorum gravamen, & perniciem vergit. *ex Text. in Cap. Suggestum de Decim. Card. de Luca Discurs. de Regul. num.*8. *Rota post de Vecch. ad Bon. Regim. decis.* 89. *num.*7., vel tandem, quia jam Fanenses sicuti alia onera Communitativa, a quibus per immemorabile tempus cessabant ante Rem judicatam S. Congregationis B. Regiminis, persolverunt Communitatibus Castri post rescissam transactionem; ita quoque pensitare debent decimas, quæ inter Communitativa onera ex concordia cum Parochis accensentur. Ex quibus deducunt, quod Decimæ a Fanensibus solvendæ sint *juxta repartimentum*, quod a Communitatibus pro decimis, ut pro aliis oneribus fieri solet. Ad tempus quod pertinet satis est Communitatibus si Decimæ persolvantur *ab anno* 1797., quo tempore post Rem judicatam S. Congregationis B. Regiminis nonnulli possidentes Fanenses decimas præstarunt.

Fanenses vero exemptionem a solvendis decimis, & Rem judicatam A. C. Amadei defendunt ex Immemorabili quam deducere contendunt ex eo, quod Comitatenses numquam demonstrent ante Breve Gregorianum, & transactionem *anni* 1589. decimas hujusmodi persolvisse, & post transactionem ipsi Comitatenses faten-

tentur, quod numquam eas a Fanensibus exegerint. Exploratissimi vero juris est, quod Immemorabilis tribuat exemptionem a prestatione Decimarum *Cap. 1. de Prescript.*, & alium quemcumque meliorem titulum ad possessionem confovendam, ut statuit *Rota passim*, *& præcipue decis.* 57. *num.*3. *cor. Emo Roverella*. Negant porro, quod Res judicata A. C. Amadei nitebatur transactioni *anni* 1589., ut hac corruente, & Res judicata corruat. Nam in Sententia ab eodem A. C. lata super *manutentione* reservatur jus = *agendi tam super petitorio*, *quam super observatione*, *& exequtione transactionis* 28. *Martii* 1759. Dum itaque fuit distinctum petitorium a transactione, patet, quod tum Fanenses titulos omnino a transactione diversos proposuerint, adeoque Res judicata transactioni non innititur. Deinde ex Transactione Fanenses hoc consequti erant, ut bona in Comitatu possessa describerentur in Censu Civitatis, unde sequebatur quod Comitatenses non possent ab eis onera exigere. Cum autem jus exigendi decimas non prodeat a Catastro, sed a possessione Prediorum infra limites Parçciæ, profecto transactio obstare non posset decimarum præstationi. Quare si nihilominus Res judicata Fanenses absolvit a præstatione decimarum, videtur certe, quod isti alios validiores titulos protulerint.

Hæc habent Fanenses ut se in possessione non solvendi decimas defendant. Addunt præterea, quod nullam actionem nunc Comitatenses exercere possint, ut Fanenses adigant ad solvendas decimas. Nam post rem judicatam ab A. C. Amadeo latam *anno* 1746. effluxi sunt anni ultra quinquaginta, ac proinde omnis actio sublata videtur, cum *ex quadragenaria* una cum titulo saltem *colorato*, ut ajunt, jus decimandi præscribatur ut tradit *Antonell. de temp. legal. lib.*2. *Cap.*57. *n.* 18. *Schmalzgrueber in Jus Ecclesiastic. Lib.*3. *part.* 3. §. 3. *num.*63. *Rota in Recen. decis.* 191. *part.*19. *decis.* 142. *num.*13. *cor. Molines*. Neque hæc actio restituta est ex Rejudicata Sac. Congregationis B. Regiminis. Nam ex ea tum demum declaratur, quod a Fanensibus onera solvenda sint Communitatibus Comitatus, quatenus eadem onera legitime, indicta sint. Negant porro Fanenses, quod decimarum solutio legitime imposita fuerit. Nam Communitates tamquam *personæ laicæ* easdem imponere non poterant vetante *Extravagan.*

Prohibemus de Decim. Parochi vero licet ex jure Decimas prædiales exigere possint, non tamen constat, quod jus suum in Communitates transtulerit, cum opposita concordia non exhibeatur, ut proinde Communitates jure Parochorum uti nequeant.

Ex his quæ utrinque disputantur, EE. VV. deliberandum proponitur.

An constet de Re judicata 4 C. Amadei, seu potius de Causis restitutionis in integrum, ita ut quomodo, & a quo tempore, & in qua summa debeantur Decimæ Communitatibus Comitatus Fanensis ex jure Parochorum a Fanensibus in illarum Territoriis bona possidentibus in casu &c.

Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, & deberi decimas ab anno 1797. juxa repartimentum.

Ses. 21. cap. 4. de Reform.

ANCONITANA DISMEMBRATIONIS. Quæ hodie est in Urbe Anconæ Paræcia *di S. Giovanni* nuncupata, olim D. Claudio dicata fuit. Hæc ab *anno* 1646. imperante S. Pontifice *Paulo III.* ex seculari facta fuit Regularis, & addicta Canonicis Lateranensibus. Late patebat hujusmodi Paræcia nedum per Urbem Anconę, sed etiam per suburbium, & agrum usque ad regionem *Montis Angeli*, vulgo ut ajunt *Montagnolo*, & jura matricitatis exercebat supra Paræciam *S. Mariæ Gratiarum* extra Portam *di Capo di Monte* sitam, unde nati Infantes deferebantur ad fontem Paræciæ S. Joannis, ut Baptismate abluerentur. In tam populosa Paræcia Canonici Regulares, ut singulis adessent, ab *anno* 1579. Cappellanum amovibilem constituerunt in Regione *di Montagnolo*, ut omnibus illis ruricolis Spiritualia subsidia ministrarent, & Canonici per Parochum Regularem cum Sacerdote coadiutore Paręciam Urbanam, & Suburbanam regebant; Ne vero iis, qui in Suburbio habitabant, assistentia deesset in casibus inopinis, *anno* 1653. cum Parocho S. Mariæ Gratiarum convenerunt, ut nocturno tempore Sacramenta Suburbicariis incolis presta-

staret. Gravia quidem onera habebat Parochus S. Joannis, sed abbundantem quoque congruam consequebatur, tum ex fundis in hanc causam Paræciæ assignatis, tum ex decimis, quæ percipiebat in agro, & *incertis Stolæ*; tum demum ex reditibus cujusdam Pii operis *di S. Claudio*, qui partim in missas, partim in expensas ceræ, olei, Supellectilium pro Ecclesia Parochiali S. Joannis erogabantur.

Quo factum est, ut ab iis, qui in suburbio incolebant, numquam quærela excitata sit, incommodum sibi esse ad Pareciam S. Joannis venire, nec sacramentis umquam destitutos decessisse probatur. Anno tamen 1797., occupata Ancona, Canonici Regulares una cum Parocho expulsi sunt. Censuit cl. me. Emus Ranuzzi in ea Paræcia præficere Economum, idque muneris dedit Præsbitero Carolo Cioccoli. Postea tamen pro temporum conditione maluit idem Episcopus, Paræciam facere Secularem, & indicto concursu *die* 3. *Februarii* 1798. idem Præsbiter Cioccoli fuit approbatus, & verus Parochus institutus. Cum Parochus in possessione versabatur, in eum consilium venit Episcopus, ut Paræciam S. Joannis dismembraret, & Cappellanum amovibilem *Montagnoli* constitueret tamquam perpetuum Parochum, novamque Paræciam in Ecclesia *S. Mariæ Liberatricis di Posatore* erigeret, assignato huic novæ Paræciæ suburbio, & parte agri *di Montagnolo*. Ita factum est per Decretum Episcopale *diei* 7. *Aprilis* 1798. latum minime citato Parocho S. Joannis Præsbitero Cioccoli. Hinc præmisso concursu in nova Paræcia *di Posatore* constitutus fuit Parochus Sacerdos Marinelli, in illa vero *di Montagnolo* perpetuus confirmatus fuit Parochus Præsbiter Bucciarelli, qui antea erat Cappellanus Curatus. Utrique novo Parocho in causam congruæ datæ fuerunt Decimæ Prædiales. Ex hac vero dismembratione, licet Parocho S. Joannis reliqua esset pars Urbana Paræciæ, attamen carebat congrua. Nam sublatis decimis ex agro, & venditis à potestate laica fundis, quæ pro congrua possidebat, tenuissima restabant incerta, unde onera præstare non poterat.

Liberata Ancona ab invasione, Parochus Cioccoli reclamavit ad Emum Ranuzzi, qui ei assignavit scuta *triginta* in menses singulos solvenda ex administratione bonorum Ecclesiasticorum. Sed ex Pontificio Edicto re-

restitutis bonis Ecclesiasticis ad possessores veteres, cessavit Parochus a percipiendis assignatis scutis *triginta*. Itaque, ut de congrua provideretur egit primum apud Canonicos Lateranenses, sed isti in summo rerum suarum discrimine nonnullas domus, & census ei cesserunt. Sed Parochus adhuc congrua se carere putans, impetrata a SSmo confirmatione in possessione Paræciæ, deprecatus est a S. Congregatione reintegrationem ad primæva jura parrocchialia ex eo, quod dismembratio aperte nulla sit. Modernus Episcopus Administrator Anconitanus in sua *Informatione* narrata confirmans votis Parochi suffragatur. Nam Parochus *Montagnoli*, & Incolæ a Paræcia dismembrati annuunt reintegrationi, & unus Economus novę Paræciæ Posatoris (nam Parochus ab officio remotus est) huic reintegrationi repugnat. Nihilominus Episcopus necessarium esse ducit, ut Parochus Cioccoli reintegretur, modumque proponit quo id fieri posset = *Ita* (ait) *sentirem, ut scilicet Ecclesia divi Joannis ad sua jura reddatur, illisque, ut antea gaudeat cum novo tamen onere aliquid subministrandi Cappellano Societatis S. Mariæ Posatoris, quia Populo, & ab ipsa Societate vix de necessariis ad vitam providetur ut opem ferat Parocho Montis Angeli quoad omnia, quæ necessaria sunt ad spiritualem utilitatem partis rusticæ Ecclesiæ Posatoris*.

Cum nullus adfuerit, qui contradictionem pararet, proponitur nunc causa unico Informante Parocho Cioccoli per impressum *Memoriale* EE. VV. distribuendum. Agitur de dismembratione, novarumque Paræciarum erectione facta ab Ordinario, cui ex Tridentino *Sess.* 21. *Cap.* 4. *de Reform.* datur facultas, ut tamquam delegatus Apostolicus procedat ad dictas dismembrationes etiam *invitis rectoribus*. Idcirco si concurrunt causæ idoneæ ad dismembrationem, ea quidem servanda est licet inaudito Parocho facta. Causa vero concurrere videtur statlm ac agebatur de Paræcia, quæ late patebat per agrum, ita ut remotiones incolæ ab Ecclesia duobus lapidibus distarent. Satis enim reputatur distantia *duplicis Milliaris*, ut dismembratio fiat teste *Fagnan. in Cap. ad Audien. de Eccles. edifican. num.* 19. *Pirihing. in jus Canon. Cap.* 16. *num.* 31., & S. Congregatione *in Ariminen. Erectionis Paræciæ* 18. *Junii* 1789., *&* *in Placentina Dis-*

Dismembrationis 28. *Maij* 1791. Quare si justa concurrente causa facta videtur dismembratio locus esse non potest reintegrationi. Maxime cum Parochus S. Joannis non prorsus careat congrua. Nam ex incertis, & ex bonis ei cessis à Canonicis Lateranensibus percipiat annua scuta 235. 43., quæ longe excedunt congruam conciliarem.

Contra hæc Parochus Cioccoli in *suo Memoriale* hoc primum *in jure* statuit, quod si aliter dismembratio fiat ab Episcopo, quam a S. Canonibus præscribitur, scilicet adhibitis solemnitatibus, & ex justis causis, dismembratio ipso jure irrita sit, ut post *Text. in Can. sine Exceptione caus.* 12. *quæst.* 2. *Cap. Dudum de Reb. Eccles. non alienan. tradunt Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 2. *Reclus. de Re Parochial part.* 1. *tit.* 12. *num.* 55., & S. Congreg. *in Derthonen. Dismembrationis* 5. *Aprilis* 1732., *&* in *Cassanen. Dismembrat.* 3., *&* 17. *Septembris* 1740., *& in Materanen. Dismembrationis* 9. *Septembris* 1741. Inter solemnitates requiritur consensus Capituli Cathedralis ex *Text. in Cap.* 1. *de his quæ fiunt a Prælat.*, & citatio Parochi ex *Text. in Cap.* 1. *de reb. Eccles. non alienan.* Quamquam vero a Tridentino permittatur dismembratio etiam *invitis Rectoribus*; attamen non ex hoc excluditur, quod citandus sit Parochus, ut illo prorsus inaudito dismembratio decernatur quemadmodum definivit S. Congregatio *in Materanen. Dismembrationis proposita die* 24. *Ianuarii ann.* 1738., *& resoluta die* 9. *Septembris* 1741.

Præterea contendit *in facto* quod nulla fuit causa, quamobrem dismembratio fieret. Nam remotioribus incolis *di Montagnolo* consultum erat per Cappellanum Curatum jam *ab anno* 1579. constitutum. Qui vero in suburbiis habitabant non multum ab Ecclesia Parochiali aberant, & via non erat aspera, sed plana. Remota vero magna difficultate itineris, & incommodo Parochianorum deficit causa, cur jure dismembratio expleatur, maxime cum per duo fere secula nulla fuerit Parochianorum quærela, nec constet, quod ullus Sacramentis destitutus occubuerit ut tradunt Canonistæ *allegat. per Fagnan. in Cap. ad Audientiam de Eccles. edifican. num.* 8., & definivit *S. Congregatio in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis* 8. *Mart.* 1732. *in Asculana* 11. *Aprilis* 1739. *ad I. Dub.* quibus addi po-

potest recentissima *Resolutio in Anconitana Dismembrationis* 12. *Februarii nuper elapsi* .

Deficientibus vero solemnitatibus, & causis ad dismembrationem necessariis, cum ea irrita sit, hinc danda est reintegratio, quam Episcopus, & Parochus Montagnoli probant, & Incolæ expostulant, atque necessitas succurrendi Pareciæ S. Joannis veluti exigat. Nam ex calculo a Parocho exhibito (in quo tamen videtur nimis gravis impensa pro alimentis) patet, quod licet ipse percipiat annua scuta 235. 43., nihilominus, ut omnibus oneribus faciat satis in scutis annuis 532. 40. in damno quotannis versatur in *scutis* 296.97. Hæc vero suppleri poterunt si recuperatis primævis juribus decimas ex agro Parochus percipiat.

Ad *modum* quod attinet Episcopus proponit, ut Cappellano Posatoris aliquid detur a Parocho S. Joannis, ut adjuvet Cappellanum Montagnoli. Verum hic semper idoneus fuit, ut solus ruricolis Sacramenta ministraret, nec proinde necessarium sit Parocho S. Joannis novum onus imponere.

Dubium hinc emergit.

An sit servanda dismembratio, seu potius sit concedenda reintegratio Parocho S. Joannis, & quomodo in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta votum Episcopi Administratoris.

Ses. 25. *Cap.* 4. *de Reform.*

ALATRINA CESSIONIS. Domum prorsus dirutam (seu ut ajunt *Casalino*) EcclesiæParocchiali S. Laurentii Civitatis Alatrinæ adjunctam, & *scuta duodecim* a Peritis estimatam *anno* 1708. Parochus ejusdem Ecclesiæ Præsbiter Silvester Pizzotti implorata ab Ordinario facultate Julio Lazzari concessit in Emphitheusim *ad quartam generationem masculinam*, & *fœmininam*. In Instrumento investituræ præcipue conventum fuit, ut Emphitheuta intra quinquennium domum habitationi aptam a fundamentis extrueret, annuumque canonem in *Juliis sex* post triennium a stipulato Instrumento ipse pensitaret, & deinceps descen-

gendentes ejus. Datam Lazzarus fidem præstavit. Nam vix elapso quinquennio domus reædificata incoli poterat, semperque Parochi canonem exegerunt a descendentibus Julii, cujus tertia nunc vigens generatio constat ex duobus robustioris ætatis viris, qui jam prolem susceperunt.

Hujus domus valor nunc a Peritis statutus est *ad scuta* 312., sed duo adhuc supersunt generationes extinguendæ antequam Emphiteusis expiret, & Domus ad Ecclesiam devolvatur. Modernus vero Parochus Præsbiter Bernardinus Pecci caret Parochialibus ædibus, nec modum habet ullum, ut eas sibi vel conducto comparet. Ne igitur extra Paræciam contra Canonum Censuram resideat, actum est, cum Emphitheutis = *di cedere liberamente alla Chiesa, ed al Parocho due Camere abitabili con obligo di ridurle al piano medesimo della Chiesa, purchè vengano essi esentati da qualunque canone, e li venga rilasciato libero il restante della Casa*. Placuit utrinque conditio, eamque probavit Vicarius Capitularis in sua *Informatione*, quam S. Congregatio exquisivit super præcibus a Parocho Pecci porrectis, ut approbationem hujus reciprocæ cessionis deprecaretur. Verum cum constitisset integram domum estimari *scuta* 312., & gemina cedenda cubicula *scuta* 133., visum est EE. EE. quod reliqua *scuta* 179. quæ Emphitheutis libere cedebantur damno Ecclesiæ essent adscribenda. Quare Instantia hujusmodi proposita in Congregatione diei 21. *Augusti* 1802. per *Summaria Precum* demissa est Rescripto = *Non expedire* =

Ut igitur ab Ecclesia omne averteret damnum Parochus Pecci ab Emphitheutis obtinuit, ut præter duo Cubicula solverent præsenti pecunia *scuta triginta*, quæ in investimentum, multiplicumque erogata spatio *annorum* 38. summam scutorum 179. adamussim exhiberent. Iterum nunc Parochus pro approbatione supplicat. Episcopo arrident conditiones hujusmodi, & superius exposita confirmans *Votum* suum in hæc verba concludit = *Annuendum censeo petitioni Oratoris prout humillime deprecor EE. VV. concurrente evidenti utilitate Ecclesiæ, & commodo habitationis Parrochialis, quod est maxime proficuum, & necessarium*. Causam *in Folio* referre statui, quo explicatius EE. VV. rei circumstantias noscere possint.

Cum

Cum in omni contractu in quo de interesse agitur Ecclesiæ, utilitas præcipue, & necessitas spectanda sit, ut ad censuram *Extravagan. Ambitiosæ de Reb. Eccles. alienan. vel non* tradit *Card. Petra Comment. ad Consit- D. Leonis sect.* 3. *num.* 1. *tom.* 1., & S. Congregatio *in Beneventana Beneplaciti* 17. *Julii* 1794., idcirco *in Congregatione diei* 21. *Augusti* 1802. rejecta fuit cessio inter Parochum, & Emphitheutas ineunda, quia de Ecclesiæ utilitate non constitit. Quantum enim moderno Parocho prodesset cessio unius, & alterius cubiculi, ut ædes propter Ecclesiam Parochialem haberet, tantum damnosa eidem Ecclesiæ futura erat cessio reliquę domus: Hæc enim estimata est *scuta* 312., & Ecclesia jam super integra domo ræedificata dominium directum quæsivit, & post finitam quartam generationem utile etiam dominium consequetur. Quare si pro duobus cubiculis, quorum valor est in *scutis* 133. amitteret integram domum valoris *scut.* 312. jam in damno versaretur pro *scutis* 179., quot subductis *scutis* 133. *a scutis* 312. supersunt. Præterea privaretur annuo canone, & Successores amplioribus ædibus, ex quibus utilitas Ecclesiæ procul abesse videbatur.

Verum EE.VV. ponderanda propono quæ Parochus mihi in scriptis exhibuit, ut demonstret ex præsentibus conventionibus omne Ecclesiæ detrimentum fuisse sublatum. Nam contendit quod *scuta triginta* ab Emphitheutis nunc præstanda per multiplicum faciendum exhibent scuta illa 179., quę Ecclesia ammitteret, quęque erit consequtura multo ante, quam devolutio eveniat. Viget enim nunc tertia generatio constans ex duobus viris, qui jam sobolem habent. Superest præterea quarta generatio ita ut nisi inopinus casus acciderit multi etiam anni decurrere deberent, antequam *pactionatæ* exarescant generationes. Nam si vitæ humanæ eventus censeatur ad normam illam, quam pręscripsit Juris dispositio *in Leg. Hæreditatum ff. ad Leg. Falcidiam*, certe quidem sexaginta saltem adhuc currere debent anni antiquam Ecclesia devolutionem ob lineam finitam obtineat. At si probetur cessio hujusmodi, multo ante Ecclesia integrum valorem domus consequetur. Etenim nunc statim obtinet

tinet dua cubicula valoris *scutorum* 133. , & reliqua 179., quæ deficiunt integro valori domus intra curriculum 38. annorum ex multiplico habebit. Quare si nil Ecclesiæ subtrahitur quoad Capitale, si breviori tempore, quam in Investitura conventum est hoc ipsum consequitur, concludit Parochus, quod utilis hæc cessio Ecclesię videatur. Quamquam vero Canonem juliorum sex quotannis prestandum remittat; attamen nil ex hoc detrimenti capere Ecclesia videtur, cum habeat usum duorum cubiculorum, quæ certe pluris, quam *Julios sex* estimanda sunt.

Nedum vero utilem, sed etiam necessariam hanc cessionem dicit. Nam Parochus, *cui ex Tridentino Sess.23. Cap. 1. de Reform.* injunctum est residentiæ onus, Parochiales ædes non habet, easque sibi comparare non potest. Ex cessione vero cubiculorum domum aquireret, S. Canonibus satisfaceret, ut proinde necessaria etiam cessio judicanda sit, cum alio modo residentiæ Parochi consuli nequeat. Ex his dubium proponitur.

An, & quomodo sit probanda cessio in casu &c.

Affirmative juxtam votum Episcopi, qui curet de annuali adimplemento multiplici.

TERRACINEN., SEU PRIVERNEN. APPROBATIONIS CONCORDIÆ, ET SUSPENSIONIS ONERUM. Fertur Sacerdotem Paschalem Benvenuti testamento anni 1732. hæredem nuncupasse Sebastianum Benvenuti, cui substituit ejus Filios Masculos exclusis prorsus fæminis. Linea vero Sebastiani perempta, idem Testator vocavit Tiburtium Zaccaleoni, ipsiusque filios masculos. Quibus constaret bonis as Paschalis Benvenuti, quantique estimaretur, latet omnino. Hoc compertum est, quod inter jura hæreditaria Sacerdotis Paschalis recensetur Juspatronatus Capellæ, & Cappellaniæ S. Catharinæ Senensis nuncupatæ, & erectę in Cathedrali Privernensi. Delitescit vero hujus Cappellaniæ Fundatio, nec satis constat est quot fructus ex bonis pro fundo assignatis *Ses.3.Cap.24. de Reform.*

redirent. Episcopus tamen, cui plurimum est deferendum, affirmat fructus annuam summam scut. 56. attingere, onera vero injuncta duo precipua esse; Scilicet Missas *quatuor* supra *centum* (quibus ad manualem in obolos *quindecim* celebrandis necessaria est annua impensa *scut.* 15. 60.), & subsidium dotale in scutis *quindecim* annis singulis representandum. Præterea supputandæ sunt expensæ annuæ pro cera, vino, & oleo in sc. 2. 61 ½, & tributa in sc. 6. 78. ½. Hisce omnibus, & oneribus, & expensis subductis, Cappellano libera *scuta* 16. quotannis supersunt. Ad hanc Cappellaniam Sebastianus Benvenuti primus hæres nominavit Sacerdotem Liberatorem Trulli, qui imposita onera ad hanc usque diem sedulo præstavit.

Fatiscente autem Ecclesia Cathedrali Priverni oportuit eam denuo restituere. Capitulum compulit omnes Patronos Cappellarum, ipsosque Cappellanos, ut suis sumptibus parietes Cappellis adhærentes edificarent, Cappellasque constituerent. Unus Sebastianus Benvenuti Patronus Cappellæ S. Catharinæ, & Præsbyter Trulli Cappellanus repugnavit, ita ut ex judicato *A. C.*, & S. Rotæ sub pæna caducitatis fuerunt compulsi ad solutionem *sc*75. pro expensis a Capitulo factis in constructione parietum, simulque adacti ad internam Cappellarum constitutionem. Dum hæc agebautur, moritur Sebastianus Benvenuti nulla relicta sobole Fridericus Zaccaleoni Tiburtii filius, qui ex scripta substitutione ad hæreditatem Præsbyteri Paschalis succedere debebat, rem omnem cum Capitulo composuit stipulata transactione, in qua ille spondidit impensas omnes facturum pro constructione Cappellæ; Capitulum vero jura omnia cessit, quæ sibi in Sebastianum, & Trullum competebant. Quæ in hac transactione promisit Zaccaleonus, adhuc non præstitit. Nam primum Fenicola Benvenuti Sebastiani soror obstitit, ne Zaccaleonus bona Fideicommissaria Paschalis consequeretur: Sed postea ab incæpto recessit, & Zaccaleonus in possessionem eorum bonorum pervenit.

Post hæc Cappellanus Trulli jam senescens, cum Zaccaleono convenit per publicum Instrumentum *die* 12. *Octobris* 1801. stipulato, ut reservato Apostolico Beneplacito ipse Zaccaleonus suscipiens bonorum Cappellaniæ administrationem, quoad Cappellanus sospes

esset

esset, onera omnia impleret, suisque sumptibus Cappellam ædificaret, & expensas a Capitulo factas pro constructione parietum solveret, & tandem eidem Cappellano subministraret *Annua Scuta* 25., & in ipso stipulationis actu *sc.* 50. Trullus consequutus est, & alia *sc.* 50. eidem promissa fuere, statim ac Fundi Cappellaniæ = *restassero liberi da ogni colonia* = Hinc Zaccaleonus SSmo dedit preces, quæ huic Sac. Congregationi remissæ fuere, ut deprecaretur tum approbationem Transactionis cum Trullo stipulatæ, tum etiam suspensionem Missarum, & Subsidii dotalis, ut reditus hujusmodi per decennium fere erogarentur in expensas pro reædificatione Cappellæ necessarias ad ad *scuta* 707. juxta ac Periti æstimarunt: Utrique instantiæ favet Episcopus *in sua Informatione*, dum ait = *videtur ejus petitioni esse indulgendum, ut nempe Apostolicum Beneplacitum concedatur super contractu transactionis initæ cum Liberatore Trulli, & per decennium suspendantur onera* =

Hæc autem controversia omnis per Rescriptum *diei* 15. *Januarii* 1803. relata est ad Emum Pacca= *qui dignetur rem perpendere, & votum suum aperire* = Qui cum summa sedulitate, & doctrina rem illustrasset Votum suum remisit, ex quo decerpsi narrata hactenus *in facto*, & quæ *juris* sunt EE. Patres recognoscere poterunt ex ipso Voto, quod ad litteram oculis subjicio.

„ Duo examini nunc subjicienda erunt, ac primo quidem expendamus oportet *An probanda sit transactio* Cappellanum inter Trullium, ac Fridericum Zaccaleoni inita; deinde vero ponderandum Nobis erit *An locus sit suspensioni onerum Cappellaniæ per decennium, eorumdemque erogationi in reædificationem Cappellæ*.

„ Quod ad primam quæstionem attinet censerem respondendum *affirmative*; ac beneplacito Apostolico transactionem, de qua agitur esse roborandam, *tum* quia utilitatem Cappellaniæ affert; *tum* quia illicitas pactiones eamdem præseferre non videtur, *tum* denique quia transactio bona fide inita fuit. Utilis dijudicanda erit Cappellaniæ transactio. Cappellanus namque Trullius, uti in facti serie animadvertimus, provectæ est ætatis, atque moram degit in Civitate Verulana, quæ longe distat a territorio Priverni, in quo bona Cappellaniæ continentur.

 „ Fieri

„ Fieri autem nequit, ut vetulus iste rectæ bonorum
„ administrationi innitatur. E contra vero Fridericus
„ Zaccaleoni non solum in Civitate Priverni, in qua
„ ortum suum duxit, moratur, verum etiam Patroni
„ munere fungitur. Hic itaque tum ratione loci, ac
„ domicilii, tum etiam vi juris patronatus, quo pol-
„ let, rectam bonorum administrationem gerere te-
„ netur. Quis autem est qui ignoret ex recta bono-
„ rum procuratione non modicam utilitatem Cap-
„ pellaniæ inferri?

„ Quæ attulimus, majorem vim obtinent, ac firmita-
„ tem, si animadvertamus, ex cessa bonorum admi-
„ stratione nullum præjudicium irrogari oneribus
„ a testatore statutis. Cum Cappellaniæ erectio defi-
„ ciat, uti in facti serie monuimus, onera Cappel-
„ laniæ inhærentia ab usu, atque a consuetudine ad
„ hanc usque diem servata eruenda erunt. Jam vero
„ Trullius primus inter Cappellanos, cui Testatoris
„ voluntas apprime perspecta erat, Missas 104. in sin-
„ gulos Annos celebravit, annuamque dotem scuto-
„ rum 15. Puellæ sibi benevisæ persolvit. Fridericus
„ autem v cessæ administrationis sese obligavit Le-
„ gatum Missarum præstare, dotemque Puellæ quot-
„ annis conficere, ibi = *Restando a carico di esso Si-*
„ *gnor Federico non solo, ma suoi &c. la soddisfazione*
„ *del Legato di Messe, e dell' annua dote, di cui essa*
„ *Cappellania, è gravata* =

„ Quid? quod transactio illicitas pactiones nullo modo
„ præseferre videtur? Scio equidem, *Concilium Tri-*
„ *dentinum Ses. 25. de Ref. Cap. 9. num. 8.* statuisse,
„ *ut Patroni beneficiorum cujuscumque ordinis, & di-*
„ *gnitatis, etiamsi Communitates, Universitates,*
„ *Collegia quæcumque Clericorum, vel Laicorum exi-*
„ *stant, in perceptione fructuum, proventuum, ob-*
„ *ventionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi*
„ *vere de jure Patronatus ipsorum ex fundatione, vel*
„ *donatione essent, nullatenus, nullaque causa, vel*
„ *occasione se ingerant, sed illos libere Rectori, seu*
„ *beneficiato, non obstante etiam quacumque consue-*
„ *tudine, distribuendos dimittant?* Ex quo quidem
„ Tridentini præscripto erui forte posset, illicitam,
„ renunciandam esse cessionem administaationis,
„ quum Cappellanus Trullius erga Fridericum Zac-
„ caleoni Patronum explevit. Verum si res æquate,

„ ut

„ ut par est examini subjiciatur, adfirmandum sanè
„ erit, *Tridentini* Censuram locum in re nostra haud
„ quaquam obtinere, *Tridentinum* namque eo loci
„ patronis prohibet, ne post expletam præsentatio-
„ nem in bonorum possessionem, ac fructuum per-
„ ceptionem persequantur; Sed utramque Rectori,
„ seu Beneficiato dimittant. In re autem nostra ipse-
„ met Rector, seu Cappellanus tum ob provectam,
„ qua præmitur ætatem; tum etiam ob loci distan-
„ tiam, administrationem bonorum Patrono cedit,
„ ne Cappellaniæ redditus ob non rectam procura-
„ tionem deteriores evadant. Alter itaque casus ab
„ altero longe discriminatur, quæque in *Tridentino*
„ statuta sunt, ad causæ nostræ decisionem trahi
„ nullo pacto possunt. *Casus* enim *consideratus* (ut
„ verbis utar *Sac. Rotæ in Bononien. Successionis* 10.
„ *Decembris* 1766. §.10. *coram bon. mem. Olivatio*) *non*
„ *pertinet*, *aut traducitur ad casum non prævisam*, =
„ cui apprime cohærent *Mans. cons.*283. *num.*3. *ea-*
„ *dem Rota coram Ratto decis.*11. *num.*10., *&* *in Fo-*
„ *rosempronien. Legatorum super Fideicommisso Ty-*
„ *berii* 1. *Julii* 1718. §. *Constant coram clar. mem. Al-*
„ *dovrando*.

„ Rationem adducit *Barbosa*, quia nempe Concilium
„ Tridentinum eo loci illegitimum modum perceptio-
„ nis fructuum in Patronis reprobat, uti ostendit
„ Verbum, *ingerant*: Si ergo fructuum perceptio a le-
„ gitimo titulo ortum suum ducit, adfirmandum sane
„ erit *Tridentini* decretum ad hunc titulum a jure,
„ seu lege probatum vires suas minime exerere; uti
„ optime ratiocinatur circa locationis contractum *in*
„ *coll. doct. in lib.*3. *decretal. ad cap. præterea de jure*
„ *Patron. num.*6., *&* *clarius in coll. doct. ad Concil.*
„ *Trident. cit. sess.*25. *cap.*9. *de Ref. num.*76. ibi *&c.* =
„ At qui (subsumo) cessio quoque administrationis
„ inter titulos a lege probatos recensetur. Ergo ad
„ cessam bonorum quoque administrationem decre-
„ tum *Tridentini* vires suas porrigere nequit.

„ Mens enim hujusce Concilii Œcumenici ea fuit, ut
„ ut optime animadvertit *Schmier. in juris prud. Ca-*
„ *nonico Civ. lib.*3. *ttact.*1. *part.*3. *cap.*2. *num.*135. .
„ Ne Patroni vel Beneficiorum fructus sibi adscribe-
„ rent vel Beneficiato in fructuum perceptione impe-
„ dimentum afferrent, ibi = *Cum delicto amittitur*

„ *jus*

„ *jus Patronatus, si Patronus in perceptione fructuum* „ *se ingesserit, aut illos sibi applicando, vel impediendo, ne ad eum, ad quem spectant de jure, perveniant* = Neutrum autem horum in re nostra obtinuit. Tantum enim abest, ut Fridericus Patronus fructus Cappellanię sibi arrogare possit, immo, ultra ejusdem Cappellaniæ redditus, non modicam pecuniarum summam quotannis præstare cogitur; ut onera subire possit, quæ in transactionis instrumento probavit. Ex facti serie animadvertamus oportet, Cappellanum Trulli, expensis Missarum, dotis, ac vectigalium deductis, vix scuta 16. in singulos annos a Cappellaniæ redditibus obtinere. Atqui Fridericus vi obligationis in transactionis instrumento susceptæ scuta 25. Cappellano quotannis persolvere tenetur. Ergo ipse scuta saltem 9. ex suismet pecuniis in onerum satisfactionem erogare quotannis cogitur. Quinam, quæso, fieri potest, ut Fridericus Patronus Cappellaniæ fructus sibi adscribere possit?

„ Idem vero Zaccaleoni nullo modo sese unquam interposuit, quominus Cappellanus Trulli Cappellaniæ redditus perciperet. Hic sane in quieta, ac pacifica fructuum perceptione versabatur, cum Fenicolam suam Fratriam adiit, ut Fridericum Patronum alliceret ad assentiendam administrationi bonorum Cappellaniæ, quorum procurationi impar prorsus evaserat, ob longævam, qua premebatur, ætatem; vi cujus fas ipsi amplius non erat a Civitate Verulana, in qua moras trahebat, ad Civitatem Priverni sese conferre, in cujus Territorio Cappellaniæ bona sita erant. Ex sola Facti narratione quisque profecto percipiet, Fridericum Patronum nullum impedimentum Trullio intulisse, quominus Cappellaniæ fructus perciperet; quinimmo Patronus assensum præbuit cedendæ administrationi, ut rem gratam Cappellano faceret. Quæ cum ita sese res habeat, adfirmandum sane erit, extraneam prorsus a re nostra esse *Concilii Tridentini* Censuram.

„ A labe quoque Simoniæ immunis renuncianda erit Transactio, de qua agitur. *Simonia* namque, ut verbis utar *Doctoris Angelici* 2.2. *quæst.* 100. *num.* 1. est *studiosa voluntas emendi, & vendendi aliquid*

„ *Spi-*

„ *Spirituale, vel Spirituali annexum pro temporali;*
„ *cui adhærent Suarez de Rel. lib.*1. *cap.*1. *num.*7.,
„ *Leuren. for. benefic. tom.*5. *tit.*3. *quæst.*68. *num.*2.,
„ ac communiter *Theologi, atque Canonistæ*. Jam
„ vero Cappellanum inter Trullium, ac Fridericum
„ Zaccaleoni nulla intercessit venditio, sed simplex
„ Administrationis bonorum Cappellania cessio ex-
„ pleta fuit ad ipsius Cappellani vitam dumtaxat du-
„ ratura. Nequit ergo transactio inter Simoniacos
„ contractus recenseri.

„ Sed demus cessionem hujusmodi utpote onerosam,
„ atque correspectivam venditioni aliquo modo æqui-
„ parari juxta *doctrinam Angel. in Leg. Modestinus ff.*
„ *de Matrim. num.* 1. Quid inde? Ergo transactio,
„ de qua nobis sermo est, simoniaca labe inficitur?
„ Minime vero, Fridericus enim Patronus ne mi-
„ nimam quidem utilitatem ex transactione obtinuit,
„ si excipias curas, ac labores, quos in bonis admini-
„ strandis, ac meliorandis ferre debet; Pro annuis
„ namque scutis 16. circiter, quæ oneribus deductis,
„ accipiebat, scuta 25. in singulos annos obtinet,
„ præter alia scuta 100., quorum scuta 50. in ipso in-
„ strumenti stipulata eidem pervenerunt, reliqua
„ vero numeranda erunt, postquam bonorum loca-
„ tiones absolutæ fuerint. Non inficior quoque Fride-
„ ricum obligatione sese devinxisse juribus a Capitulo
„ cessis *di giammai più valersene contro esso Signor*
„ *D. Liberatore Trulli, e suoi*.

„ Verum si examini, quæ attulimus subjiciantur, tanti
„ facienda non sunt, ut de simoniaca pravitate Tran-
„ sactionem evincant Trullius sane annuis scutis 16.
„ (oneribus deductis) fruebatur, cum Cappellaniæ
„ bona locabantur. Ergo Cappellanus facillime per-
„ suadere sibi poterat, fore ut Cappellania ex Pa-
„ troni administratione, qui in loco moratur, ubi
„ bona Cappellaniæ posita sunt, fructus multo ube-
„ riores, sive industria, sive diligenti terrarum cul-
„ tura quotannis redderet: Qua de re fas eidem erat
„ annuam pensionem multo locupletiorem, quam an-
„ tea obtinebat, sibi adstipulari, ut provectæ sene-
„ ctutis morbis mederi posset. Renunciatio autem
„ jurium, quæ Capitulum Priverni Friderico Patrono
„ cesserat, circa rem dubiam versabatur; quinimmo
„ jura Patronum potius, quam Cappellanum ad Cap-
„ pellæ reædificationem cogere videntur.

„ Omnem

„ Omnem vero difficultatem eliminat Apostolicum Be-
„ neplacitum initio partis dispositivæ Transactionis
„ a partibus reservatum = *Riservarsi in primo luogo*
„ *per la validità del presente atto il Beneplacito Apo-*
„ *stolico*. Vi autem hujusce reservationis cujuscum-
„ que Simoniæ suspicio illico cessat: ut optime
„ ratiocinatur *Fagnanus in cap. Cum pridem de pact.*
„ *num.* 21., ibi &c. = Cum itaque transactio utilitatem
„ Cappellaniæ afferat, conditionibus a jure reprobatis
„ nullo pacto inficiatur, ac denique bona fide sub re-
„ servatione Beneplaciti Apostolici expleta fuerit
„ censerem, eamdem esse probandam.

„ Paucis me expediam ab altero dubio circa suspensio-
„ nem onerum per decennium, atque erogationem
„ eorumdem in restaurationem Cappellæ Patronalis.
„ Sive enim jus inspiciatur, sive obligationes a Fride-
„ rico Zaccaleoni susceptæ perpendantur, censerem
„ instantiæ rescribendum esse *negative*. Jus præcipit
„ Patronum Ecclesiæ, seu Cappellæ ad ipsius reædi-
„ ficationem, vel refectionem teneri, cum fundatio-
„ nis tempore redditus pro Ecclesiæ, vel Cappellæ
„ fabrica assignati non fuerint, vel insufficientes in
„ posterum evadant, uti post *Conc. Trid. Sess.* 21.
„ *Cap.* 7. *de Ref.* tradit *Barbosa de pot. Ep. alleg.* 66.
„ *num.* 17. ibi = *&c. Amostaz. de Causis piis lib.* 5. *de*
„ *Eccl. ædific. cap.* 6. *n.* 21. *Piton. de contr. Patr. al-*
„ *leg.* 12. *n.* 4. ibi = *&c. & S. Congregatio in Balneo-*
„ *regien.* 29. *Novembris* 1783.

„ Jam vero Cappella, ut asseritur, dote pro Fabrica de-
„ stituitur. Ergo Patronus suis sumptibus illam reæ-
„ dificare tenetur. Cum itaque Fridericus Zaccaleo-
„ ni uti hæres Fideicommissarius Sacerdotis Paschalis
„ Benvenuti juris Patronatus munere in Cappella, de
„ qua agitur, fungatur; eidem onus incumbit præ-
„ dictam Cappellam suis sumptibus reædificandi, at-
„ que ornandi. Rationes afferunt Doctores. Patro-
„ nus enim ad instar Patris naturalis Cappellam, ceu
„ Filiam de omnibus necessariis providere tenetur,
„ ergo etiam expensas pro ipsius Fabrica, ac repara-
„ tione erogare cogitur, uti optime ratiocinantur
„ *Amostaz. de Causis Piis cit. cap.* 6. *n.* 21. *Ventrigl.*
„ *in prax. annot.* 19. §. *unic. n.* 33. *Card. de Luca de*
„ *jure patron. disc.* 52. *num.* 12.

„ Et recte quidem. Patronus enim commodum a jure
„ patronatus obtinet, vel in Cappellanis præsentan-

dis

„ dis, vel in percipiendis alimentis, si ad inopiam „ vergat, vel in aliis hujus generis juribus exercendis. „ Ergo incommodum, vel refectionis, vel reædificationis Cappellæ ferre cogitur, uti optime ratiocinantur *Barb. in Conc. Trid. sess.* 21. *Cap.* 7. *num.* 8. „ ibi = *&c. Amostaz. de Causis piis cit. cap.* 6. *n.* 20. „ ibi = *&c.*

„ Hinc nil mirum, si Sacræ Urbis Congregationis definierint, Patronis Cappellarum præfiniendos esse terminos ad explendas reparationes; quibus quidem elapsis fas esset ordinario Cappellas hujusmodi, vel destruendi, vel aliis concedendi, quia nempe Patronus ex jure devincitur ad reparandamCappellam, si cordi eidem est jure Patronatus fruendi, uti optime firmat *S. Congregatio in Cit. Balneoregien. diei* 29. *Novembris* 1783. ibi = *Pignattellus tom.* 9. *Cons:* 82. *n.* 125. *refert. resolutiones S. Congregationis Episcoporum, & Regularium editas in Mutinen.* 2. *Maii* 1601. 2. *Januarii*, 3, *Julii* 1602. 9. *Januarii* 1608. *&* 9. *Octobris* 1618., *quibus definitum fuit Patronis Cappellarum, & Altarium, quæ essent inornatæ, vel reparatione indigerent, præfiniendum esse terminum ad faciendas restaurationes, & si post tertiam monitionem id præstare detrectent, sit in facultate ordinarii, vel Superiorum Ecclesiarum dd. Cappellas, & Altaria destruere, vel aliis concedere.*

„ Præsertim cum in præsenti non agatur de simplici Cappellæ restauratione, sed de integra ipsius reædificatione sermo habeatur. Jam vero, omissa nunc quæstione, utrum Cappellanus ex Cappellaniæ bonis ad restaurationem Cappellæ teneatur, illud profecto in dubitationem adduci nequit, quin ad reædificationem unus Patronus cogatur, nisi Fabricæ redditus ab initio fundationis statuti fuerint, uti post *Text. in Leg.* 1. §. *inde quæritur ff. de nov. op. nunc firmant Lambertin. de jurepatr. lib.* 1. *p.* 1. *quæst.* 6. *n.* 12. *& lib.* 3. *quæst.* 7. *art.* 1. *n.* 5. *Piton. de contr. Patr. alleg.* 100. *n.* 180. ibi = *&c.*

„ Finem rei imponat obligatio a Friderico Zaccaleoni desumpta suis sumptibus Cappellam reædificandi, atque Murorum rusticorum expensas Capitulo Priverni persolvendi ibi = *restando a' carico di esso Signore Federico il ristauro di detta Cappella, ed il pagamen-*

„ *to dè Muri rifabbricati* = Post tam solemnem obliga-
„ tionem ab ipso susceptam in publico transactionis
„ instrumento; qua fronte onerum suspensionem,
„ quibus Cappellania prægravatur in præsenti effiagi-
„ tat, ut in Cappellæ restaurationem, seu ut verius di-
„ cam reædificationem integri decennii spatio erogen-
„ tur? Fideicommissaria hæreditate Sacerdotis Ben-
„ venuti Testatoris Fridericus potitur; ex fructibus
„ ergo hujusce Fideicommissi Cappellam reædificet,
„ atque onera Cappellaniæ infixa, prout par est, fe-
„ rat.

Ex hisce, ut Eminentissimus Relator consuluit gemina proponuntur Dubia.

I. *An probanda sit transactio in casu &c.*

II. *An sit locus suspensioni onerum Cappellaniæ per decennium, eorumque erogationi in reædificationem Cappellæ in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Ses. 24. cap. 13. de Reform.

ÆSINA SUPPRESSIONIS, ET APPLICATIONIS.

A remotissimis usque temporibus in Æsina Civitate extat Sodalitium *della Morte*, quod curandis indigentium funeribus, & subsidiis dotalibus subministrandis piam operam navat. Cum dives esset ita, ut annua onera redundantes reditus superarent; hinc *anno* 1744. Prior, & Sodales exorarunt a S. M. Benedicto XIV., ut Collegiata Ecclesia erigeretur, quæ ex Archipræsbitero, & octo Canonicis constat, quibus a Sodalitio solvuntur annua *scuta* 432., quæ in quotidianas distributiones partiuntur ita, ut Archipresbiter quotannis consequatur *scuta* 63., Canonicus ædituus *scuta* 53., Canonicus Cammerarius, & duo Canonici Confessarii singuli *scuta* 48., & gemini Canonici Præsbiteri, totidemque Diaconi singuli quoque *scuta* 43. percipiant, & ultra servitium Chori nonnullas Missas singuli celebrare teneantur. Canonici hujusmodi *primæ erectionis* vocantur, quorum nominatio ex jure pa-

patronatu in Litteris Apostolicis reservato ad Sodalitium pertinet. Alii quatuor Canonicatus, postea ex piis Benefactorum institutionibus fundati fuere, qui uberiores habent reditus.

Inter rerum publicarum discrimina Sodalitium hujusmodi authoritate Laicorum suppressum fuit, & post restitutam disciplinam numquam amplius in pristinum statum revocatum, ut neque confratres conveniant ad pia opera praestanda, neque bona ab eis administrentur, sed ab Ecclesiastico deputato procurentur. Cum vero Canonici ob aucta rerum pretia impar oneribus evasisse assignatum emolumentum contendant, praeces Sanctissimo porrexerunt pro suppressione Sodalitii, & applicatione bonorum dicto Capitulo, ut impletis oneribus superextantes reditus inter Canonicos dividantur. Nam ex *Informatione* Episcopi Administratoris Æsini ad R. P. D. Auditorem Sanctissimi remissa compertum est, quod ex reditibus Sodalitii, quae attingunt annua scuta 1601., si subducantur onera omnia in scutis 1466. (in quibus calculata sunt scuta 432., quae Canonicis quotannis solvuntur) jam scuta annua 135. libera adhuc supersunt. Constat praeterea quod Canonici gravantur oneribus praecipue Missarum in scutis annuis 268. 48. ita ut ex scutis 432. hisce oneribus demptis remanent scuta 163. 59. dividenda in quotidianas distributiones, & Archipraesbiter non pluris dietim percipiat quam *obolos novem*, edituus *obolos sex*, Camerarius, & Confessarii *obolos quatuor*, reliqui Praesbiteri, & Diaconi *obolos tres* consequantur pro chori servitio abeundo.

His de rebus Episcopus favet petitae applicationi, modumque proponit, quo haec fieri posset = *Una difficoltà potrebbe affacciarsi, cioè la soppressione di questa Confraternita, che si rende utile alla Città. Potrebbe però rispondersi, che qui vi sono altre Confraternite, le quali praticano simili atti di pietà. Ma quando anche si credesse necessario di farla rivivere, sarei d'avviso, che ciò non sarebbe difficile, nella seguente maniera. Previa con autorità Apostolica la soppressione della presente sospesa Confraternita, e l'applicazione de beni di essa alla Collegiata della Morte, cioè alli nove Canonici di prima erezzione, lascerei all'arbitrio del Vescovo di Jesi l'erigere ex integro una nova Confrater-*

nita della Morte con Leggi a suo Beneplacito; privandola affatto di ogni superiorità, e dominio sopra la Chiesa Collegiata, e sopra tutti li beni spettanti alla Confraternita, ed altresì privandola di qualunque giuspatronato sopra li Canonicati vacanti, o che potranno in qualunque tempo vacare con che però li Canonici suddi fossero tenuti sborsare ogni anno alla nova Confraternita una discreta somma di venti, o trenta scudi l'anno in perpetuo per le spese da tassarsi dall'Ordinario.

Ex Rescripto Sanctissimi ablegata est Causa ad S. Congregationem Concilii eaque nunc sub infrascripto *Dubio* proponitur. Suppressioni Sodalitii repugnare videtur Fundatorum voluntas, qui idcirco Sodalitium fundarunt, ut pietatis, & religionis opera exercerentur, quorum causa Christianorum Collegia instituta sunt *ad Text. in L.* 1. §. *Sed Religionis ff. de Colleg. Illicit. Durant. de rit. Eccles. Cap.* 26.. Sed quoniam Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.* 15. *de Reform.* permittit Beneficiorum suppressiones, ut applicari possent reditus Præbendis Ecclesiæ Collegiatæ, quæ sint adeo tenues, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, hinc suppressio, & applicatio concedenda videtur, si causa utilis, & necessaria subsit, quæ suppressionem suadeat, ut in terminis applicationis redituum Sodalitiorum definivit S. Congregatio in *Spoletana* 27. *Junii* 1789.

Sane utilius videtur, quod maneat Sodalitium cujus præcipuum institutum est curare indigentium funera, & puellas dotare. Nam Civitas ex hoc maximam capit utilitatem, & piissimum opus est cadavera per agros insepulta componere, ut tradit *Tomassin. de veter., & nova Eccles. Disciplin. Tom.* 2. *p.* 167. Deinde non videtur quod Canonici tenuiores quam par sit, habeant præbendas, ut ad eorum sustinendum gradum non sufficiant. Nam ab eo tempore, quo hæc Collegiata instituta est, numquam Canonici reclamarunt ab assignatis stipendiis. Et quamquam temporum conditio valde immutata sit, & ob auctum rerum pretium angustia rei familiaris ingravescerit: attamen Canonici habere possunt unde vivant. Etenim falsum videtur, quod vix pauci oboli eisdem pro quotidiano stipendio supersint, cum ex assignata singulis portione de-

du-

ducantur onera Missarum, quarum stipendium ab ipsis percipitur. Nullo enim alio gravantur onere, cum impensas pro manutentione Ecclesię suppleat Sodalitium, nec vectigalia solvant, statim ac eis certa annua quantitas ab omni onere immunis a Capitulo rependitur.

Quatenus vero probata esset Canonicorum paupertas alia suppetere videntur media, ut eisdem prospiciatur, quin ad odiosum suppressionis remedium recurrendum sit. Etenim Episcopus affirmat, quod ex reditibus Sodalitii deductis omnibus oneribus libera supersint adhuc *sc.* 135. Quare hæc erogari poterunt in subsidium Canonicorum. Quod si hæc satis adhuc non sint poterunt supprimi duo Canonicatus primo vocaturi. Nam cum ex piis institutionibus alii quatuor Canonicatus adjuncti sint illis octo primæ erectionis; jam si duo supprimantur nullum detrimentum capit servitium chori, & ceteri habebunt, unde gradum suum sustinere possent.

Nihilominus ab EE. VV. ponderanda sunt, quæ Episcopus in sua *Informatione* proponit Sodalitium enim jam authoritate laicorum suppressum, numquam postea restitutum est, & nemo ex Confratribus institit, ut reintegraretur ad sua munera, & administrationem bonorum, quæ ab Ecclesiastico deputato retinetur. Neque ex suppressione hujus Sodalitii ullum præjudicium caperet Civitas, cum aliæ sint Confraternitates, quæ operam præstant ægenis sepelliendis. Summam vero esse paupertatem Canonicorum confirmat Episcopus = *E innegabile, che questi nove Canonici della Collegiata di prima erezzione non hanno con che vivere, giacchè l'Arciprete prima Dignità ha soli nove bajocchi al giorno, e gli altri chi sei, chi quattro, chi tre. E parimente fuor di dubio, che attese tali ristrettezze la Chiesa potrebbe essere meglio officiata, poiche li Canonici, che quasi tutti sono privi di beni patrimoniali, lasciano la Chiesa Collegiata, e vanno a celebrar Messa in altre Chiese anche fuori di Città, dove sono maggiori l'elemosine delle Messe, e può dirsi che taluno vada quasi mendicando come pur troppo è accaduto* = Hinc attenta paupertate Canonicorum videtur esse locus applicationi redituum Sodalitii, ut ad sublevandam inopiam Parochi factum fuit *in Forosempronien. Unionis* 20. *Novembris* 1802.

Qua-

Quatenus EE. PP. hanc suppressionem, & applicationem probent, tum Episcopus proponit modum, quo facienda sit nimirum, ut suppresso Sodalitio, & omni jurepatronatu super Capitulo, & Canonicatibus in futuris vacationibus, bona omnia Collegiatæ applicentur, ita ut omnia impleantur onera, & aliqua summa qnotannis solvatur a Capitulo sodalitio denuo erigendo cum novis constitutionibus ab Episcopo approbandis.

Proponitur dubium.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro suppressione, & applicatione redituum in casu &c.

Die Sabbathi 21. Maii 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TERRACINEN., SEU PRIVERNEN. APPROBATIONIS CONCORDIÆ, ET SUSPENSIONIS ONERUM. *Ses.3. Cap.24. de Reform.*

I. *An probanda sit transactio in casu &c.*

II. *An sit locus suspensioni Onerum Cappellaniæ per decennium, eorumque erogationi in reædificationem Cappellæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Eminentissimi Relatoris.

Ad II. Negative ut supra.

ÆSINA SUPPRESSIONIS, ET APPLICATIONIS. Confratres Sodalitii *dellaMorte*, de cujus interesse agitur, dum ejusdem Sodalitii suppressio poscitur, cum nondum fuerint auditi, deprecantur *dilationem*, ut sua jura deducere possint. *Ses.24.Cap.13 de Reform.*

ubium proponitur.

n, & quomodo sit consulendum SSmo pro suppressione, & applicatione redituum in casu &c.

Negative in omnibus, & Episcopus incumbat, ut per Confratres reassumantur exercitium, & onera Confraternitatis.

FIR-

Ses.25. cap.1. de Reform.

FIRMANA EMPHITHEUSIS. In Congregatione *diei* 19. *Junii* 1802. quæsitum fuit = *An*, *& cujus favore, & quomodo sit concedenda Emphitheusis* = bonorum, quæ pertinent ad Sodalitium S. Mariæ Misericordiæ in Oppido *S. Elpidii ad Mare*, & EE. PP. responderunt *Affirmative favore Francisci Pennesi Olivieri salvo jure vigesimæ, & sextæ per Bullas, & amplius*. Hinc Pennesius expeditis *Litteris Apostolicis* instrumentum Emphitheusis stipulavit, bonaque Sodalitii hoc nomine possedit. At Laurentius Evangelista, qui una cum Pennesio jam contenderat de prælatione super hac Emphitheusi, *vigesimam* obtulit; quam Pennesius ultro, libenterque acceptavit. Verum cum Evangelista *sextam* præterea obtulisset, illam Pennesius recusavit, & ab inita Emphiteusi recedere maluit, ea adjecta protestatione = *di far rimanere illesa qualunque ragione, che a me potesse anche in avvenire competere*.

Itaque, ut Evangelista tamquam major *sextæ* oblator Emphitheusim consequeretur, idoneam fidejussionem præstare debebat, quæ præscripta erat *in Capite XVI.* Capitulorum sub quibus Sac. Congregatio Emphitheusim stipulari mandavit = *Che l' Emfiteuta debba dare nell' atto della stipolazione dell' Istromento una idonea sicurtà d' un abitante e possidente nella Terra di S. Elpidio a Mare da' approvarsi però prima dalla stessa Confraternita*. Duo itaque accesserunt, qui pro Evangelista fidejussionem præstiterunt, scilicet *Franciscus Moscati*, qui lares, & bona habebat in Oppido S. Elpidii, & *Antonius Giacomini*, qui in Civitate Firmi morabatur. Utrumque rejecit secreta Congregatio Sodalitii *habita die* 29. *Januarii* 1803., primum, quia minus idoneum habuit; alterum quia neque domicilium, neque bona in Oppido S. Elpidii haberet. Obstabat enim *Caput XVI.* quominus *Giacominius* fidejussor pro Evangelista accederet. Decrevit itaque Congregatio = *intimari Laurentio Evangelista reportationem novæ, & idoneæ fidejussionis ad normam Capitulorum Sac. Congregationis Concilii, quatenus præfata Sac. Congregatio moderari non mandet Capitulum XVI., idque in termino viginti dierum, quo elapso mandavit certiorari eamdem met Sac. Congregationem pro emanatione novorum ædictorum*.

Ita-

Itaque Laurentius Evangelista statim a Sac. Congregatione deprecatus est, ut moderato *Capite XVI.* utramque probaret exhibitam fidejussionem. Exquisita est Sententia Archiepiscopi, qui Confratres interrogavit super idoneitate & conditione *Antonii Giacomini* Fidejussoris. Habitis vero comitiis Confratres eumdem idoneum existimarunt esse, dummodo constitueret durante Emphitheusi Procuratorem in Oppido S. Elpidii, & renunciaret fori competentiæ. Ut Confratres proposuerunt, ita fastum est, & *Antonius Giacomini* Fidejussor Procuratorem constituit, & foro renunciavit. Dum vero Confratres favebant moderationi *Capitis XVI.*, & utrumque fidejussorem acceptabant; egit apud Archiepiscopum Firmanum *Pennesius*, ut ex reservatis sibi juribus in renunciatione Emphitheusis reintegrationem ad illam obtineret, quatenus Evangelista non præstaret ea omnia, quæ in *Capitulis* præscripta fuere, & præcipue in *Capitulo XVI.* in quo requiritur *la sicurtà di un abitonte, e possidente nella Terra di S. Elpidio*.

Hinc Archiepiscopus jura hinc inde in scriptis deducta ad Sac. Congregationem remisit, & ita Votum suum concludit. *Audita in præsentiarum Sodalitate ipsa utrumque fidejussorem acceptare videtur, semelac inde Giacomini foro suo competenti nuntium det, constituatque Procuratorem, qui sui vicem iu Oppido ipso repræsentet. Cum itaque Sodalitatis hujusmodi votis annuerit fidejussor Giacomini res ex hoc capite absoluta videtur. Derogari itaque poterit, quidquid sancitum fuit in Capite XVI. conditionum, quæ fuerunt jussu Sac. Congregationis propositæ, quandoquidem etiam sit advena Fidejussor, patrius nihilominus haberi potest, statimac forum sibi eligat in Oppido. Sed obstare videtur is, cui primum deliberata fuit Emphitheusis, quique postea juri suo cessit per prælationem minime volitam in SEXTÆ oblatione, quam dedit idem Evangelista. Is enim quando declaravit, se numquam præferri velle, id non alias agere protestatus fuit, quam sine præjudicio, jurium suorum. Cum itaqne per ipsum Evangelista aliqua ex parte derogari velit propositis conditionibus, contra vero sit ipse paratus ad ipsas conditiones plene servandas, regressum petit ad pristina sua jura.*

Proponitur nunc causa contradicentibus inter se *Evangelista*, & *Pennesio* per impressas *Allegationes* distribuendas. Ubi vero Confratres Sodalitii intellexerunt *Pennesium* satagere exclusionem *Evangelistæ* ne Pennesius ad eamdem reintegretur preces exhibuerunt, simulque deprecantur, ne *Evangelista* a petita moderatione *Capitis XVI.* & ab Emphitheusi reiiciatur. Id enim vergeret in damnum Sodalitii, præsertim cum *Giacominius* nunc bona emit in Territorio *S. Elpidii ad Mare* valoris scutorum *sex millium & quingentum* itaut ei tantum obsit, quod domicilium in Oppido non habeat.

Pennesius triplici ex Capite obsistit, quominus moderatio concedatur. *Primo*, quia cum ipsi deliberata fuerit Emphitheusis, & Bullis expeditis, oblatoque fidejussore ad normam *Cap.*.*XVI.* in possessionem bonorum venerit, vigesimamque acceptaverit, Canonesque solverit; quesitum ei sit jus, quod læderetur per concedendam moderationem. Nam si excluditur a fidejubendo Giacominius, tum etiam reiicitur ab oblatione *Sextæ* Evangelista, qui idoneum fidejussorem ad normam Capitulorum non exhibuit. Hinc erit, ut *Pennesius* reintegraretur ad sua jura, quæ in renuncianda Emphitheusi sibi reservavit = *con protesta per altro, e non altrimenti di far rimaner illesa qualunque ragione, che a me potesse competere anche in avvenire* = *Secundo* contendit, quod hæc moderatio tendat in detrimentum Sodalitii. Nam oblatio sextæ ab Evangelista facta adeo superat fructus ex bonis Sodalitii in annuis scutis 981. 20. redeuntes, ut impossibile sit, quod canonem præstet. Hinc Sodalitium vel remissionem concedere debebit, vel in judicio versari. Nec tutum esse poterit interesse Sodalitii ex persona *Evangelisti*, cujus bona Fideicommissi, & hipothecæ vinculo pro aliis conductionibus obstricta sunt; nec ex Persona *Giacomini* Fidejussoris, cujus as liberum vix scuta 2705. 12. pertingit. Nam reliqua, quæ possidet, a dote Uxoris proveniunt. Ita fit ut, ejus patrimonium vix adæquet quantitatem Canonis duorum annorum. Contra vero Pennesius se idoneum prædicat, ut Canonem in scutis 1229. præstare possit. Nam ex censualibus tabulis se possidere probat bona ad scuta 9637., & a se exhibitum fidejussorem Bartholomeum Mallio habere

in

in fundis Urbanis scuta 17368., & in rusticis 9363,
Tertio tandem ait Pennesius, quod res ipsa prohibet, ne moderatio concedatur. Nam *in Cap. XVI.* requiritur fidejussio terrigenæ, ne Sodalitium ultra proprium forum vagare cogatur, si fidejussorem appellare coactum erit. Quare si moderatio conceditur, hoc ipso abrogetur oportet, quod in utilitatem Sodalitii constitutum fuit. Ceterum si hanc moderationem obtineat *Evangelista*, tum postulat Pennesius refectionem expensarum, quas ipse fecit pro stipulanda Emphitheusi, ut in specie Emphitheusis Communitatum reficiendas esse expensas *a Sextario* jubet edictum S. Congregationis Boni Regiminis *dici 6. Augusti* 1729. relat. *a de Vecchis ad mater. Bon. Regim. Tom.* 2. *pag.* 118.

Contendit vero Evangelista, quod idcirco *in Capite XVI.* præscribitur = *una sicurtà di un abitante e possidente nella Terra di S. Elpidio* =, quo cautius esset interesse Sodalitii, & facilius posset, & personam Fidejussoris compellere, & bona exequutioni subiicere. Moderatio autem, quæ nunc poscitur, eo pertinet, ut probetur Fidejussor, qui domicilium habet extra Oppidum S. Elpidii. Nam *Giacominius* nunc aquisivit bona in ipso Oppido S. Elpidii ad scuta *sex millia & quingentum* itaut solum ei obsit., quod sit alienigena. Ex hac vero moderatione, neque detrimentum capit interesse Sodalitii, neque læditur jus Pennesii. Nam satis consultum est Sodalitio ex obligatione scripta a Giacominio, qua se obstrinxit competentiæ fori renunciare, & Procuratorem retinere in Oppido S. Elpidii, quamdiu Emphitheusis perdurabit; Quo fit ut Sodalitium habeat Fidejussorem, ac si in Oppido habitaret. Hoc pacto ipsi Confratres, & Archiepiscopus hunc Fidejussorem probandum censet.

Moderato autem *Capite XVI.*, & probato Giacominio pro Fidejussore non læditur jus Francisci Pennesi. Nam ipse renunciavit Emphitheusi nec oblatam ab Evangelista *sextam* acceptare voluit. Quamquam vero sibi reservasset = *illesa qualunque ragione, che a me potesse in avvenire competere* = attamen non inde sequitur, ut excluso *Evangelista* ex eo, quod idoneam non exhibuit Fidejussionem, ipse Pennesius ad Emphitheusim reintegretur. Tum siquidem erit locus

novæ affixioni edictorum pro accersendis oblatoribus ad *sextam*. Unde cum jus Pennesi pro reintegratione ad Emphitheusim ab incerto eventu pendeat, sequitur, ut quæsitum non sit nunc *in habitu* ut ajunt, *&* *potentia*, adeoque ex concedenda moderatione non lædatur, ut tradit *Bald. in Authen. qui rem num.* 8. *Cod. de SS. Eccles.*, *Surd. decis.* 108. *num.* 2. *Rota decis.* 212. *num.* 5. *part.* 4. *tom.* 1. *Recen.*

Pluribus vero documentis probat Evangelista, quod *Giacominius* fidejussor idoneus sit. Nam possidet bona ad scuta 19886. 30. ex quibus si subducantur, quæ dotalia sunt Uxoris; nihilominus adhuc ei tantum restat, ut pro interesse Sodalitii cavere possit. Contra vero probare studet, vel quod Pennesius nihil omnino possideat, vel quod implicatus sit ære alieno ex mala administratione reddituum Communitatis; vel tandem, quod bona emphiteutica retineat, quin integrum Canonem præstaverit. Ex quo in maximas angustias adduxit Sodalitium, ut nisi Evangelista pecunias eidem Sodalitio subministrasset, certe quidem hoc non potuisset ægenos pro instituto sublevare. Hinc concludit, quod ad emulationem *Pennesius* hanc causam agat, ut si fieri posset Emphitheusim sine augumento *Sextæ* obtineret, quemadmodum Confratres ipsi Sodalitii oblatis præcibus postulant, ne Pennesius admittatur, cum rediret in detrimentum Sodalitii, si amittere *sextam* cogeretur.

Dubium proponitur.

An sit locus moderationi Capituli XVI. Capitulorum Emphitheusis ita ut sit servanda fidejussio præstita a Laurentio Evangelista, & ejus favore stipulandum instrumentum ejusdem Emphitheusis in casu &c.

Affirmative in omnibus.

PI-

PISCIEN. BENEFICII SUPER DISPENSATIONE. *Ses. 27. cap. 6. de Reform.*

Postremis testamenti tabulis scriptis *anno* 1610, Vincentius Gialdini fundavit simplex Beneficium sub invocatione *SS. Vincentii, & Margaritæ* in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Pisciensis, & onus missæ hebdomadalis injunxit. Activum juspatronatus, seu = *la elezzione, nominazione, e presentazione del detto Cappellano il detto Fondatore vuole, che si aspetti, e si appartenga ad un solo più vecchio, e maggiore di tempo e discendente da Elisabetta Paola, e Caterina Sorelle di detto Testatore.* Passivam vero vocationem ita constituit. ut primum = *s' abbia da eleggere in Cappellano uno delle Case dei Gialdini, e qualora non ve ne siano degl' idonei, uno delli discendenti delle dette sue Sorelle, cioè di Madonna Paola Maria Elisabetta, e Maria Caterina, e non ve n' essendo a chi parrà, e piacerà alli detti Padroni.*

Vacavit *die* 5. *Novembris* anni 1801. Beneficium hujusmodi, & tum major natus ex descendentibus Sororum Fundatoris erat Eques *Ludovicus Cecchi*, cui juspatronatum activum ex Fundatione addicebatur. Quare die 26. *sequentis Decembris* præsentavit Ordinario Pisciensi Sacerdotem Aloysium Cecchi filium suum, & in Cathedrali Pisciensi Canonicum. Ne hic institutionem obtineret impedimento fuit Aloysius Gialdini. Nam cum ejus Familia prærogativam ex fundatione habeat in jure patronatu passivo, postulavit suspensionem nominationis quousque a S. Sede impetraret dispensationem ab ætate, & clericatu pro filio suo Vincentio Gialdini puero annorum quinque, ut hic Canonico Cecchi posterius vocato præferri posset. Quamquam hic sollicitus fuerit, ut in Dataria Apostolica protestationem cum clausola = *Nihil transeat* = die 6. *Februarii* 1802 interposuisset, attamen *die* 7. *Martii* minime citato Præsbitero Cecchi *Breve* dispensationis impetravit Puer Vincentius Gialdini, *tamquam*, (ut ex ipso Breve habetur) = *a tuo Genitore moderno unico dictæ Cappellaniæ Patrono præsentatus*. Cum vero id, quod SS.mo exposuit, longe absit a fundatione, hinc ne impetratum *Breve* obreptionis argueretur iterum SS.mo supplicavit pro gratia = *perinde valere* =

Tum Præsbiter Cecchi validius sese opponens coram Emo *Pro-Datario* postulavit, ut Breve super dispensatio-

satione tamquam obreptitium, & subreptitium reportaretur. Contra Gialdinus institit poscere, ut lacerato *nihil transeat* a Presbitero Cecchi apposito signanda esset supplicatio ab ipso exhibita pro habilitatione ex defectu ætatis. Utramque instantiam Emus Pro-Datarius ad hanc Congregationem ablegavit *pro Voto sub infrascriptis Dubiis*. Auditus est Episcopus Pisciensis, qui deducta in scriptis a collitigantibus remittens, & a sententia aperienda se abstinens, hæc in utramque partem exponit = „ *Rispetto ai requisiti dei concorren-*
„ *renti soggiungo, che a tenore della disposizione*
„ *testamentaria non può controvertersi al Cavalier Lo-*
„ *duvico Cecchi il dritto della nomina al detto vacan-*
„ *te Beneficio, come il più vecchio, e maggiore di età*
„ *discendente dalle Sorelle del Testatore; neppure ca-*
„ *de dubbio sopra l'idoneità di Luigi suo Figlio. Il te-*
„ *statore prescrive, che essendovi sogetti nella Casa*
„ *Gialdini, si perpetui in essa il Patronato passivo,*
„ *onde il presentante sia tenuto a preferire nella nomi-*
„ *na gl'individui idonei di detta Famiglia, così il sup-*
„ *plicante Gialdini pretende. che alla mancanza di*
„ *idoneità per difetto dell'età in cui si trova il suo Fi-*
„ *glio possa supplire la dispensa Pontificia* „

Constitutum erat vadimonium ad hanc diem, sed illud deseruit Vincentius Gialdini, qui *dilationem* postulat. Proponitur Causa cum *allegatione* distribuenda a Præsbitero Cecchi. Hinc præ munere exponam quæ continentur *in scriptis* a Gialdinio Episcopo exhibitis. Apertam namque esse dicit fundationem, ex qua ii de Familia Gialdini, si idonei sint, præferuntur in passiva vocatione reliquis descedentibus e sororibus Testatoris. Quo casu contendit quod habilis per *posterius* vocatus non possit impedire, quominus is qui prius vocatus est, dispensationem obtineat ab eo defectu, unde minus idoneus est ad Beneficium consequendum, ut tradit *Vivian. de Jurepatron. Lib.* 12. *Cap.* 10. *num.* 29. *Piton. de Controv. Patron. Allegat.* 1. *num.* 23. *Rota decis.* 62. *num.* 11. *part.* 12. *Recen.*. Hinc adducit domestica exempla cum *anno* 1742. Franciscus Gialdini, *anno* vero 1782. Vincentius Gialdini impetrata dispensatione ab ætate Beneficium consequti sunt. Nec sibi obesse putat vetustius exemplum *anni* 1687. ex quo Antonius Gialdini tamquam inabilis ex defectu ætatis rejectus fuit a Beneficio, in quo de-
scen-

scendens ex Sororibus fundatoris tum institutionem impetravit. Nam ita definisse(ait Gialdinius quin tamen probet) Capitulum Pisciense spreta appellatione ad S. Sedem interposita. Ex hisce concludit, quod Cecchius petitae dispensationi se opponere nequeat.

Cecchius vero sub *I. Dubio* contendit, quod reportandum sit *Breve* Dispensationis impetratum veris reticitis, & falsis expositis, unde obreptionis, & subreptionis vitium ducitur ex *Text. in Cap.2. de concess. praeben.*, *& in Cap. super litteris de Rescript. in 6.* tradunt *Lotter. de Re beneficiar. Lib.2. quaest.* 44. *num.*3. *Rota decis.* 3. *num.*1. *coram Emo Rovarella*. Reticuit enim Gialdinius, quod de Familia Gialdini vocati erant tantum idonei, quodque iis deficientibus deferebatur passiva vocatio ad descendentes ex sororibus Testatoris, quod tandem jam praesentatus erat Presbiter Cecchi, cujus jus quaesitum per dispensationem laedebatur. Quae certe si S. Pontifici essent explorata non concessisset dispensationem, quae in alterius prejudicium vergebat ut in iisdem terminis docet *Rota in Comen. Jurispatronatus* 22. *Junii* 1744. §.5. *coram de Vais*, *& in Imolen. Beneficii* 17. *Junii* 1795. §.4., *& in confirmatoria* 21. *Martii* 1792. §. 3. *coram R. P. D. Gardoqui*. Falso quoque narravit se praesentatum esse a Patre suo *tamquam unico moderno Patrono*. Nam ex fundatione addicitur patronatus = *ad un solo più vecchio, e maggiore di tempo, e discendente da Elisabetta, Paola, e Caterina Sorelle di detto Testatore* = Ex quibus veris reticitis, & falsis expositis inficitur gratia, ut executioni committi nequeat *Fagnan. in Cap. super Litteris de Rescript. Rot. decis.* 12. *num.*4. *coram Emo Rovarella*, *& in Firmana Erectionis Collegiatae* 30. *Junii* 1754. §. 3. *coram Molino*.

In II. vero *Dubio* acriter obstat Praesbiter Cecchi, ne dispensatio Gialdinio concedatur. Nam cum sexennis puer nunc sit, inabilis est ex defectu Clericatus, & aetatis. Utrumque enim requiritur in beneficiis assequendis, tum ex dispositione juris *in Concil. Triden. Sess.* 23. *Cap.*6., tum ex fundatione in qua dum requiruntur *idonei*, censetur Fundatorem se juris dispositioni conformasse. Quare dispensationes hujusmodi numquam conceduntur, si absit justa causa, & si vergunt in praejudicium alterius vocati jam praesentati *Rota decis.* 1224. *num.*6. *cor. Molines dec.*47. *num.*3.
cor.

cor. Rezzonico,& in Aretina Beneficii 24.*Januarii* 1735. §. 3. *cor. Peralta* , & S. Congregatio definivit *in Eugubina Dispensationis* 18. *Februarii* 1764. , *& in Senogallien. Canonicatus* 4. *Maii* 1768. , *& in Sutrina Canonicatus* 24. *Januarii* 1801. . Causam vero dispensandi abesse sustinet , tum quia Gialdinius destituitur præsentatione Patroni, quæ necessaria est ubi vocatio ex fundatione indirecta est *Rota in Ginanen. Cappellaniæ* 11. *Junii* 1731. §. *Nullatenus cor. Cincio* , tum etiam quia ex Fundatione qualificatus non est , quippe qui minime *idoneus*, ut fundator præscripsit . Jus vero quæsitum Cecchio est , statimac vacato Beneficio , nemo ex gente Gialdinia habilis erat, & ipse juxta leges fundationis præsentatus fuit ut statuit *Rota decis.* 2. *num.*23. *coram Crispo* . Quæ eo magis obtinere Cecchius contendit , cum anno 1667. controversia in eisdem terminis decisa fuit per Sententiam Capituli Pisciensis contra Gialdinos, qui succumbentes acquieverunt , & beneficium obtinuit *Philippus Galeffi* descendens e Sororibus Fundatoris . Exempla vero disponsationum ab ætate *annis* 1742. , *&* 1782. a Gialdinis impetrata nil conferunt ad rem , cum illi vel obtinuerunt cum Gialdini essent præsentati a Patrono, vel ex dispensatione nullum detrimentum alii capiebant .

Duo proponuntur Dubia ,

I. *An Breve sit reportandum in casu &c.*

II. *An supplicatio sit signanda in casu &c.*

Ad I. Affirmative .

Ad II. Negative .

*Ses.*24.*cap.*18. *de Reform.*

LUCANA CONCURSUS . Vacante Anno 1797. Parocchiali Ecclesia S. Joannis Baptistæ Plebis *Foscianæ in Caferonia* Lucanæ Archidiœcæsis indictus est ab Archiepiscopo concursus , cui præ cæteris interfuerunt

runt *Sacerdos Antonius Pesetti*, & *Presbyter Vincentius Marazzini Pelliccioni*, Examinatores *quinque* proposuerunt casus solvendos qui inferius recensentur. Peracto concursu Pesettus *a tribus* fuit approbatus, & Pellicionus *a tribus* fuit rejectus. Hinc Archyepiscopus illum huic anteposuit. Pesettus litteras Apostolicas expedivit, ex quibus in Pareciæ possessione versatur. Ægre tulit id Pellicionus, & ad S. Congregationem reclamavit ab *irrationabili judicio Examinatorum*. Auditus est Archyepiscopus Lucanus, qui a suo Voto ferendo se abstinens acta concursus remisit, & affirmat præstituisse Pesetto = *novo Parocho terminum totius Mensis Julii proxime futuri, ad jura sua deducenda in S. Congregatione. Quæ ipse appellantis precibus obiicit mihi protulit, eidemque S. Congregationi transmittere opportunum judicavi.*

Cum Pesettus numquam in S. Congregatione sua jura deduxerit, proponitur nunc causa unico *Informante* Pellicione per *impressum Memoriale* EE. VV. distribuendum. In folio, quod *in scriptis* Pesettus dedit Archyepiscopo, a quo huic S. Congregationi transmissum est, contendit, quod concursus factus fuit ad normam S. Canonum, quodque Pesettus fuit ab Episcopo electus, quippe qui approbatus plenioribus Examinatorum Suffragiis. Cumque in possessione Pareciæ versetur ab Anno 1799. ex Litteris Apostolicis expeditis, res non sit amplius integra, ut a Parecia removeri possit; maxime cum ipse per longum temporis spatium munusCappellani Curati exercuerit, quin unquam Parochiani de eo reclamaverint.

Pellicionus autem non agit hoc nunc, ut in discrimen revocet collationem Pareciæ, sed tantum ut reclamet a judicio Examinatorum, & præjudicium inde quæsitum removeat. Nam Summus Pontifex *Pius V. in Const. in Conferendis* concedit has Appellationes ab irrationabili judicio Episcopi. Sed quoniam Episcopus illum eligere debet, qui fuit ab Examinatoribus approbatus hinc inolevit ut Appellationes admitterentur etiam a mala relatione Examinatorum, ut ex Decreto S. Congregationis *in Dubia Concursuum* 16. *Novembris* 1720. *ad II. Dub.* = Et sæpius in hac Sac. Congregatione disputata fuerunt dubia super mala relatione Examinatorum, ut in *Meliten. Concursus* 23. *Junii* 1753., & in *Larinen. Concursus diei* 2. *Septembris* 1753. Utrum

vero *rationabile* sit, vel secus judicium Examinatorum recognoscere poterunt EE. PP. tum ex *impresso Voto* Theologorum, quod affert Pellicionus, tum etiam ex judicio prolato a Theologo a me ex Officio deputato; quod EE. VV. oculis subiicio.

„ Equidem de Mandato R. P. D. Secretarii diligentissi-„ me a mè perpensis transmissis actis: censeo Vincen-„ tium Pelliccioni Marazzini immerito reprobatum, „ & jure meritoque a tali Examinatorum judicio appel-„ lasse. Id autem luculenter constat, sive absolutum, „ sive comparativum de eo instituatur judicium.

„ Quantum ad primum nihil est in resolutione casuum a „ Pelliccioni exarata, quod sit reprehensione dignum, „ nisi forte excipias omissionem responsionis ad unam „ e pluribus quæstionibus, quæ propositæ erant in „ II. casu. Dixi *forte*. Nam justa suspicio est ex su-„ biiciendis animadversionibus in actnum exemplar „ transmissum, ipsum esse mancum, & interpola-„ tum; E contra in omnibus ejus elucet justa Do-„ ctrina accurata discretio, & acumen ingenii: Nihil „ pariter in expositione *Canonis* 18. *Sess.* 6. *Tridenti-„ ni* ad exponendum adsignati: Nihil denique in Con-„ cione præscripta, nisi forte excipiatur error vel „ ipsius, vel transcriptoris ubi pro *prendere* legitur „ *prenderei motivo di perseguitarlo* nempe Christum, „ quod inverosimile prorsus est auctorem scripsisse. „ Quare si vel maximo rigore agendum esset, & „ Scrutinium Romano, aliarumque Diæceseon stylo „ ageretur, Vincentio Pelliccioni ex quinque calcu-„ lis, unus dumtexat esset detrahendus. quod certe „ ad reprobationem non sufficit. Immerito ergo vide-„ tur reprobatus. Atque id magis magisque eluce-„ scit, si comparatio reprobati Vincentii Pelliccioni „ cum adprobato Pesetti instituatur.

„ I. CASUS propositus hic erat = *Titius recogitans gra-„ vitatem suorum peccatorum corde credit, & ore pro-„ fert, nemine tamen audiente* = Impossibile est, quod „ Deus remittat mihi peccata = *Quæritur quæ pecca-„ ta committat, & an accedens tempore Paschali ad „ Petrum Confessarium possit a Petro absolvi?*

„ *Pesettus* respondit ad primum = *dico peccare contra „ Fidem, spem, & Religionem* = Esto omne peccatum „ dicatur aliqua ratione Religione generatim lædere; „ At speciale peccatum, de quo hic quærebatur, con-

tra

„ tra Religionem minime patravit : quæ virtus mo-
„ ralis est, præcipitque varios actus interni, exter-
„ nique Cultus, prohibetque contrarios, qualis cer-
„ te non est ille, qui licet pessimus, elicitus est a
„ Titio. Audiamus quo argumento hæc specifica
„ peccata probet = *Subtrahendo Deo possibilitatem re-*
„ *mittendi peccata, & dum per impossibile credat ita*
„ *esse, derogat summæ bonitati Divinæ Clementiæ, &*
„ *veracitati, & ita credere hæreticorum est, ideo an*
„ *talis judicandus* = Non satis felix hoc argumentum
„ est. Sed cum eo mitius agamus, nihilque de ejus
„ merito detrahatur.

„ *Pelliccionus* respondit ad primam partem quæstionis
„ propositæ = *Respondeo, peccatum Titii pertinere*
„ *ad hæresim externatam, quæ cum negat Dei Om-*
„ *nipotentiam, & Misericordiam proprio suo nomine*
„ *appellanda est Blasphemia hæreticalis duo diversa*
„ *Specie peccata continens, infidelitatis scilicet propter*
„ *errorem intellectus, & desperationis propter Divinæ*
„ *Misericordiæ negationem*.

„ *Ad secundam quæstionis partem Pesettus* respondit =
„ *Absolvi non posse propter reservationem Pontifici* =
„ *Pelliccionus* respondit, & ipse Negative his verbis =
„ *Non enim hic casus ex illis est, qui in Synodo re-*
„ *servantur pro quibus adest (duobus exceptis* 8.,
„ *& 9.) facultas absolvendi tempore Paschali; Sed (hic)*
„ *cum sit Pontifici reservatus nullo tempore, & a nul-*
„ *lo Confessario absolvi potest*. Posset obijci, omis-
„ sam esse exceptionem Articuli Mortis, in quo ces-
„ sat reservatio. At quæstioni directa responsio est,
„ in qua quærebatur, num absolvi Titius possit,
„ tempore Paschali. Qui respondit *nullo*, significat
„ nullo neque Paschali, neque ordinario tempore.
„ Silet autem de quo non quæritur, quodque non
„ ignoratur ab ullo, neque pueris.

II. CASUS = *Titius minatur Fratri suo vindictam levem*
„ *cum juramento, aliquando tamen sine voluntate il-*
„ *lam exequendi, & aliquando sine animo jurandi,*
„ *licet cum voluntate exequendi. Queritur an, & quo-*
„ *modo peccet, & contra quas virtutes* ? Tria ergo
„ hic, ut patet quæruntur.

„ *Pesettus* hæc omnia miscet in unum, & respondit =
„ *Dico peccare graviter contra Religionem, quia quam-*

 vis

„ *vis vindicta sit levis, attamen cum utatur juramento*
„ *in re per se mala committitur gravis irreverentia* =
„ Bene hoc quidem juxta probabiliorem Sententiam,
„ quamvis plures gravesque Auctores contradicant.
„ Sed notari posset, illa additio *per se*, quasi vero,
„ quod si res non *per se*, sed ex alio titulo illicita sit,
„ tum non sit illa gravis irreverentia, sed benignius
„ agamus, & hoc prætereatur = Pergit idem = *Adhi-*
„ *bendo autem juramentum sine animo jurandi peccat*
„ *graviter contra Religionem, quia quod ore profert,*
„ *mente contradicit. Hæc est propositio ab Innocentio*
„ *XI. proscripta, & ut superius voluntas est adim-*
„ *plenda* = Plura hic sunt animadversione digna I. In-
„ cunctanter affirmatur peccare graviter eum, qui
„ jurat sine animo jurandi, sed cum animo implen-
„ di, quod negatur a pluribus Theologis. Quare
„ opus erat aliqua probatione: illa, quæ adducitur=
„ *quia quod ore profert mente contradicit* = Non est ad
„ rem. Additur = *Hæc est propositio ab Innocentio*
„ *XI. proscripta* = Inepte quidem. Propositio enim
„ proscripta hæc est = *Cum causa licitum est jurare*
„ *sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gra-*
„ *vis* =. Ex qua quidem infertur illicitum esse ejus-
„ modi juramentum, sed non infertur esse graviter
„ illicitum ubi agitur de re levi. Quare communis-
„ sima *apud Alphonsum Liguorio Lib. III. tract. 2. de*
„ *præcept. dec. Cap. 2. dub.* 5. tenet oppositum. Illud
„ ergo assertum sine probatione manet. Denique addi-
„ tur = *Et ut superius voluntas est adimplenda* = Quæ
„ voluntas? Nempe vindictæ. Magnus hic esset er-
„ ror, si auctori Pesetti esset imputandus. At ut
„ diximus, benigne cum eo agendum. Error potius
„ Amanuensi transcriptori tribuatur, quoniam, ut
„ dixi suspicio probabilis est de interpolato exempla-
„ ri. At illud quomodo condonandum, quod postre-
„ mæ quæstioni nihil penitus responderit? Quere-
„ batur namque contra quas virtutes Sejus ita jurans
„ peccaverit? Ipse contentus fortasse, de quo dixe-
„ rat, peccasse nempe contra Religionem, nihil am-
„ plius addidit. At peccavit nè contra Religionem
„ tantum.

„ Audiamus Pelliccioni = *Ad secundam partem dico,*
„ *Cajum cum jurat animo exequendi peccare contra*
Re-

„ *Religionem propter abusum juramenti, qui est Re-*
„ *ligionis actus, deinde contra Charitatem ob malum,*
„ *quod minitatur alteri ingenere loquendo : tandem*
„ *contra Pietatem, quia malum minitatur Fratri, &*
„ *interius peccatum consumat. Cum autem jurat sine*
„ *animo exequendi, sola Religio læditur propter abu-*
„ *sum, ut supra.* Deest, ut supra notatum est, ju-
„ ramentum *sine animo jurandi* de qua re vide ibi di-
„ cta. Sed si ex hoc capite plura condonantur Peset-
„ ti, videtur hoc unicum condonandum Pelliccioni,
„ atque hic prorsus ab omni censura erit in omnibus
„ immunis, proindeque Pesetto longe superior. Sed
„ jam ad tertium Casum procedamus.

III. CASUS hic erat = *Penitens inter cetera peccata letha-*
„ *lia, se accusat deposuisse falsum in judicio cum*
„ *gravi damno Petri, quod putabat esse verum; ac-*
„ *cusat se pariter in alio judicio negavisse scire, quod*
„ *vere sciebat, ut Johannes liberaretur a condemnatio-*
„ *ne propter damna illata Francisco ab ipso Johanne =*
„ *Quæritur, an in utroque casu peccaverit, & an in*
„ *aliquam pœnam inciderit?*

„ *Pesettus* respondit. *Quantum ad primam partem ne-*
„ *gative de peccato formali, & de pœna incursa,* &
„ quidem bene, sed melius Pelliccionus, qui idem
„ respondit, sed addit = *quam* (conscientiam) *sup-*
„ *pono fuisse invincibilem, neque ullam precessisse*
„ *negligentiam in exquirendo veritatem ante deposi-*
„ *tionem factam. Non enim in hoc casu poterat ille*
„ *aliter deponere* = Tum innuit aptum modum repa-
„ randi damna. Dixi Superius de Pesetti *bene* propter
„ indulgentiam, qua me acturum cum ipso promisi.
„ Ceterum responsio Pelliccioni ostendit responsio-
„ nem illius non esse exactam.

„ Responsio *Pesetti ad secundam partem = peccavisse,*
„ *& incidisse in pœnam Censuræ Superiori reservatam,*
„ *quia sua negatio fuit in grave damnum Francisci* =
„ Hic non explicat, quam censuram incurrerit Pæ-
„ nitens. Sed audiamus Pelliccionum rem omnem
„ dilucide disserte exponentem = *Quod vero ad Se-*
„ *cundam partem attinet, respondeo, posito quod*
„ *judicium legitimum fuerit, ipse vero fuerit Testis, &*
„ *juramentum præcesserit (ut volet), & vere Judex*
„ *legitime interrogaverit de iis, quæ ipse tenebatur de-*
„ *ponere, & poterat manifestare (nam casus dari po-*
„ *test*

„ *test, in quo quis non tenetur, ut Confessarius*) *res-*
„ *pondeo inquam, peccavisse perjurio contra Religio-*
„ *nem, deinde contra justitiam legalem ob judicii per-*
„ *versionem: Tandem contra justitiam commutativam*
„ *ob damnum illatum Petro; Si Petrus ob illius nega-*
„ *tionem non potuit compellere Joannem ad damna sibi*
„ *illata reparanda. Dixi si Petrus &c. Nam si Petrus*
„ *ob aliorum Testium depositionem indemnis factus*
„ *fuisset secus dicendum, neque damnum secutum es-*
„ *set. Quod ultimum peccatum contra justitiam &c.*
„ *ob damnum illatum obstringit hunc Testem excom-*
„ *municatione reservata in Synodo contra feren-*
„ *dus* (corrige *ferentes*. Atque hinc rursus confirma-
„ tur suspicio de corrupto exemplari actuum) *fal-*
„ *sum Testimonium, possit* (corrige *posito*: auge-
„ tur prædicta suspicio) *tamen quod illi innotuerit*
„ *hæc pœna, & scienter fuerit &c.*: Hæc vel sola res-
„ ponsio præsefert utique Theologum non facile re-
„ probandum.

„ Sequitur = *Canon Concil. Trident.* 18. *Sess. VI.* = *Si*
„ *quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato*
„ *sub gratia constituto esse ad observandum impossi-*
„ *bilia, anathema sit* = Pesettus = *se alcuno dirà, che*
„ *i Precetti di Dio all' Uomo ancorchè giustificato, e*
„ *costituito in grazia siano impossibile* (corrige *im-*
„ *possibili*: Augetur prædicta suspicio corruptionis
„ ex obscitantia) *ad osservarsi, sia scommunicato*,
„ *Sub gratia constitutus*: in linguaggio Teologico
„ non significa mai *costituito in grazia*: questo già si
„ era detto dal Canone colla parola *justificato* = „ ma
„ sibbene significa *costituito sotto la grazia ausiliatrice*
„ che è lo stesso, che il dire *ajutato dalla grazia* au-
„ siliatrice attuale. E questa era la mente del Conci-
„ lio di condannare l' errore di quei, che dicevano
„ essere i precetti di Dio impossibili anche all' Uomo
„ giustificato, ed ajutato dalla grazia. Questo è il
„ vero senso del Canone, il quale è stato ben' espres-
„ so dal Pelliccioni = *Se alcuno dirà, che i Precetti di*
„ *Dio siano impossibili ad osservarsi anche da chi è*
„ *giustificato, ed in stato di grazia in caso di ricever*
„ *gli ajuti, sia Scommunicato* = Scite dixit *in caso di*
„ *ricevere gli ajuti*. Nam pueri nondum ratione uten-
„ tes, amentes, Ebrii &c. non sunt in hoc casu.

„ Se-

„ Sequitur *Concio super Evang. Fer. VI. post Dominicam Passionis*. = Pesetti deest Concio vel ab eo non exarata, vel ab Amanuensi Notario ex Actis non transcripta = Pelliccionus = Quid facimus = *Vana è la prudenza umana; inutili sono gli sforzi = Quando gli Uomini si appoggiano alla propria Scienza = Cogitaverunt consilia &c. = Della Politica = Dai Beneficj di Cristo prenderei* (corrige : *prendere* : magis magisque augetur predicta suspicio) *motivo di perseguitarlo. Così fanno li peccatori : s'abusano dei favori di Dio &c.* =

„ Animadvertendum duco in hæc acta concursus. Periculosa illa in Concursibus judicandi ratio, qua cernitur in præsenti concursu dijudicatum esse, ut secretis suffragiis res fuerit transacta contra morem stylumque tum Romæ, tum alibi communem. Judicium enim in Concursibus ad Parochiales Ecclesias ita solet institui, ut ab examinatoribus communi Scrutinio, & deliberatione super singulas examinandi, seu Concurrentis responsiones ad propositas casuum quæstiones habita coram Episcopo, ipso ad probante, conveniatur de singulis, quo calculo unaquæque responsio digna sit, & calculus scripto ad unam quamque responsionem notetur. Id ipsum de Concione, seu expositione fieri solet. His exactis fit computus punctorum, seu calculorum; ex qua computatione palam fit, quinam sit ad probatus, & qui reprobatus hac lege, ut qui ex. gr. ex undecim punctis non habuit nisi medietatem, aut infra, is reprobatus censeatur, puta si quinque, aut quatuor tantum e decem habuerit. Sin vero ultra medietatem habuerit, erit approbationis gradus major vel minor, prout ad numerum undecim aut accedit, aut distat; Ita qui undecim tulit puncta, adprobatus censetur in I. gradu, qui novem in II. Porrò si hac ratione fuisset in Concursu illo Lucano res dijudicata, palam est Vincentium Pelliccioni debuisse vel in I., vel saltem in II. gradu adprobari, è contra Nicolaum Pesetti in longe inferiori gradu. At contra in judicio illo factum est. Quinque Examinatores in silentio, quantum ex actis apparet, & secreto Symbolam tulerunt, & ex ipsis tres Nicolaum Pesetti potuere ap-

„ approbare refragantibus duobus, & è contra tres
„ Vincentium Pelliccioni reprobare refragantibus
„ duobus, quod facile fieri potest, vel ex unius im-
„ peritia non discussis responsionibus, vel ex levi
„ attentione, vel etiam studio partis. Examinatores
„ enim homines sunt, & humana pati possunt.
„ II. Si ita rigorose egerunt Examinatores, ut Vincen-
„ tium Pelliccioni, cujus acta examinis, ut vidimus,
„ pene immunia sunt ab errore, quomodo Nicolaum
„ Pesetti adprobarunt, cujus acta errata notabilia
„ continent, & manca sunt? A fortiori videbatur
„ hic reprobandus. Ubi ergo rationabile judicium?
„ III. Cum tribus partibus constet experimentum in
„ concursu è concurrentibus sumptum, nempe ex
„ resolutione casuum Moralium; ex Versione Ca-
„ nonis supra relati in italum sermonem; & ex Con-
„ cione super Evangelium adsignatum; Quæstio-
„ nibus quidem è casibus propositis mediocriter, & si
„ placet, etiam bene respondit Pesetti, versionem
„ non fecit accuratam Canonis, cujus sensum non
„ est assequutus, & Concionem penitus omisit. Quid
„ ergo pro sola casuum solutione merebitur adproba-
„ tionem, ut idoneus Parochus habeatur, nullo ex-
„ hibito experimento peritiæ suæ in Concionando,
„ exponendisque Evangeliis, quae ex officio populo
„ debet exponere? Vel ergo ostendenda est ejus Con-
„ cio si forte in transcribendis actis exciderit, vel si
„ non ostenditur Examinatorum judicium saltem com-
„ parativum minime justum videtur. Ut autem hoc
„ decidatur censeo ipsa acta originalia ex Episcopali
„ Curia Lucana exposcenda. His itaque animadversis
„ censeo I. insinuandam Archiepiscopo reformatio-
„ nem formæ examinis in concursibus ad Parochiales
„ Ecclesias ad normam ejus, quæ Romæ, & alibi
„ communiter viget. Juxta communem hanc formam
„ expensis utriusque concurrentis actis, computa-
„ tisque calculis deprehendetur imputando singulis
„ casibus, ut assolet, *tria* puncta, *unum* expositioni
„ Canonis, & Concioni item *unum* Vincentium Pel-
„ liccioni adprobandum esse punctis, seu calculis
„ ex XI. saltem X., Nicolaum vero Pesetti ex XI. me-
„ ritum esse quinque, vel ad summum VI.. De ejus
„ adprobatione aut reprobatione, nihil ausim affir-
„ mare, cum acta illius pleniori indigeant disquisi-
„ tio-

„ tione, quæ fieri non potest ex transmissorum actuum
„ defectu. Quare &c.
„ Censeo secundo Vincentium Pelliccioni immerito re-
„ probatum.

Ex his dubium proponitur.

An constet de irrationabili judicio examinatorum in casu &c.

Dilata, & afferantur integra Acta Concursus.

NULLIUS SUBLACEN. PRÆEMINENTIARUM. Capitulum Parrochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ Sublaci duplici constat Canonicorum *classe*. Alii vetustioris fundationis separatam *Massam* habentes vocantur *primæ erectionis*. Qui vero ex recenti fundatione *anni* 1796. instituti fuere *secundæ erectionis* appellantur. Sed multo ante quam *secunda erectio* hujusmodi fieret cunsuetudo inolevit, ut alii post Canonicos *primæ erectionis* in Choro sederent, quin tamen essent *de græmio* Capituli, scilicet *Cappellanus Galli*, & *Cappellani Coadjutores* Parochorum. *Sess.5. cap.1. de Reform. ses. 25. cap.13. de Reform.*

Anno siquidem 1679. Petrus Galli testamento reliquit Cappellaniam sub invocatione *S. Annæ in Ecclesia Reformatorum* Sublaci, reservatoque laicali jure patronatu Familiæ suæ Galli Cappellano injunxit onus Missarum, simulque coadjuvandi Parochum in Cura Animarum. In erectione facta ab Ordinario legitur = *& locum in choro eidem assignamus ultimum post Canonicos de consensu tamen RR. DD. Canonicorum*. Latet omnino, num Canonici consensum præstiterint, hoc certum, quod ab eo tempore in Choro sedit post Canonicos. Pari modo Cappellani, quos sibi Parochi coadjutores adjungunt, altari solent ministràre Canonicis, & in Choro intersunt post Beneficiatum *Galli*. Verumtamen omnes isti nec possessionem capiunt in Collegiata Ecclesia, nec ullas percipiunt quotidianas distributiones, si sponte Choro adsunt, nec puntis fallentiarum notantur, si arbitratu suo à Chori servitio deficiunt.

Anno vero 1796. ex fundatione Petri Caroni alii octo Canonicatus adjuncti fuerunt antiquioribus; & præterea

erecti quatuor Mansionarii, seu Beneficiati. In *Bulla* vero *fundationis*, quae incipit *Decorem Dei* à san. mem. Pii VI. data *die* 3. *Septembris* 1792. praescribitur, ut octo Canonici, & quatuor Beneficiati = *una cum Archidiacono principali, aliisque duabus Dignitatibus, cæterisque Canonicis Capitulum dictæ Collegiatæ constituant, eisdemque futuris, & pro tempore existentibus Canonicis, & Beneficiatis, seu Mansionariis similia habitus insignia, & singula tam spiritualia, quam temporalia privilegia, immunitates, præeminentias quoque, & prerogativas, indulta, favores, & gratias, quibus Capitulum & Canonici illius Ecclesiæ de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias non tamen titulo oneroso utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti frui, & gaudere possint quomodolibet, & in futurum similiter, ac pariformiter, & æque principaliter & absque ulla prorsus differentia, perinde ac si Canonicatibus & Beneficiatis, seu Mansionariis per præsentes erectis, illorumque possessoribus specialiter, & expresse concessa fuissent eadem authoritate pariter concedimus, & indulgemur*. Hinc Vicarius Apostolicus Sublacensis *die* 1. *Octobris* 1796. possessionem dedit octo Canonicis, & quatuor Mansionariis, seu Beneficiatis, quibus *stallum* adscripsit immediatum post Canonicos.

Quæstio nunc oritur præcedentiæ, tum in Choro, tum in Sac. Functionibus inter Beneficiatos, seu Mansionarios *Caroni*, & Cappellanum Galli, & Cappellanos Coadjutores Parochorum. Isti enim aliquando digniorem locum post Canonicos occuparunt, itaut Beneficiati Caroni quæstionem hanc super præcedentia huic Sac. Congregationi detulerint. Exquisita est Informatio Vicarii Apostolici, qui narrata confirmans, & Votum Capituli transmittens favet Beneficiatis Caroni. *Ex respectivis* (inquit) *Bullis quatuor Beneficiatorum, seu Mansionariorum hujus Collegiatæ Divi Andreæ extra omnem dubitationis aleam positum est eosdem non solum esse de græmio capituli, sed etiam locum in choro iisdem esse assignandum post seniores Beneficiatos jamdiu receptos ad instar octo Canonicorum novissime adiunctorum, quibus locus in Choro ab eorum Bullis assignatur post alios Seniores Canonicos. Porro nullos alios Beneficiatos jamdiu in Collegiatam fuisse receptos præter Supplicantes tum ab audito Ca-*

pi-

pitulo ; *tum ab auditis Coadjutoribus distincte cognovi*.

Primum quidem visi sunt collitigantes velle se de praeeminentia in contradictorio judicio decertare, & dubium contradicentibus *Partibus* disputandum mandavi. Sed postea ut expensis parcerent, mihi sua jura *in Scriptis* utrinque exhibuerunt, ut ea *in Folio* EE.VV. referrem. Cappellani coadjutores praecedentiam supra Beneficiatos *Caroni* deducunt tum *ex consuetudine*, tum etiam *ex Litteris Apostolicis*, unde Beneficiati hujusmodi ad beneficia instituuntur. Jam se obtinuisse praecedentiam post Canonicos probant ex Testibus, & praecipue Beneficiatus Galli, cui ex Decreto Vicarii Apostolici data est praecedentia post Canonicos; qui si numquam reclamarunt per tam longaevum tempus, hoc ipso evincitur, quod Canonici Seniores in hanc praecedentiam consenserint. In dirimendis vero controversiis hujusmodi praecedentiarum omne tulit punctum consuetudo, quae attendenda etiam esset, si adversaretur juris dispositioni, ut post *Text. in cap. Cum consuetudinis de consuetud.* tradunt *Gonzalez ibidem num. 9. Tranched. consult.* 14. *nu.* 4. & 5. *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 9., & *Rota in Colonien. Praecedentiarum super bono jure* 22. *Martii* 1697. §. *Siquidem coram Muto*. Huic vero consuetudini non derogasse contendunt posteriorem fundationem Beneficiatorum *Caroni*. Nam *in Litteris Apostolicis*, quae ipsis relaxantur, instituuntur post *Beneficiatos in dicta Ecclesia jamdiu receptos*, eisque assignatur *locum post Seniores in Choro*. Hinc deducunt, quod si ipsi in Choro jamdiu recepti sint, non possint Beneficiati *Caroni* de praecedentia cum ipsis decertare.

Contra haec Beneficiati *Cavoni* praecedentiam sibi asserunt tum ex *juris dispositione*, tum etiam *ex Bulla Fundationis*. A jure enim datur post Canonicos praecedentia Beneficiatis etiam supra Parochos, qui non sunt de graemio Capituli ut tradit *Monacel. Formul. in supplem. ad Tom.* 3. *num.* 104. *Ferrar. Biblioth. verb. Praecedentia num.* 27. *Rota Decis.* 657. *num.* 3. *part.* 1. *decis.* 553. *num.* 2. *part.* 4. *decis.* 254. *num.* 8. *part.* 10. *Recen.*, & definivit S. Rituum Congregatio *in Bituntina* 22. *Augusti* 1688., & *in Taurinen.* 20. *Octobris* 1683.. Maxime cum = *Canonici*, & *Beneficiati una cum Archiepiscopo principali, aliisque duabus*

Dignitatibus cæterisque Canonicis Capitulum constituant, ut habetur *ex Bulla erectionis*. Quare si Beneficiati una cum Canonicis unum corpus constituant, si Canonicis praecedentia debetur; aeque Beneficiatis post Canonicos concedenda est, ne corpus unum scindatur, quod sane esset *monstruosum* ut iisdem verbis docet *Rota decis.* 114. *num.* 1. *part.* 10. *dec.* 148. *num.* 1. *part.* 14. *Recen.* Ex *Bulla* vero *Fundationis* conceduntur novis *Canonicis*, *& Beneficiatis*, *seu Mansionariis similia habitus insignia, ac omnia*, *& singula privilegia immunitatis*, *& exemptiones præeminentias quoque*, *& prerogativas indulta*, *favores*, *& gratias quibus Capitulum*, *& Canonici illius Ecclesiæ de jure usu*, *& consuetudine, aut alias fruuntur*, *& gaudent*. Quemadmodum igitur Canonici *primæ erectionis* fruebantur praecedentia supra cæteros Præsbiteros, qui choro, & processionibus intersunt; ita Canonici *secundæ erectionis* & Beneficiati, quibus illa privilegia communicata sunt, eodem praecedentiæ honore uti frui debent.

Negant porro *Beneficiati Caroni*, quod Cappellanus Galli & cæteri Cappellani Coadiutores ullum præsidium inveniri possent sive in *consuetudine*, sive in *Litteris Apostolicis*, quæ relaxantur, cum Cappellani Caroni instituuntur. Nam cum ante fundationem Caroni, nulli alii essent Beneficiati de græmio Capituli, nil sane prodest Cappellanis *consuetudo*, si, quamdiu in Choro recepti fuerunt, post Canonicos locum obtinuerint. Reque vera in exequtionem Bullæ Fundationis Vicarius Apostolicus Sublacensis possessionem tribuens Beneficiatis *Caroni*, eisdem immediatum Stallum post Canonicos adscripsit. Unde apertum est, quod consuetudo nullam praecedentiam aliis Cappellanis tribuebat.

Neque si in *Litteris Apostolicis* Beneficiati Caroni instituuntur post *Beneficiatos jamdiu receptos* ex hoc nullam prærogativam sibi arrogare possunt. Nam Cappellanus *Galli*, & Cappellani coadiutores numquam fuerunt, aut sunt Beneficiati de græmio Capituli. Etenim ut ex Sententia Canonicorum affirmat Vicarius Apostolicus in sua *Informatione* Cappellani coadiutores sunt ad nutum amovibiles, nec Beneficium aut titulum collativum habent. Cappellanus vero Galli instituitur in alia Ecclesia PP. Reformatorum, in eaque pos-

possessionem capit. Quod si ei ex vetusto Decreto Ordinarii Sublacensis assignatum fuit stallum in choro, ita tamen assignatum fuit, ut accederet consensus Capituli, quem accessisse nullimode constat. Immo vero ipse Cappellanus Galli Capitulum deprecatus est, ut particeps fieret suffragii, quod in morte Capitularium a ceteris celebratur. Quo facto satis indicavit, se non esse de græmio Capituli. Aliter enim numquam implorasset id, quod, si esset de græmio Capituli, jure obtinere potuisset.

Cæterum cum Cappellani hujusmodi nec choro intersint ex obligatione, sed sponte; nec quotidianas distributiones percipiant, si servitium chori præstent; aut punctaturis notentur, si a servitio deficiunt; cum nec votum habeant in Capitulo, nec umquam in Collegium erecti fuerint; sequitur, ut tamquam Beneficiati habendi numquam sint, & eorum possessio in stallo chorali *præcaria* reputari debeat, ex qua nullam deducere possint prærogativam, ut Beneficiatos Caroni præcedere valeant, qui ex fundatione sunt de gremio Capituli.

Hæc habui *in scriptis* a Litigantibus, quæ vobis referrem EE. PP. ut deliberare possitis.

An, & cui danda sit præcedentia post Canonicos tum in Choro, quam in cæteris Sacris functionibus in casu &c.

Affirmative favore Beneficiatorum Caroni.

ROMANA CAPPELLANIÆ. A Gente Ursinia emit Dux Livius Odescalchi Fodinas Sulphuris, quæ sunt in Agro Scrophani constituto pretio scutorum 1900. quod solutum est facta a Duce remissione nominis, quod in majori quantitate cum familia Ursinia habebat. Instrumentum venditionis hujusmodi stipulatum fuit *die* 24. *Decembris* 1764. ab R. P. D. Canale tum temporis Thesaurario Generali, tamquam Præfecto Congregationis Baronum. In eo instrumento cum Universitate bonorum translatum quoque est jus honorificum *præsentandi*, atque nominandi Cappellanum ad nutum amovibilem pro exercitio quatuor Cappel- *Sess.24. cap.6. de Reform.*

la-

laniarum, quae in *SS. Basilica S. Petri in Vaticano* sub invocatione S. Joannes Baptistæ erectæ existunt, quarum Juspatronatus ad Familiam Ursini pertinebat. Hęc vero jurispatronatus translatio facta est = *cum hac conditione, & pacto, quod Dux Odescalcus ex fructibus dictæ Cavæ sulphuris, aliorumque, ut supra venditorum a die stipulationis præsentis Instrumenti teneatur solvere Cappellano pro tempore dictarum quatuor Cappellaniarum solitum emolumentum, seu elemosinam scutorum octuaginta octo qualibet anno prout solutum fuit, & de præsenti solvitur eidem Cappellano a Patrimonio dictæ Domus Ursiniæ*.

Has Cappellanias ab anno 1739. possidet Sacerdos Carolus Valeriani, qui a S. M. Clemente XIII.obtinuit indultum,ut quoad viveret eas perpetuo retinere posset. Et quamquam in Instrumento aquisitionis Dux Odescalchi sibi reservasset jus, ut obtenta adversus indultum a Cappellano impetratum *aperitione Oris* posset illum removere; attamen ab eo tempore, numquam hac reservatione usus est, & Cappellano annuum emolumentum scutorum 88. rependidit usque ad mensem *Junii anni* 1800. Quo tempore cum Fodinarum conductorem non invenisset Dux Odescalchi a solutione emolumenti cessavit, ratus quod tantum ex earum fructibus deberetur. Nihilominus Cappellanus jugiter implevit Missarum celebrationem, & cum nihil se proficere posse cognovit apud Ducem Odescalchi, ut solutionem emolumenti *decursi in summa scutorum* 124. obtineret,judicio egit primum coram R. P. D. Quarantotto Pro-Secretario *S. Visitationis*,qui Capellanum a petita solutione rejecit. Provocante Valeriano, R. P. D. Zaulii in gradu appellationis priori revocato judicatoDucemOdescalchi damnavit ad solutionem insolutorum emolumentorum. Nunc judicium hujusmodi pendet in tertia instantia *coram R.P. D.Ridolfi* adhuc indecisum.

Interea D. Odescalchi a S. Congregatione postulavit, ut renunciato jurepatronatu ipsas fodinas sulphuris cedere possit Cappellano, ut eas vel arbitrio suo locet, vel usufruatur, & ipse D. Odescalchi imposterum immunis evadat ab onere solvendi Capellano annuum emolumentum scutorum 88. Exquisitum est votum tum *Eminentissimi Urbis Vicarii*, tum *Regiæ Celsitudinis Eminentissimi Archipresbiteri* Capituli Vaticani.

il-

Illud favet Duci Odescalchio. Ait enim Eminentissimus Urbis Vicarius *nullam obligationem D. Odescalchius pro Cappellaniis in propria bona suscepit. Si igitur Cappellaniarum onus Fodinis inest, quid quæso est, quod ære proprio Cappellaniis satisfacere DuxOdescalchi teneatur? Quod si Fodinas ipsas ac cetera, quæ ad Fodinas pertinent Cappellano concedere, & addicere cupit, quid magis est, quod ab ipso contendi valeat?* Votum vero *R. C. E. Archipræsbiteri* suffragatur Cappellano, qui ab eo interpellatus, suaque jura deducens = *advertit Fodinas steriles haud fuisse effectus, dum sulphuris venæ non exaruerunt. Ex hac animadversione recte arguitur, quod annua exhibitio Cappellano debeatur a Duce, quamvis actu nullos ipse percipiat fructus ex fodinis ob conductorum deficientiam. Fructus namque etiam absque conductore Dux percipere ex Fodinis posset.*

Nititur D. Odescalchi litteræ Instrumenti *anni* 1764. in quo juspatronatum hujusmodi a Gente Ursinia aquisivit. Spondidit namque = *ex fructibus dictæ Cavæ sulphuris, aliorumque venditorum a die stipulationis præsentis Instrumenti solvere Cappellano pro tempore dictarum quatuorCappellaniarum solitum emolumentum, seu ælemosinam scutorum octuaginta octo quolibet anno.* Nullam hinc obligationem suscepisse contendit in bonis propriis, sed *taxativam* obligationem respectu ad fructus ex Fodinis percipiendis. Nam sese obligavit *ex fructibus* solvere solitum *emolumentum*, unde, cum fundi designatio precedat onus impositum *taxativa* censenda sit obligatio, ut *ex doctrina Felini in Cap. super Litteris de Rescript.* docet *Crispin. de Visit. Pastoral. Part.* 2. §.28. *num.*6. *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. ult.* §. 22. Quare si nunc Fodinæ fructus non reddunt, cum nemo illas nunc locatas retineat, sequitur ut immunis sit ab obligatione rependendi emolumenti, ut docent *Mantic. de Conjectur. lib.* 12. *tit.* 6. *num.* 24. *Menoch. de Præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 147. *Castill. Controvers. Juris. lib.* 4. *cap.*54. *Rota decis.* 456. *num.* 34. *cor. Merlin.* Hinc tandem concludit, quod Cappellano nullum aliud jus sit, quam ipsum fundum consequi, cui hęc inest obligatio, adeoque concedendum sibi sit, quod cessionem fodinarum Cappellano facere possit.

Cappellanus vero Valerianus omittit hanc controversiam, utrum suscepta a Duce obligatio *taxativa* sit, vel *demo-*

mostrativa. Cujusmodi ea sit ipso fatente Duce semper correspectiva est *ad fructus*, quos ex Fodinis esset percepturus. Nisi igitur Fodinae infructiferae evaserint, non potest Dux Odescalchius a se repellere obligationem, ut Cappellano rependat annuum emolumentum. Cum vero non probatur Fodinas hujusmodi exaruisse ut nullos fructus dare possint; sequitur ut ipse praestare debeat id quod spondidit, scilicet ex fructibus fodinarum emolumentum solvere. Nec si Fodinae locatae non sint, idcirco liberatur D. Odescalchius. Nam non suscepit obligationem super *pensionibus*, sed super *fructibus* Fodinarum. Nil igitur quaerendum si nunc Fodinae careant Conductore. Satis est, ut fructus dare possint, si eas D. Odescalchius aere suo effodiat, ut proinde ad rependendum emolumentum sit obstrictus. Posito autem, quod D. Odescalchius ad praestandum emolumentum teneatur, non potest cogere Cappellanum, ut fundum accipiat, & cessionem acceptet, maxime cum gravis sit annis, & adversa valetudine, ut hanc molestiam effodiendi Fodinas suscipere nequeat. Dubium est.

An sit locus cessioni, seu potius sit praestandum emolumentum in casu &c.

Dilata, & exhibeantur Instrumenta Fundationis, & acquisitionis.

Ses. 24. Cap. 12. de Reform.

MONTIS ALTI SERVITII CHORI. In Oppido *Castineani* extat Collegiata, in qua ex veteri instituto ter in hebdomada servitium Chori praestabatur. Sed *anno* 1772. aucto Capitularium numero introductum fuit servitium quotidianum cum alternativa ex novis Constitutionibus quas defunctus Episcopus Marcucci scripsit, & Capitulum acceptas tulit. Ante latas novas Constitutiones inoleverat consuetudo, ut Capitulares possent sibi invicem substituere in servitio Chori obeundo. Ubi Praesul Marcuccius novas proposuit Constitutiones eas quidem Canonici acceptarunt, simulque se subiicierunt graviori Chori servitio, reservata sibi = *la facoltà di sostituire un altro de gremio Capituli nelle mancanze* = Quaestio nunc oritur inter Capitulares, num haec consuetudo indiscriminatim servanda sit, seu potius certi excipiendi sint casus inferius recensendi. Datę hinc preces fuere a Capitulo huic

huic S. Congregationi, ut dignaretur hanc controversiam dirimere. Episcopus in sua Informatione exposita confirmans refert, quod = *consuetudo hujusmodi & ante, & post reformatas Constitutiones suo semper pleno robore stetit absque temporis, aut loci, aut circumstantiarum discrimine. Hinc major Capituli pars exoptat istam substituendi consuetudinem servari. Existimat enim nihil excipi, ubi nihil in statutis distinguitur, & consuetudinem optimum Legis interpretem, & hanc rationi esse consentaneam, cum quotidiano servitio chori sponte se subiicerint Canonici absque lucri augumento, sed ut morem gererent consilio Episcopi. Bini autem Capitulares cupiunt moderari, ac restringi; ajunt enim aliquos irrepsisse abusus. Cupiunt PRIMUM declarari eos substituendos esse, qui eadem die chorali servitio addicti sunt. SECUNDO eos substituere non posse, qui a terra ubi est collegiata, vel ab ejus Suburbiis absunt. TERTIO hujusmodi substitutiones non debere esse nimium frequentes. QUARTO Coadiutores sive Canonici sint, sive Mansionarii privilegio alium substituendi uti non posse.*

Tridentinum sane *in sess.*24. *cap.*12. *de Reform.* praescribit, *ut omnes divina per se, & non per substitutum compellantur obire officia*. Hinc nonnulli putant non licere alium in choro substituere; nihilominus quod hanc substitutionem vel constitutiones Ecclesiae permittunt, vel consuetudo ferat *Vannespen. in dissert. de Canon. part.*5. *tit.*6. §.5. Verum cum haec sententia nimiam redoleat severitatem, benignior opinio excepta est, ut possent Capitulares se invicem substituere, ut tradit *Benedict. XIV. Instit.*107. *num.*17. Et S. Congregatio probavit quidem constitutiones & consuetudines, quae hanc substitutionem permittunt certis tantumodo casibus exceptis juxta resolutiones, quas EE. PP. subiicio.

In Eugubina 15. *Decembris* 1605. = Sacra Congregatio declaravit = *non esse sublatam Capitularibus facultatem sese invicem substituendi dummodo eodem tempore substituens, & substitutus eidem servitio addicti non sint Lib.*10. *Decret. pag.*142.

In Fulginaten. 31. *Maii* 1711. disputato Dubio = *An Canonici & Capitulares Cathedralis Fulginatensis absentes a Civitate, ejusque suburbiis possint se invicem substituere in servitio Chori*. Responsum fuit *Negative*.

In Spoletana 28. *Februarii* 1795. cum quæsitum esset in II. Dubio *An , & quomodo Canonicus Coadjutor alium substituere possit in chorale servitium* = respondit *Negative*.

In Alatrina 24. *Martii* 1612. *monuit, ne substitutiones hujusmodi sint nimium frequentes , quod Episcopi erit arbitrio = Lib.* 11. *Decret. pag.* 112.

Ex quibus videtur, quod merito nonnulli Capitulares has restrictiones postulent. Nam ex rigore juris hæc substituendi facultas non esset admittenda, adeoque si ex quadam æquitate eam indulsit Sac. Congregatio; profecto concedi deberet cum adductis restrictionibus Verumtamen major Capituli pars has *restrictiones* recusat, tum quia ex consuetudine usi sunt libera facultate, tum quia ipsi sponte se subjecerint quotidiano servitio Chori, quod olim ter in hebdomada præstabant. Hinc gravius servitium nullo addito emolumento præstandum compensari oportere contendunt ex libera sese invicem substituendi facultate, quam sibi in novis acceptandis constitutionibus expresse reservarunt = *colla facoltà di sostituire un altro de gremio nelle mancanze* =

Dubium hinc emergit.

An , & quomodo Capitulares Collegiatæ S. Mariæ Lauretanæ in Oppido Castineani se invicem substituere possint in Chori servitio in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

SPOLETANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Dominicus Frascharelli ex Oppido di Todiano postremo testamento 14. *Junii* 1783. legavit = *alla Compagnia dell' Anime del Purgatorio di detto Luogo di Todiano scudi duecento per una sol volta da pagarsi dal mio erede in tanti cambj, o denari contanti da esiggere a mio favore, ovvero secondo i miei eredi vogliono dare li denari; se no, che li detti Officiali piglieranno quei cambj, che loro pareranno, che siano più migliori; però dichiaro, che li detti Officiali di detto luogo di questi duecento scudi, li frutti, che ritireranno, li detti Officiali debbono, l' ultimo Venerdì di Marzo far celebrare Messe cinque l' anno in perpetuo per l' anima mia. Poi li detti Officiali debbano pigliare quattro quarte di grano, e farne tanto pane, e dispensare*

" stare alli Poveri nella Chiesa di S. Bartolomeo, ad un quarto servarlo per farne tanto pane, quando si fà, l'Officio Generale de' Morti = Hæredem proprietarium Gasparem Fraschercelli nepotem suum instituit, & in fundis rusticis perpetuum inflixit fideicommissi onus in linea masculina, & fæminina, qua deficiente = *costituisco erede per li soli terreni, e vigne la Compagnia dell' Anime del S. Purgatorio di detto luogo, e col fruttato di detti Terreni già in perpetuo ogni anno si doveranno dire tante Messe nell' Officio generale per l'anime de Morti*.

Defuncto testatore, traditisque legatis scutis biscentum Sodales semper abhinc onera injuncta prænniterant. Sed *die* 5. *Octobris anni* 1800. habitis comitiis legatum hujusmodi renunciarunt. Præsbiter Joannis Antonius Fraschercelli, nepos Testatoris, ne hujus voluntas inadimpleta remaneat, supplicavit S. Congregationi, ut commutata voluntate ex hoc legato erigeretur Cappelpellania Laicalis cum onere celebrandi tot missas quot responderent fructibus ex quantitate scutorum *biscentum* redeuntibus nunc in annuis *scutis* 8. 50. reservato jure patronatu Familiæ Fraschercelli, eaque perempta Parocho pro tempore Oppidi *di Todiano*, Emus Episcopus Spoletanus narrata confirmans ait = *Ex testamentaria dispositione non video posse ad supplementum urgeri hæredes. Et quatenus EE. VV. velint adhærere precibus supplicantis, missarum stipendia ad rationem perpetuæ taxari posse existimo, ni potius velint servari debere defuncti voluntatem eo meliori modo, quo potest dato mandato Parocho loci pro ejusmodi executione*.

Legatum quidem hujusmodi *taxativum* est. Præcedit enim assignatio fundi designatum onus, ita ut tradito fundo a Testatore legato hæres liberatur ab obligatione supplendi, si fructus fundi legati implendo oneri evaserint impares, ex doctrina *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. Ultim. num.* 23. Hinc si voluntas testatoris impleri non possit, tum sane non repugnare videtur commutatio, ne opus pium prorsus inadimpletum jaceat. Cum vero Testator præcipiat in sua dispositione missarum quinque annuam celebrationem, quam in ordine scripturæ primo loco reliquit, certe ex hac commutatione non multum detrimenti capit ejus voluntas, quoniam si ex impotentia ommittitur Panis distributio, augetur Missarum numerus.

Non enim a Cappellano nominando missae tantum *quinque* essent celebrandae, sed quot ad taxam perpetuae respondent *scutis* 8. 50., quae ex fundo legato quotannis redeunt. Reservatio vero jurispatronatus favore Familiae Fraschereli non incongrua videtur, cum conjuncta sit Testatori; nec tollit jus alteri quaesitum, cum Sodales quibus commissa erat exequtio legati, eidem renunciarunt.

Verum si voluntatem hominum modis omnibus servare decet, ut *ex Can. Ultima Voluntas quaest.* 13. dubitari poterit num commutanda sit voluntas Dominici Fraschereli. Quamquam enim ex fructibus *annuis* 8. 50. celebrari missae quinque, & triticum in panes distribuendum comparari nequeat; attamen certum est, quod idonei sint ad celebrationem missarum, & aliqua, si non omnis legata frumenti quantitas aquiri potest. Ita pauperes non defraudantur distributione panis, & vilescente annona integrum praestare poterit legatum. Constituto vero Cappellano prorsus tollitur subsidium pauperum, cum celebrandae sint missae ad taxam perpetuae, quę scuta 8. 50. adaequent. Hinc Emus Episcopus monet, quod exequtio legati mandari poterit Parocho Oppidi, qui celebratis missis quinque, quae ad manualem requirunt obulos 75. reliqua *scuta* 7. 75., quae ex fructibus legati supersunt, in dictributionem panis eroget.

Dubium est.

An sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis, seu potius, & quomodo sit locus implemento legati in casu &c.

Die

Die Sabbathi 25. Junii 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MONTIS ALTI SERVITII CHORI.
An, & quomodo Capitulares Collegiatæ S. Mariæ Lauretanæ in Oppido Castineani se invicem substituere possint in servitio Chori in casu &c. *Ses.24.Cap.12 de Reform.*

Affirmative exclusis Coadjutoribus dummodo Substitutus non sit eodem die servitio Chori addictus, & substituens non absit a Diæcesi, & substitutiones non sint nimium frequentes.

SPOLETANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Ses.21.Cap.7. de Reform.*
An sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis, seu potius, & quomodo sit locus implemento Legati in casu &c.

Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam juxta votum Emi Episcopi.

ARETINA ERECTIONIS ARCHIDIACONATUS. *Ses.21. Cap.4. de Reform.*
Plebanie S. Felicis *in Pincis* sita in dictione Senensi subiicitur Diæcesi Aretinæ. Exiguum habet gregem, sed peramplum possidet censum, ex quo in proximo quinquennio rediisse constat annua scuta *octingentum*. Vacat nunc Plebania hujusmodi, cujus juspatrona-

tus

tus pertinet ad Gentem nobilitate præclaram *Cerretani de' Bandinelli Paparoni*, ex qua nunc extant Æquites Lelius, Bandinellius, & Alexander. Isti deprecati sunt a S. Congregatione, ut ex redditibus hujus Plebaniæ erigeretur Dignitas Archidiaconalis in Ecclesia Collegiata S. Mariæ *de Provensano*, quæ Senarum est portentis, & cultu populorum celebratissima. Ita autem hanc erectionem fieri postulant, ut Archidiaconus ex Familia Bandinelli nominandus omnes percipiat reditus Plebaniæ, & Parocho quotannis solvat certam pensionem, quæ partim in pecunia numerata, partim in generibus attingat annuam quantitatem scutorum 330., unde Parochus congruam habeat, & præstet expensas manutentionis Ecclesiæ, ædium Parochialium, supelectilium, olei, ceræ, & sacrarum functionum. Interrogatus Episcopus Aretinus validissime repugnat multis allatis rationibus inferius exponendis, unde Votum suum concludit = *hæc sunt quæ mihi pro conscientia vetant precibus Oratorum favere*.

Dum hanc novam erectionem Archidiaconatus ex reditibus Plebaniæ postulant Oratores probe intelligunt, quod agitur de divisione Beneficii Parochialis, quæ tum demum a S. Canonibus permittitur, cum justa causa concurrit, ut apertum est ex *Text. in Cap.* 1. *de reb. Eccles. non alienan. Clem.* 1. *eod. tit.* Causam autem, quam afferunt, in eo ponitur, quod erecta Dignitate Archidiaconali in Collegiata S. Mariæ *de Provensano* augeretur divinus cultus, qui cum respiciat necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ, idoneam præbet causam, cur divisio beneficii concedatur *ad Text. in Cap. exposuisti de Præben.* tradit *Piton. Discept. Ecclesiastic.* 151. *num.* 3. *Rot. coram Peutinger. decis.* 86. *num.* 46., *& in Leodien. Beneficii* 20. *Januarii* 1717. §. *Nullitas coram Crispo*. Addunt & illud, quod Plebania sit dives opibus, ut ex ea & Archidiaconatus erigi, & Parocho pinguis congrua assignari possit. Quare cum non debeat alienatio fieri, sed potius commutatio de uno in alium usum pium, potior omnino esse debeat causa divini cultus, quam superfluæ Rectoris divitiæ ad divisionem honorum Beneficii prescribendam, ut arguit *Card. de Luca de Parochiis discurs.* 36. *num.* 14.

Contra hæc Episcopus contendit, quod divisio Parochialis

lis Beneficii, & bonorum dismembratio permittenda non sit nisi concurrat evidens, precisa, & absoluta necessitas ita, ut dismembratio, & divisio fiat ex eo quod aliter Ecclesiæ necessitati occurri non possit ut tradunt *Lotter. de re Beneficiar. lib.* 1. *quæst.* 28. *numer.* 31. *Reclusio de Re Parochiali part.* 1. *tit.* 12. *n.* 65., & S. Congregatio passim definivit, & novissime *in Anconitana Dismembrationis, & Reintegrationis* 12. *Februarii currentis anni*. Ex Tridentino vero *Sess.* 21. *Cap.* 5. *de Ref.* præscribitur quidem, ut beneficia supprimantur, unde novae Pareciæ constitui possint, numquam vero, ut Pareciæ dismembrentur ad constituenda nova beneficia non curata. Immo in *Cap.* 4. *ejusd. Sess.* dismembratio Parochialium probatur tantam ad novas Parecias constituendas, quo loci ob difficultatem itineris, & grave Parochianorum incomodum ad Pareciam accedi nequeat, & periculum sit quodSacramentis destituti occumbant, ut sepissime interpretatum fuit ab hac S. Congregatione *in Firmana Dismembrationis* 15. *Decembris* 1759.

Quæ omnia cum in casu procul absint, Episcopus negat, quod divisio permitti debeat ex causa erectionis Archidiaconatus. Nam si in Collegiata S. Mariæ *de Provensano* hæc dignitas deficiat, non idcirco divinus cultus imminuitur, & hactenus Ecclesia illa fuit celebratissima, licet hac dignitate careret. Hæc igitur erectio tenderet in solum privatum commodum Familiæ Bandinelli, quæ sibi reservato jurepatronatu haberet pingue Beneficium, quo illis de Familia consuleret. Detrimentum vero maximum caperet tum ipsa regio, in qua sita est Plebania, tum Diœcesis Aretina, ex qua dismembrandum esset Beneficium, ut aliud in aliena Diœcesi constitueretur. *Nam* (ut iisdem Episcopi verbis utar) *Parochus tam pingui beneficio præditus facilius poterit totius Plebanatus animabus prodesse, quod sane & in votis fuisse pii Fundatoris negandum non est, quippe qui sane noverat, quam exiguus esset grex Ecclesiæ S. Felicis addictus. Neque parvi faciendum est commodum, quod Ordinario Aretino offertur ex pingui hoc Beneficio, ubi residere potest, qui Vicarii Foranei munere fungatur, cui quidem oneri Plebanus S. Felicis hactenus satisfecit, tum ob loci positionem, quæ facile finitimis Parœciis adItum præbet;*

tum

tum ob copiam redituum, qua necessariis annuis expensis supplere potuit.

Quod si, nihilominus hæc, quæ Episcopus exponit, EE. PP. probandam censeant erectionem Archidiaconatus, tum statuendum erit *modus*, quo fieri debeat. Oratores postulant, ut novus Archidiaconus bona omnia possideat, & certam pensionem Plebano solvat. Animadvertendum tamen est, quod hoc non esset Plebaniam dividere, & dismembrare, sed fere eam supprimere, & parochum ad conditionem pensionarii reducere. Id quod absurdum sane videtur, itaut quatenus divisio probanda esset, congruum potius videri debet, ut Plebaniæ bona assignentur, ex quibus Parochus alimenta, expensasque percipiat.

Proponitur hinc deliberandum.

An, & quomodo sit locus erectioni Archidiaconatus ex reditibus Plebaniæ S. Felicis in casu &c.

Negative.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

FULGINATEN. AFFRANCATIONIS. Hieronymus Maggi *anno* 1706. possidebat in agri Fulginatensis regione, quam vocant *di Capernaco* fundum, in quo erat comixta quantitas *Starorum decem*, quæ subjiciebatur dominio directo Ecclesiæ S. Mariæ de *Capernaco*, ejusque pro tempore Rectoribus annuum canonem *obolorum* 68. possessores fundi rependebant. Factum est eodem anno 1706., ut Maggius integrum fundum *di Capernaco* venderet Felici Clerici ea conditione, ut hic alium fundum subrogaret pro quantitate *Starorum decem* dominio Ecclesiæ subjectorum, quæ æstimata fuerunt scuta *centum*. Hanc tamen subrogationem licet conventam numquam præstitit Felix Clerici, ita ejus Frater, & hæres Joannes Antonius Clerici dum *anno* 1710. alienavit eumdem fundum favore Justiniani Vitelleschi pacto cavit, ut hic scuta centum deponeret, quæ *Maggii* tenerentur erogare in fundum *Starorum decem* directo dominio Ecclesiæ subjiciendum. Facto deposito tandem anno 1714. Maggii per publicum Instrumentum consentiente Præsbytero

tero Sala tunc temporis Ecclesiæ Rectore, subrogarunt quantitatem *Starorum decem* alterius fundi, quem in eadem regione *di Capernaco* possidebat, & fassi sunt quod Emphyteusis sibi concessa erat ad tertiam generationem.

Nunc bona, & jura hæreditaria *Maggiorum* translata sunt in Felicem Rossi Saracci; qui fundum libertate donare cupiens, & canonem *obolorum* 68. redimere, moderno Rectori Presbytero Sebastiano Drudi obtulit *scuta centum*, quanti scilicet Maggii pro subrogatione fundi habuerunt. Ratus Sacerdos Drudi hanc conditionem acceptare, tum a Sacra Congregatione deprecatus est veniam, ut conventam hujusmodi *affrancationem* sibi stipulare liceret, & scuta centum in investimentum favore Ecclesiæ erogare. Verum consultus Fulginatensis Episcopus licet à Perito deputato novisset, quod quantitas *Starorum decem* illius fundi *Capernaco* ab hæredibus Maggi subrogati non pluris æstimari posset, quam *scuta* 87. 50. monetæ erosæ; nihilominus adversatur Votis supplicantis, cum ex rationibus inferius recensendis concludat = *re aliquali maturitate perpensa mihi assertam Ecclesiæ utilitatem in proposito haud videtur inesse, proptereaque nequaquam Drudi precibus indulgendum arbitrarer*.

Putat namque Episcopus abesse utilitatem Ecclesiæ, quia certo non constat de valore fundi Emphithentici, neque ex quantitate canonis, nec ex enunciativa Instrumenti anni 1714., nec tandem ex præsenti Peritia. Nam ad æstimandam utilitatem affrancationis non habenda est ratio Canonis, qui in remotissimis temporibus tenue admodum constituebatur, sed valoris bonorum, quæ finita Emphiteusi posset Ecclesia recuperare. Quamquam vero ex Instrumento *anni* 1714. hæc quantitas Emphitheutica æstimetur *scuta centum*, attamen ab hinc valor bonorum cum accreverit nulla certa norma haberi potest, & multo pluris æstimari deberent *stara decem*, quę fere *Rubra* duo æquant. Nec quidquam conferre putat Episcopus Peritiam nuperis hisce temporibus factam, quæ respicit fundum a *Maggis* subrogatum, non alium, qui ab ipsis venditus in familiam *Clerici* primum delatus est, & nunc a *Vittelleschis* possidetur. In hac igitur incertitudine valoris censet Episcopus non expedire Ecclesiæ petitam *affrancationem*. Præcipuè cum Familia Maggi exarserit, ut

ob lineam finitam possit Ecclesia devolutionem acceptare, & ipsam portionem Emphitheuticam fundi recuperare.

Hæc habet Episcopus, ut *affrancationi* refragetur, quæ Rector Drudi diluere studet in scriptis mihi exhibitis, ut ea EE. VV. referrem. Contendit enim, quod certus valor portionis Emphitheuticæ assequi nullo modo possit propterea quod portio hujusmodi numquam fuit limitibus circumscripta, sed commixta, & confusa cum integro fundo jaceat. Si vero tum anno 1706. hæc *stara decem* æstimata fuere scuta centum, tum anno 1714. ipso probante Rectore, videtur quod non longe a vero abesse possit certus valor. Maxime cum agatur de re Emphitheutica, quæ ex temporis lapsu augumentum valoris consequi non potest. Nam si fundus meliori culturę subjectus est, non ex hoc directum dominium plus valet; sed utile quod ad Emphitheutam pertinet. Præterea negat posse se agere ad devolutionem ob lineam finitam. Delitescit enim Instrumentum Investituræ, ut proinde obtineri non posset in hoc devolutionis judicio, quod rigidissimas requirit probationes, unde pateat, & quod revera fundus Emphitheusi subjectus sit, & qualitas ipsius Emphitheusis num ex pacto, & providentia, num hæreditaria ut docent *Ciroch. Discurs. Forens.* 56. *num.* 6., *Fulgin. de Jur. Emphitheutic. tit de contract.*, & *Emphitheutic. quæst.* 26. *num.* 2., *Rota dec.* 110. *num.* 2. *cor. Molines*. Maxime cum ex tenuitate Canonis, & ex consuetudine *appodiandi*, quæ viguit in provincia Umbriæ suspicari possit, quod potius concessio *appodiationem* redoleat, quam *Emphitheusim*, ut proinde, cum in omnes hæredes bona appodiata transeant, devolutionis judicium tuto intendi nequeat, ut firmavit *Rota in Ariminen. Emphitheusis* 4. *Julii* 1764. §. 7. *coram cl. me. Card. Zelada*, & *in Camertina Immissionis, seu Reintegrationis quoad Prædium*, & *Domum Gattamerone* 3. *Julii* 1797. §. 6. *coram Strasoldo*. Ex quibus concludit utilius esse Ecclesiæ affrancationem Canonis *obolorum* 68. concedere, & scuta centum erogare in investimentum, unde scuta octo, aut decem percipi poterunt.

Perpendant nihilominus EE. PP., quod ipsi Maggi in Instrumento anni 1714. aperte fassi sunt qualitatem Emphitheusis ad tertiam generationem; quodque nul-

la subest probabilis causa, cur Felix Rossi Saracci tantopere hanc affrancationem quærat. Utilius enim ei esset exiguum obolorum 68. canonem rependere, quam scuta *centum* dare, ex quibus uberiores fructus perciperet. Suspiciosa itaque res videtur, ne occultetur Instrumentum Investituræ ex quo jura Ecclesia comperta fieri possent. Concessa autem petita affrancatione actum esset de juribus Ecclesiæ, licet Investitura in lucem prodiret, & appareret, quod ea ad devolutionem agere posset. Hisce animadversis, si EE. PP. Sententia in probandam hanc affrancationem inclinet, tum demandandum erit depositum scutorum *centum* cum lege investimenti in fundis favore Ecclesiæ.

Dubium proponitur.

An, & quomodo probanda sit affrancatio in casu &c.

Negative, & Episcopus curet, ut Rector agat pro devolutione primi prædii.

HIERACEN. APPLICATIONIS SUBSIDII DOTALIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Joannes Baptista Condarcuri Oppidanus Terræ Giojosæ scriptis *anno* 1575. supremis testamentis Tabulis hæredem usumfructuariam fecit Uxorem suam Liviam Mazzaferro, quamdiu vidua maneret, eique injunxit, ut intra quadriennium proximum Ecclesiam ædificaret D. Petro Apostolorum Principi nuncupatam, quam post obitum Liviæ, sive transitum ad secunda vota hæredem in proprietate instituit. In hac vero Ecclesia Rectorem nominavit *Hieronimum Sergio = al qual Girolamo lascia, che, alla fine de detti anni quattro avanti, detta Livia usufruttuaria debba ogni anno pagarli ducati venti correnti per gl' annui alimenti, ed alla fine di detti anni quattro ducati dieci ad un Sacerdote nominando da detto Rettore per li quali ducati dieci detto Sacerdote debba celebrare in detta Chiesa ciascun dì una messa per l'anima di detto Testatore*. Defuncta vero usufructuaria, vel si in aliis

Ses. 22. *cap.* 6. *sess.* 26. *cap.* 4. *de Reform.*

jurasset votis, tum = *in detto jus nominandi Rectorem instituisce suo Erede particolare Seculo, e Vespasiano suoi Fratelli, e loro figli, e descendenti ex linea mascolina. Però detti Seculo, e Vespasiano, e loro figli e descendenti ut supra debbino presentare per rettore quelli, che saranno idonei della Casa Condarcuri, ed in loro difetto quelli che a loro piacerà, qual Rettore che sarà poi morte, poi maritaggio di detta Livia sia pleno jure Erede quoad usumfructum tantum. Però che la piena potestà vuole che sia in detta Chiesa col peso al Rettore, che sarà poi morte, o al Maritaggio di detta Livia di far celebrare due Messe in detta Chiesa ciascun dì per l'anima del Testatore.*

Defuncto Testatore Livia omnia præstitit, ecclesiam ædificavit, viduitatem quamdiu vixit, coluit, occubuit, jus nominandi coaluit ad filios, & descendentes Masculos Seculi, & Vespasiani Condarcuri, qui cum penitus defecissent jus hujusmodi delatum est Felici Amaduri; Hic se ipsum nominavit, & elemosinas pro duobus sacris quotidianis Sacerdotibus deputatis rependidit. *Anno* 1786. Vincentius Amaduri qui Felici in Rectoratu successit, a conterraneis suis Oppidi Giojosæ judicio appellatus est, ut solveret quotannis subsidium dotale a Testatore Joanne Baptista Condarcuri in Codicillis, qui hactenus delituerant relicto = *in maritaggio di una Zitella in Giojosa ciascun anno nel dì di S. Pietro Apostolo eligendo detta Zitella per il Rettore, che sarà pro tempore per Secolo, e Vespasiano Condarcuri suoi Fratelli, e loro Figli, e descendenti in infinito*. Tum Vincentius Amaduri adhibitis in consilium Jurisconsultis contendit Codicillos fuisse revocatos, cum numquam fuerunt exequtioni commissi, & præterea ex testamento non teneri ad præstandam elemosinam pro duabus Missis quotidianis, sed dumtaxat ducatis viginti, quæ testatorem taxative legasse putabatur pro elemosina Missarum. Itaque causa hæc omnino indecisa remansit, & Vincentius Amaduri abhinc subsidium dotale numquam solvit, & Missas annuas *biscentum* celebrari curavit, quot ducatis viginti respondebant.

Nunc in Oppido Giojosæ erigendum est Sanctimonialium Monasterium in suppresso Conventu Patrum *de Observantia S. Francisci*. Necessaria est impensa, ut

ut Ecclesia adnexa perficiatur, & aedes usibus religiosis accomodentur. In hanc sumptuum causam pia mulier Theresia Oppedisiano cedere spondet bona aestimata fere scuta *quatuor millia*, ex quibus redeunt quotannis ducata 300. Haec ad Fabricam perficiendam cum non sufficiant, Vincentius Amaduri conscientiae stimulis exagitatus ob non impletum ab anno 1786. subsidium dotale, supplicavit Episcopum Hieracensem, ut tum summam insolutorum subsidiorum, tum deinceps quotannis solvenda applicare posset in Fabricam Monasterii, qua perfecta ad praescriptum Testatoris subsidium dare promisit. Rursus postulavit, ut liceret sibi transferre legatum Missarum ab Ecclesia S. Petri, in qua a Testatore fuit relictum in Ecclesiam Monasterii, simulque missas duas quotidianas *ad annuas biscentum* reducere quot respondent ad summam ducatorum *viginti*, quae in elemosinam *taxative* relicta esse dicit.

Episcopus haec omnia exponens & testamentum, codicillosque transmittens huic Sac. Congregationi *Postulatum* direxit. Interrogatus vero de suo Voto, & viribus haereditatis Joannis Baptistae Condercuri utilem, immo necessariam esse dicit erectionem Monasterii in Diaecesi populosa ad capita *quinquaginta millia*, in qua duo tantum Monasteria Sanctimonialium existunt; Parochum Oppidi Giojosae probare affirmat erectionem Monasterii, & applicationem subsidiorum dotalium. De viribus vero haereditatis Condercuri haec habet = *Vires haereditatis Condercuri publico vectigali dempto ad summam ducatorum hujus Regni* 112. *ascendunt. Ex his deductis ducatis viginti ex testatoris mente Rectori laico Ecclesiae relictis, & ducatis triginta ex codicillorum praescripto pro dotanda puella impendendis, sublatis quoque quindecim aliis ducatis annuis pro Ecclesia reparanda necessariis, ducata quadraginta quinque supersunt. Missae duo quotidianae, ut praesentis aetatis mores ferunt ducata centum, & octo pro elemosina exigunt. At Vincentius Amadurius ipse ad annum usque* 1786. *missas duas in unoquoque die faciendas curavit, abhinc missas biscentum annuatim ex advocatorum suorum consilio, quoniam legatum taxativum existimabatur, coepit offerre.*

I. *Du-*

I. *Dubium* respicit applicationem subsidiorum dotalium, quae numquam ab anno 1786. distributa fuere, & quae in posterum erunt solutura. Hoc sane secumfert commutationem voluntatis Testatoris, quae servanda est incolumis. Nam de ea aperte constat ex Codicillis, qui si dilituerunt inobservati, non idcirco sequitur, quod eos testator revocaverit. Voluntas enim legitimis tabulis tradita nonnisi per expressum abrogationis actum solemni ritu a Testatore emissum revocatur §. 4. *Instit. quib. mod. testam. infirm.* Ponderare nihilominus dignentur EE. PP. num justa sit causa commutandae voluntatis, & applicationis expensae pro fabrica erigendi Monasterii. Piotn hoc opus necessarium dicit Episcopus in Diaecesi frequentissima ad capita *quinquaginta millia*, quae tamen unum vix, & alterum Sanctimonialium Monasterium habet. Convenit quoque Oppido, quod animas quinque millia continet, & tandem non abhorret a praesumpta voluntate fundatoris. Nam si puellas juvare voluit, quae in seculo nuberent, profecto repugnare ejus voluntati non videtur, si convertantur in utilitatem puellarum, quae Deo sese devovent. Extant exempla applicationis subsidiorum dotalium a Sac. Congregatione concessae in fabricam Parrochialis Ecclesiae *in Romana Subsidiorum Dotalium* 9. *Julii* 1746., *in Amerina* 15. *Decembris* 1764., & in opem infirmorum *in Romana Onerum* 28. *Martii* 1801. Quae sane applicatio si concedenda videatur, tum sane adiiciendus erit *modus*, ut applicentur omnia subsidia nondum soluta ab anno 1786., & deinceps solvenda ad *quinquennium*, nisi placeat EE. VV. longius, vel brevius praestituere tempus, in quo applicatio facienda sit. Hoc vero elapso distribuatur annuum subsidium ad prescriptum voluntatis fundatoris.

II. *Dubium* pertinet ad translationem, & reductionem Missarum. Idem sane derivat ex Missis suffragium sive in una, sive in altera Ecclesia Missae celebrentur, ut tradit *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quaest.* 1149. *num.* 9., & Sacra Congregatio *in Asten. Translationis Missae* 31. *Maii* 1794. Id tamen non obtinet ubi testator sollicitus fuit in destinanda ecclesia, ut heredi injunxerit illam in designato loco extruere, nec ulla adducitur causa, quamobrem contra expressam voluntatem Testatoris in Ecclesiam erigendi Monasterii sit transferenda. In hisce enim terminis nisi probatum

tum sit, vel quod incomoda foret celebratio in destinata Ecclesia, vel quod hæc fatiscens cum esset, nullo reparari posset modo, & profanari deberet, semper Sac. Congregatio ab indulgenda translatione abhorruit *in Neapolitana Cappellaniarum* 26. *Junii* 1731. *in Tyburtina Celebrationis Missarum* 24. *Septemb.* 1735. *ad* II. *Dub.*, & *in Verulana Translationis Missæ* 16. *Maii* 1789.

Reductio vero poscitur ex duplici capite, tum quia legatum sit taxativum, tum quia ut nunc sunt reditus hæreditatis duplicem Missam quotidianam ferre nullo modo possint. Taxativum esse legatum hujusmodi deducitur ex eo, quod Testator hæredi usufructuariæ jussit = *pagare ducati dieci ad un Sacerdote per li quali ducati dieci detto Sacerdote debba ogni dì celebrare una messa per l'anima del Testatore* = Unde cum fundi, & elemosinæ designatio precedat injunctum onus, *taxativum* dicendum sit legatum ex doctrina *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. Lib.* 13. *Cap. ultim.* §.32. Quidquid tamen sit de modo, quo onus missarum impositum fuit hæredi usufructuariæ; hoc ponderandum est, quod post mortem usufructuariæ testator jussit, ut Rector hæreditarios reditus perciperet = *col peso al Rettore che sarà di far celebrare due messe in detta Chiesa in ciascun dì per l'anima del Testatore* = Quare si bona omnia onere Missarum subiecit numquam legatum *taxativum* dici potest, ut definivit Sac. Congregatio in *Savonen. Reductionis Missarum* 18. *Junii* 1795.

Altero ex capite reductio postulatur, quia nimirum reditus hæreditarii impares sunt oneri duplicis missæ quotidianæ. Aucta enim est elemosina missæ quotidianæ ita ut si tempore conditi testamenti satis erant ducata viginti pro missis duabus quotidianis, nunc ducata *centum*, & *octo* requiruntur, ut Episcopus testatum facit. Ex reditibus vero hæreditariis prius detrahenda videntur onera emolumenti in ducatis *viginti* rectori relicto, subsidium dotale in Ducatis *triginta*, & expensæ pro manutentione Ecclesiæ, quæ in annuis ducatis *quindecim* taxantur. Hisce deductis superessent annua ducata *quadraginta septem*, unde nec una celebrari posset Missa quotidiana, quæ ducata *quinquaginta quatuor* requirit. Animadvertant tamen EE. PP. quod usque ad annum 1786. ipse Vincen-

centius Amaduri prestavit celebrationem duplicis missæ quotidianę, & ab eis cessavit ratus idcirco se non teneri, quia legatum erat *taxativum*. Perpendant num prius alia onera, & precipue subsidii dotalis reducenda sint, quam Missæ quas testator in sua dispositione præcipuas habuit, ut Sac. Congregatio fieri jus sit in *Montis Falisci Reductionis* 17. *Decembris* 1791. Tandem observandum quod licet reductio concedatur, libera tamen supersunt Ducata *quadraginta septem* unde plus quam missæ biscentum celebrari poterunt, si habita ratione *ad manualem* tot Sacra impleantur, quot huic summę respondent.

Quoad Missas in præteritum omissas de quibus in III. *Dubio* quæritur, statuendum erit num Amadurus in culpa sit. Sane se excusat quia consuluit jurisperitos, qui ei responderunt fas esse a celebratione Missarum quotidianarum cessare, quia legatum erat *taxativum*. Sed temere hoc fecisse videtur non interpellato oraculo potestatis Ecclesiasticæ. Si explorata erit ejus culpa, cum de paupertate non doceat, cogendus erit ad implementum Missarum, quam ommissæ sunt, saltem pro ea quantitate, quam reditus hereditarii ferre poterant, ut statuit Sac. Congregatio *in Novarien. Translationis, & Reductionis Missarum* 25. *Januarii* 1794. *ad II. Dub.*

Tria proponuntur dubia.

I. *An, & quomodo sit locus applicationi subsidiorum dotalium in casu &c.*

II. *An, & qnomodo sit locus translationi, & reductioni Missarum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Negative quoad primam partem; quoad secundam provisum in tertio.

Ad III. Affirmative peracto Investimento cum solitis clausulis favore Ecclesiæ S. Petri annui redditus superextantis hereditatis decursi ab anno 1786., & in Missas, & alia onera non erogati ad effectum erogandi fructus in celebrationem primo duplicis Missæ quotidianæ, & deinde in subsidium dotale ad formam Testamenti.

FE-

FERENTINA EMOLUMENTORUM. Morboculorum captus Presbiter Angelus Bernola Rector Parochialis S. Valentini Ferentinae Diaecesis Urbem profectus est, ut curandae valetudini operam navaret. Vicarius Capitularis qui tum Ferentinam Ecclesiam administrabat, censuit in Paraecia Economum Curatum Sacerdotem Philibertum Pace, durante absentia Parochi, praeficere, eique stipendium assignavit scutorum trium in singulos menses *una cum incertis stolae*, ut expressum est *in litteris patentalibus*. EconomusPace in controversiam venit cum Parocho Bernola super solutione stipendi, & elemosinis Missarum, quas Economus *pro Populo* applicavit, quae controversia cum a Praesbitero Pace delata esset ad S. Congregationem ex Rescripto *diei* 19. *Junii* 1802. injunctum est Episcopo, ut veris existentibus narratis cogeret Parochum Bernola ad praestandum stipendium. Sollicitus fuit Episcopus, ur rem transigeret, sed exacerbatis animis non potuit res conveniri. Reclamante iterum Praesbitero Pace (qui jam ob Beneficium in Cathedrali obtentum Æconomatum reliquit) remissae fuerunt preces hujusmodi Episcopo *pro Informatione*, simulque ut Parocho Bernola praestitueret tempus ad deducendum sua jura in Sac. Congregatione. Episcopus narrat quae superius exposui, & affirmat quod Parochus Bernola non repugnat stipendium persolvere, & elemosinam Missarum pro Populo ad taxam tamen sinodalem, sed postulat, ut ab Economo Pace compensentur emolumenta cerae ex funeribus percepta. Quoad haec emolumenta Episcopus refert = *conventum fuit, ut ista cera per economum percipienda, atque adnotanda postmodum partiretur aequaliter cum Parocho Bernola, cui relinquebatur onus solvendi tum stipendium Missae Parochialis pro Populo diebus festis, tum honorarium ceteris Cappellanis Coadiutoribus, Sciscitari curavi quantitatem incertorum stole, quae annuatim percipi poterunt in Parochiali S. Valentini, & supponitur conflare ingentem quantitatem scut.*100., *licet sincerum computum haberi haud possit ex nimia oscitantia Æconomi, qui neglexit indebitis Libris adnotare Baptizatos, & Defunctos, contentus horum nomina in schedis retinere.*

Sess.21. cap. 2. de Reform.

Parochus Bernola sua jura in scriptis mihi deduxit: Fatetur quidem se debere Æconomo Pace stipendium scuto-

torum trium in singulos menses, & elemosinam Missarum, quas Æconomus pro populo applicavit. Duo tantum in controversiam veniunt; scilicet quomodo solvenda sit hæc Missarum ælemosina, & num Æconomus Pace retentis reliquis omnibus emolumentis teneatur consignare dimidium tantum Ceræ quæ ex funeribus percepit. Contendit Æconomus, quod pro elæemosina missarum pro Populo sibi debeantur *sei quarte di grano colmo*, quæ Parochus in hanc causam percepit. Verum licet hoc probatum esset; attamen non ex hoc sequitur quod ipse habere debeat id quod Parochus hoc nomine consequitur. Dum itaque missas celebravit ei solvenda tantum videtur elæemosina ad taxam sinodalem. Quoad emolumenta Ceræ certe quidem hæc pertinere viderentur ad Æconomum, quia in litteris patentalibus ei assignatur *incerta Stolæ*, sub quibus venit cera, quæ in funeribus percipitur. Sed quoniam Episcopus affirmat Parochum inter, & Economum conventum fuisse, quod cera ex funeribus percipienda divideretur, jam Economus eam tradere, & cum suo credito compensare debere videtur. Si hæc probentur ab EE. VV. facienda erit liquidatio coram Episcopo tum Crediti Sacerdoti Philiberti Pace pro sibi debitis stipendiis, & elemosinis Missarum pro Populo ad taxam Synodalem, tum crediti Parrochi Angeli Bernola pro quantitate ceræ ab Economo consignandæ, & pro quibusvis Paræciæ reditibus preter Stolæ incertis ab ipso Æconomo perceptis, ut asseritur in Notula ab ipso Parrocho exhibita, & jure probanda ita ut invicem collatis rationibus appareat, uter eorum debitor sit renunciandus.

Dubium est.

An, & quomodo debeatur stipendium Æconomo Curato Pace, & elemosina Missarum in casu &c.

Affirmative juxta Transactionem, & ad Episcopum pro liquidatione.

Ses. 23. cap. 18. de Reform.

FERETRANA APPLICATIONIS HÆREDITATIS. Septimius Bedetti, ejusque Uxor Antonia reciprocum fecerunt testamentum, quo sibimetipsis invicem institutis hæredem substituerunt in utraque hereditate *l' Anima nostra* ita ut reditus omnes = *vengano erogate in due Ufficiature meramente laicali per l' applica-*

zio-

zione di quelle messe in perpetuo, che diremo in appresso in suffragio dell'anime nostre, la qual applicazione si dovrà fare da due Sacerdoti non mai regolari, ma Secolari, e ciò perchè il Paese sempre abbondi di Ministri Sacri a maggior commodo della Popolazione all' Altare di S. Pietro Martire, che esiste già eretto nella Chiesa Parrochiale di questo luogo di Macerata Feltria.

Jusserunt præterea ut gemini Sacerdotes ad nutum amovibiles nominarentur a publico Consilio Civitatis primum ex descendentibus *dal Signor Grazioso Bedetti di S. Leo, o dal suo Figliolo Gio. Battista*. His deficientibus eligerentur Terrigenæ, sin minus Diæcesani. Primus vero ex geminis Sacerdotibus esse deberet laureatus in S. Theologia, vel in utroque jure, ut & missas quinque in singulas hebdomadas applicaret, & catechesim quoque explicare teneretur in duobus diebus festis in unoquoque mense, & tandem reditus hereditarios administraret exhibita quotannis redditione rationis Confalonerio, & secundo Priori Civitatis, & Parocho pro tempore S. Michaelis. Huic vero Sacerdoti solvendum esset stipendium pro singulis Missis quinque hebdomadalibus in obolis quindecim, & præterea: *abbia in ogni anno sei mastella di grano concio, sei Some di vino, e scudi quattro moneta Romana*; Secundus vero eligendus Sacerdos requirebatur idoneus, qui præter applicationem missarum quinque hebdomadalium cum elemosina obolorum 12. confessionis quoque exciperet.

Utrique Sacerdoti indulgetur, ut per alios applicare Missas posset: *purchè nella maggior parte dell' anno venga adempita dai sudetti due Sacerdoti per se stessi, e non per mano d' altri*:. Præterea legatur Ecclesiæ Parochiali S. Michaelis *scuta* 25., & præcipitur, ut eidem utensilia solvantur. Quod si in Suburbiis Civitatis nova ædificaretur Ecclesia, tum data est facultas duobus Sacerdotibus, ut possent applicationem perficere in nova extruenda Ecclesia. Impletis vero omnibus hisce oneribus quidquid supererat ex annuis reditibus erogandum erat vel in tot Sacris, vel in novam fabricam Ecclesiæ suburbicariæ.

Hæc, quæ propius ad rem nostram pertinent, summa consensione Conjuges Bedetti disposuerunt. Sed defuncto Septimio alia mens fuit Antoniæ Uxoris superstitis. Nam novis scriptis tabulis præcedens testamen-

mentum revocavit, & jussit, ut bonà sua omnia venderentur, & ex pretio retrahendo tot Missæ celebrarentur. Occubuit Antonia *anno* 1801., & tum publicum Consilium Maceratæ Feltriæ investigavit rationes hæreditarias Septimii Bedetti. Novit ope Peritorum quod illius bona annuos ferebant fructus in scutis 112. Ex his tamen demenda erat dos Antoniç, quam dotem ipse Septimius in testamento fassus erat in scutis *octingentum*, quorum fructus calculati ad rationem scutorum quatuor in singula centum minuebat in scutis annuis 32, fructus hereditatis Septimii ita ut ex scutis 112, reliqua forent scuta 80. Hæc vero imparia erant, ut injuncta onera ferrent, quæ annua scuta 107. attingebant: scilicet scuta 38. 90. pro ælemosina Missarum 260. in obolis quindecim, scuta 31. 20. pro stipendio aliorum Sacrorum 260. in obolis duodecim, *scuta* 5. 20. pro utensilibus, *scuta* 19. 60. pro emolumento, quod in pecunia, quod in generibus præstandum erat primo Sacerdoti, cui hæreditatis administratio a Testatore dàta erat: & tandem *scuta* 12.50. pro expensis manutentionis bonorum.

Hisce exploratis Publicum Consilium in eam venit Sententiam, ut preces offerret huic S. Congregationi pro commutatione voluntatis Septimii Bedetti, ita ut ejus reditus hæreditarii applicarentur in causam stipendii publici Ludi Magistri, qui teneretur Missas quinque hebdomadales celebrare. Huic instantiæ acriter primum obstitit Dominicus Ravogli Parochus S. Michaelis, qui urgebat exequtionem voluntatis Septimii Bedetti, & si promptum, paratumque perhibebat, ut prestet applicationem vel per se vel per alium decem missarum hebdomadalium. Verum cum præces publici Consilii remissæ fuissent Episcopo, ut auditis interesse habentibus votum suum daret, hinc interrogatus Parochus assentitus est in instantiam a Publico Consilio factam hisce conditionibus. I. *S' adempia la mente del Testatore in tutto, e per tutto riguardo a quanto ha disposto in favore della mia Chiesa Parrochiale* II. *Le Messe ebdomadarie debbano celebrarsi nella mia Chiesa Parochiale, ne mai si possano trasportare altrove fuori della Chiesa Parochiale* III. *Debba il Cappellano o sia Maestro pro tempore assistere alle S. Funzioni al Confessionario nella Chiesa Parrochiale di S. Michele Arcangelo*. Nisi hujusmodi impleantur conditiones ne-

negat Parochus se consensum prestaturum. Joannes vero Baptista Bedetti cujus descendentes ex testamento passivam habent vocationem primum animi sui sententiam aperire recusavit, & deinde precibus exhibitis ad hanc Sacram Congregationem sese professus est consensum daturum, si ei usus habitationis daretur in ędibus Testatoris, & præterea suppellex, quæ adhuc in iisdem ædibus invendita manebat. Tandem Sacerdotes Doctores MaceratæFeltrię precibus publici consilii annuunt.

Hisce omnibus expositis ita Votum suum concludit Episcopus = *Inspecto tenui reditu patrimonii Bedetti nullimode ad substentanda onera illius piæ dispositionis, ac viso consensu majorum interesse habentium, doctorum scilicet Sacerdotum Maceratæ Feltriæ, ac in genere Archipræsbyteri licet conditionato super quo erit a vobis decernendum; (nam gravare ulterius quam testator voluit Beneficiatum, & quærere quæ sua sunt, majusque commodum, quam bonum commune, non convenire videtur) ac demum considerata utilitate adolescentium in otio torpentium, ac summa in ignorantia vitam degentium, itaut illa in onorifica terra fere deficiunt Sacerdotes, & omnino Clerici carentia Magistrorum, Populique inopia; ea ego essem sententia, ut gratiam petitam conditionibus, ut in supplici Oratorum libello impertiri EE. VV. eis possent*. Post hæc preces quoque obtulit Joannes Ceccarelli, qui se consanguineum Septimii Bedetti affirmat, & attenta ingravescente ætate, & adversa valetudine opem aliquam ex Patrimonio Bedetti postulat. Hanc instantiam semel iterumque annis 1792., & 1796. proposuit san. mem. Pio VI., semperque R. P. D. Auditor SSmi rejecit. Ex quibus Episcopus in postrema Informatione *authumarem*, inquit, *rejiciendam nunc esse instantiam Ceccarelli. Nam imminuta nunc est hæreditas, nec sufficit pro eleemosynis Missarum, expensisque Sac. Supellectilium. Multa autem Ceccarellius mobilia habuit, ac alias eleemosynas. Ast cum prodigus sit omnia consumpsit*.

Primum ab EE.VV. inquirendum erit num impleri possit pium opus a Septimio Bedetti institutum. Ex eo enim ducitur dubitandi ratio, quod ejus hæreditas impar sit oneribus sustinendis, postquam ejus uxor a reciproca dispositione recessit, & de re sua disposuit. Deducta siquidem ab hæreditate Septimii Bedetti uxoris dote;

quam

quam ipse fassus est in scutis *octingentum* non plus fructus hæreditarii ferunt quam annua *scuta octuoginta*. Computatis autem oneribus ea pertingunt ad annua *scuta* 107., itaut deficient *scuta* 27., ut injunctis oneribus fieri posset satis. Animadvertendum tamen propono, quod si non omnia onera attamen aliqua impleri poterunt. Nam Testator præcipuum habuit onus decem Missarum hebdomadalium, pro quibus retenta etiam eleemosyna a Testatore constituta requiruntur annua *scuta* 70. 10., & adhuc superessent *scuta novem*, quæ primo Sacerdoti dari poterunt, ut administrationem bonorum curaret. Ut enim modis omnibus servaretur ejus voluntas juxta monitum *in Can. ultim. voluntas quæst.* 10. reduci poterunt alia onera. Ubi enim fundi impares sunt oneribus, prius alia onera, quam Missæ reducuntur, ut millies tradidit Sac. Congregatio, & præcipue *in Sabinen. Reductionis* 12. *Maji* 1779. *& in Anconitana* 27. *Martii* 1790.

Hæc sane obstare videntur quominus voluntas Septimii Bedetti commutetur, prout postulant, & publicum Consilium Maceratæ Feltriæ, & Joannes Ceccarelli. Nam publicum Consilium postulat, ut reditus hujusmodi applicentur in augumentum stipendii publici Ludi Magistri, cui a Communitate nunc solvuntur annua *scuta* 24. Ita tamen applicatio hujusmodi fieri postulat, ut Ludi Magister teneatur applicare Missas quinque in singulas hebdomadas, prout Septimius jussit. Hæc vero commutatio tenderet, ut Episcopus affirmat, in publicam utilitatem. Nam aucto stipendio magis idoneus reperiri poterit Magister, qui adolescentes in disciplinis instituat, ut deinde operam navare possint scientiis, & doctiores facti ad Statum Ecclesiasticum ascendere. Posita autem publica utilitate, & necessitate commutationes voluntatis concedi solent *Can. Unio* 3. *caus.* 15. *quæst.* 3. *cap. Quia Monaster. de Relig. Dom. cap. Sicut unire de except. Prælat.*, *& SS. Concilium Trident. sess.* 21. *cap.* 4. *sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.*

Quamquam, si res intimius scrutetur, nulla voluntatis commutatio fieri debet. Semelac enim Antonia uxor Septimii a reciproca dispositione recessit, æquum profecto non videtur, ut ex hæreditate Septimii unum, alterumque onus Missæ hebdomadalis adimpleatur. Reque vera deducta ab hujus patrimonio dote uxoris

in

scutis *octingentum* deficiunt annui reditus in scutis32., quæ adamussim respondent eleemosynæ alterius oneris hebdomadalis in obolis duodecim pro qualibet Missa. Si igitur ex hæreditate Bedetti unum onus Missæ hebdomadalis præstandum videtur; jam ab ejus voluntate non longe receditur, si in stipendium Ludi Magistri ejus hæreditas applicetur. Nam hic præstabit, & onus quinque Missarum hebdomadalium, quarum pro eleemosyna solutis utensilibus necessaria sunt scuta 41. 50., præstabit quoque curam administrationis pro qua Testator assignavit emolumentum in annuis scutis 19. 60.. Hisce subductis, quæ summam scutor. 61. 10. attingunt, simulque subtractis scutis annuis 12. 50. pro expensis manutentionis bonorum jam ex hisce conflatur summa scutorum 73. 60., ut scuta tantum 6. 40. supersint ex reditibus hæreditariis in scutis *octoginta*. Nihil igitur deficeret ad implendam voluntatem, nisi explicatio cathechesis injuncta primo Sacerdoti bis in singulos menses, sed hæc vel injungi poterit Ludi Magistro, vel suppletur per instructionem, quæ ex proprio munere pueris facere tenetur.

Cæterum hanc applicationem probat Episcopus. Præsbyteri Doctores Maceratæ Feltriæ, qui passiva donantur vocatione, ultro in hanc applicationem assentiuntur. Joannes Baptista Bedetti, cujus descendentes in nominationibus præferuntur consensum præstitit, ut aliquam utilitatem ex hæreditate perciperet. Parochus vero S. Michaelis primum obstitit, ne voluntas Septimii Bedetti commutaretur, sed deinde consentit triplici adjecta conditione nimirum, ut firma maneret voluntas Septimii, quoad ea, quæ respiciunt interesse Parœciæ; ut Missæ celebrandæ sint in Ecclesia Parochiali, nec alio transferri possint; ut tandem Cappellanus, sive Ludi Magister teneretur adesse S. Functionibus, & confessiones excipere. Verum ex hisce conditionibus prima in eo consistit, quod Parœciæ solvantur pro una vice scuta 25., & præterea utensilia, quatenus in ea Missæ celebrentur. Altera aperte contraria est menti Testatoris, qui facultatem dedit transferendi celebrationem Missæ ab Ecclesia Parochiali ad novam Ecclesiam in Suburbio extruendam. Tertia tandem novum onus infert Præsbitero, qui Missas celebrare debet, cum Testator numquam ei injunxit, ut Sacris functionibus interesset. Joannes vero Ceccarelli

relli consanguineus cum jam ex haereditate Septimii aliquid habuerit, & jam ex Decretis R. P. D. Auditoris Sanctissimi rejectus fuerit, nil jure postulare posse videtur.

Ex his quae hinc inde deducuntur EE. VV. deliberare dignentur.

An, & quomodo implendum sit pium opus a Septimio Bedetti relictum, seu potius, an cui & quomodo sit facienda applicatio in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess.22.Cap.6. de Reform.

SABINEN. SUSPENSIONIS NOMINATIONIS. In Cathedrali Malliani tres extant Cappellaniae, *altera SS. Quatuor Incoronatorum anni* 1518. fundata ex Testamento Antonii Nardi a Fratribus Festini illius haeredibus, *altera Sanctissimi Rosarii* anno 1630. a familia Festini erecta, *tertia* sub invocatione *S. Mariae Pietatis* instituta anno 1672. a Felice Marubi. Juspatronatus Cappellaniarum hujusmodi sive ex donationis titulo, sive ex testamentario jure, in familiam Paluzzi coaluit, quę nunc constat ex Fratribus Paluzzi Septimio, & Carolo. Quorum ille vacantibus nunc Cappellaniis, quas defunctus Frater Arcidiaconus Paluzzi possidebat, postulat omnium suspensionem, ut impletis oneribus superextantes reditus percipere possit ad sublevandam suam paupertatem. Triplex enim Cappellania non alia habet onera quam Missarum; scilicet illa *SS. Incoronatorum* Missas annuas *quinquaginta duo*; illa Sanctissimi Rosarii missas *viginti quatuor* in annos singulos. Reditus utriusque Cappellaniae attingunt summam scutorum *viginti quatuor* ex quibus demptis omnibus oneribus etiam Missarum in scutis *duodecim* libera supersunt quotannis scuta *duodecim*. Ex Cappellania vero *S. Mariae Pietatis* redeunt annua scuta *quadraginta*. Celebrandę sunt missae 160., quae cum aliis oneribus requirunt annua scuta 24. 97. 4., ut pro Cappellano reliqua sint scuta 15. 2. 1.

Eminentissimus Episcopus Sabinensis affirmat in suspensio-

sionem Cappellaniarum consentire tum Capitulum Cathedralis, tum Carolus Paluzzi, qui eodem jure patronatus una cum Septimio Fratre potitur. De cujus paupertate hæc refert = *Licet autem non ea plane sit Oratoris egestas, quam in rei causam profert, ut parando non sit, quæ suppeditent ad cultum, & ad victum sibi, suisque; cum tamen procul dubio summo ipse ære alieno obrutus sit, atque haud mediocri rei familiaris angustia prematur, cumque e contra nulli ex hac indulgentia inferatur injuria, nemine ad id muneris speciatim vocato, ac demum cum res ipsa, & Caroli Palutii, cui etiam utpote Oratoris Fratri delectus Cappellani tribuebatur, & Ordinis Canonicorum Manlianensium consensione commendetur, quorum id fortassis intererat ædiculis in eorum templo extructis, illud profecto conspicio in deliberationem cadere, quod a vestro amplissimo consessu benigne donari possit, cum præsertim maxime vobis curæ sit Patronorum commodis, atque inopiæ, ut plurimum consulere, quando nihil inde detrimenti Ecclesiastica res capiat.*

Ex Concilio namque Toletano IV. Can. 37. habetur, ut Patroni = *eorumque filii redacti ad inopiam ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu recipiant*, & Clem. III. *in Cap. Nobis* 25. *de Jurepatronat.* jubet, quod si Patronus = *ad inopiam vergat ab Ecclesia illi modeste succurritur*. Hinc quæstio inter Canonistas num paupertas Patroni esse debeat *absoluta*, ut non habeat unde vitam ducere ut tradit *Barbos. juris Eccles. univers. Lib.* 3. *Cap.* 12. *num.*217., seu potius *respectiva*, ut Patronus vivere nequeat pro suo gradu, & conditione, ut tradit *Fargna de jure Patron. part.* 1. *Can.* 3. *Cas.* 1. *num.* 8. Hæc tamen dissidens opinio conciliata videtur ex Resolutionibus S. hujus Congregationis. Ubi enim agitur de suspendendis ipsis Missarum oneribus ad levandam paupertatem Patroni; tum certe requirit paupertatem *absolutam in Camerinen.* 21. *Augusti* 1784. & 27. *Novembris* 1785. Si vero actum est de sola suspensione nominationis, ut impletis oneribus Patronus superextantes reditus percipiat; tum sane respexit etiam ad paupertatem *respectivam*, *ut in Asculana Dispensationis* 20. *Maii* 1786., & *in Aquen. Cappellaniæ* 20. *Januarii*, & 3. *Februarii* 1787.

Hæc quæ juris sunt conferant EE.PP. ad præsentem speciem, in qua *Palutius* postulat dispensationem nomi-

nationis, ut impletis oneribus superextantes reditus percipiat. Ipse quidem tanta non præmitur inopia, ut stipem quæritare cogatur. Habet quidem in bonis, sed præmitur ære alieno, & multa sobole, ut Eminentissimus Episcopus testatur. Si aliquid ei indulgere velint EE. PP. videant num hæc suspensio ad aliquod tempus præscribenda sit.

Dubium proponitur.

An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis Cappellaniarum in casu &c.

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

PERUSINA EMPHITHEUSIS. Sodalitium suffragii Perusiæ supplicavit Sac. Congregationem, ut fas sibi esset bona in Agro *Getola* a Perito æstimata scuta 963. 75. in locationem ad longissimum *nonaginta novem* annorum tempus concedere Comiti Lutio Baldelli, qui annuam responsionem in scutis *quadraginta* rependere, & fundos meliorare, & vectigalia solvere spondebat. Verum Sac. Congregationi visum est utilius expediri Sodalitio, si bona in Emphitheusim *ad tertiam generationem masculinam* darentur, propterea que Episcopo Perusino injunxit, ut novam ineundam Emphitheusim palam publiceque proclamaret. Affixa fuere edicta *die* 28. *Maii* 1802., & tempus quindecim dierum præstitutum, ut quisque posset oblationem proferre. Adfuit Lutius Baldelli, qui Canonem spondidit in scutis *quadraginta*, unus, & item alter accessit oblator, qui in minori summa canonem repromiserunt. Post vero expiratum terminum in Ædictis præfixum tres alii superaccesserunt oblatores, quorum melior fuit Jacobus Taffa spondens Canonem scutorum 63, 99. 4. ½

Hinc inter oblatores dissidium. Nam Comes Baldelli se prælatum iri putabat, quippe melior oblator, qui intra terminum præfixum adfuit. Contra Jacobus Taffa, cui Sodalitium suffragabatur, affirmabat idcirco se oblationem præsentasse extra terminum, quia libelli vix affi-

affixi non sine fraude disjecti fuerunt, ut celaretur ineunda Emphitheusis, & Baldellus prælationem consequeretur. Ne quid Sodalitium detrimenti caperet, Episcopus jussit, ut iterum Edicta affigerentur, & Emphitheusis proscriberetur pro Canone a Jacobo Taffa oblato in scutis 63. 99. 4. ½ Concurrunt plurimi oblatores inter quos Comes Baldelli, qui præstitit in oblatione scutorum *quadraginta* in pecunia Argentea, & se professus est *di non approvare a mio pregiudizio la ordinata nuova affissione di Editti, dichiarando espressamente di voler esser preferito, e ne rimetto la piena decisione alla Sagra Congregazione del Concilio.* Sed in hac nova licitatione melior omnium oblator fuit Philippus Cecchetti, qui pro persona nominanda promisit annuum Canonem in scutis *octoginta & unum* in pecunia argentea, personamque nominavit *Felicis Siepi*, qui oblationem acceptavit, & spondidit. Hinc Episcopus omnes oblationes ad Sac. Congregationem remisit, & narrata exponens concludit = *major omnium assurgit oblatio Felicis Siepi cum æque idonea fidejussione solidali Benedicti Guardabassi pro scutis octuaginta unius Argenteis, & sic melior omnibus, ac ditior.*

Cum Baldellus sollicitus fuerit preces huic Sac. Congregationi exhibere, & apponere = *Nihil transeat* = iterum injunctum est Episcopo, ut omnibus oblatoribus præfiniret terminum quadraginta dierum, quo possent sua jura in Sac. Congregatione deducere. Nemo tamen adfuit & præcipueComes Baldelli quamt quam a *Felice Siepi* speciali citatione compulsus sit attamen semper a judicio latitavit. Instante igitur eodem *Felice Siepi* causa *ex officio* proponitur. Certum est, quod hic inter cæteros oblatores melior fuerit promisso Canone in scutis *octoginta & uno*, datoque idoneo Fidejussore. Ne autem, hic prælationem obtineret, obstabat Comes Baldelli eam interserens rationem, quod *Felix Siepi* oblationem protulit post secundam Edictorum affixionem quam factam esse contendebat contra jus, & in sui præjudicium. Nam sibi quæsitum esse jus contendebat ex prima affixione, in qua cum melior oblator intra præfixum terminum fuisset, supra cæteros obtinere debebat prælationem, nec nova edicta proscribi,

nec novae oblationes recipi poterant ut tradit *Rosa de exequt. Litterar. Apostolic. Cap. 4. num.* 327. *Rota in Hieracen. Alienationis Bonorum 9. Martii* 1754. §.6. *cor. Elephantutio* .

Verum agitur de interesse Sodalitii , quod admisso *Baldellio*, & excluso *Sepio* jacturam ferret in dimidio Canonis,cum hic illum tantum praestet quantum scuta *octoginta & unum* superant scuta *quadraginta* . Exploratum autem est quod Ecclesiae communicata sint privilegia, quae Minoribus jura dederunt *Card. de Luca de Regal. discurs.*87. *num.*13. *Delbene de Immunit. Cap.*7. *dub.*9. *n.*12.*Card.Petra adConstit.Apostolic. Leonis Magni num.* 84. Hinc Ecclesia , quemadmodum & Minores , gaudent Beneficio *additionis in diem* ex Textu *in leg. Et sine dolo* §. *Questionem ff. de Minoribus* . Hinc oblationes , quae meliorem faciunt conditionem Ecclesiae recipiuntur , licet post Edictorum terminum , dumodo re integra & ante exequtum Beneplacitum superaccesserint ut firmat *Petra loc. citat. num.*4. , & definivit Sac. Congregatio *in Neapolitana Beneplaciti* 1697., *& in Neapolitana Domus* 13. *Januarii* 1731. Hinc tandem si Ecclesiae expedit nova proscribuntur Edicta ad novos accersendos oblatores, ut bis & tertio factum fuisse constat a Sac. Congregatione *in Firmana Emphitheusis die* 19.*Decembris* 1801. Quare nihil obstare videtur *Sepio* , si oblationem protulit in secunda Edictorum affixione , nec ullum jus quaesitum videtur *Baldellio* si in prima licitatione melior fuerit oblator .

Dubium est .

An , & cui sit concedenda Emphitheusis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 23. Julii 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FERETRANA APPLICATIONIS HÆREDITATIS. *Ses.23.cap.18. de Reform.*

An, & quomodo implendum sit pium opus a Septimio Bedetti relictum, seu potius an, cui, & quomodo sit facienda applicatio in casu &c.

Affirmative juxta Votum Episcopi.

SABINEN. SUSPENSIONIS NOMINATIONIS. *Ses.22. cap.6. de Reform.*

An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis Cappellaniarum in casu &c.

Dilata, & Emus Episcopus referat utrum adsit in Familia idoneus ad Cappellanias, sin minus de ætate filiorum Septimii, & de eorum dispositione ad Statum Ecclesiasticum.

PERUSINA EMPHITEUSIS. *Ses.25.cap.11. de Reform.*

An, & cui sit concedenda Emphitheusis in casu &c.

Affirmative favore Felicis Siepi salvo jure vigesimæ, & sextæ.

Ses.22. cap.6. de Reform.

ECCLESIEN. ONERUM. Pertinet hæc causa ad Folium Congregationis *diei 26. Martii* 1803., quo die EE. PP. anceps hæsit sententia, & prorogata controversiæ cognitione res omnis delata est *ad Eminentissimum Gabrielli qui dignetur rem perpendere, & votum suum aperire.* Hujus elucubratissimum Votum, nunc cum Causa reproponitur, EE. VV. oculis integrum subiicio.

„ Ad petitionem Capituli Ecclesiensis Cathedralis octo „ in hac Sac. Congregatione proposita fuerunt dubia „ die 9. Septembris 1786., novem die 16. Augusti „ 1794. unum die 21. Januarii, septem die 6. Maii „ 1797. & omnia cum Voto Emi Antonelli resoluta. „ Tria iterum nuper Capitulum ipsum postulavit, „ eaque mihi EE. VV. die 26. elapsi Martii expen„ denda delegarunt. Vestris igitur obsequens man„ datis, quod sentio aperiam.

„ Queritur primo = *An & quomodo ex Massa Legato„ rum sit deducendum Salarium, Archivistæ, Pro„ curatoris, & solvendum stipendium Collectoris in „ scutis septem cum dimidio pro centenario, etiam „ pro Legatis Missarum ante annum* 1652. *acceptatis „ in casu &c.*

„ Duo sunt sub hoc dubio ad examen revocanda 1. An „ sit deducendum Salarium Archivistæ, Procurato„ ris, & Collectoris ex Massa legatorum 2. Quomodo „ deducendum. Ad primum quod attinet: disserens „ Emus Antonelli in priori suo Voto de 4. Dubio cen„ suit, ut = *reductio fiat ad rationem eleemosinæ ma„ nualis, cum hæc sit norma, quam Sac. Congregatio „ in hujusmodi reductionibus prescribit*, *demptis ex„ pensis pro utensilibus, ALIISQUE NECESSA„ RIIS IN BONORUM ADMINISTRATIONE, „ ET CURA IMPENDENDIS*, ejusque Senten„ tiam probavit Sac. Congregatio die 9. Septembris „ 1786. per rescriptum. *Juxta Votum Emi Relatoris* = „ Jam vero inter expensas necessarias pro administra„ tione bonorum recenset Episcopus Salarium Archi„ vistæ, Procuratoris, & Collectoris. Necessarium „ etiam novit Capitulum anno 1652. augumentum „ stipendii Collectoris a scutis quinque, ad septem „ cum dimidio ob mutatum rerum statum, licet in „ proprium cederet damnum ob indivisos tunc redi„ tus massæ distributionum, & legatorum. Eoque

ma-

„ magis crevisse dicendum est hujusmodi necessita-
„ tem post lapsum annorum 150. a Capitulari edito
„ decreto, Rite hinc consequi videtur Salarium præ-
„ dictum, & stipendium virtualiter in Voto Emi An-
„ tonelli, & consentaneo Sac. Congregationis rescri-
„ pto contineri, ideoque deducenda esse ex verbis
„ illis = *demptis expensis necessariis in bonorum ad-*
„ *ministratione, & cura impendendis*. Illudqne etiam
„ sequitur, quod eadem urgente necessitate legata
„ quoque ante annum 1652. accepta nedum in Sala-
„ rium Archivistæ, & Procuratoris, sed in auctum
„ quoque contribuere debeant stipendium collecto-
„ ris, scilicet olim in minori summa scutorum quin-
„ que conventum. Similes porro conventiones taci-
„ tam habent conditionem = *rebus in eodem statu*
„ *manentibus ex Can. in Parochia* 16. *qu*.1. *gloss. in*
„ *cap*.2. *de rescriptis leg. fin. Cod. de Sponsal. leg.*
„ *quod Servius ff. de condit.*, *& leg. cum quis ff. so-*
„ *lut. matrim. Pasqualig. de Sacrif. novæ l. quæst*.1175.
„ *num*.4. *part*.2. *& Rot. in recent. decis*. 51. *num*. 3.
„ *part*. 1. Alias ob mutatas temporis circumstantias
„ vergerent ad læsionem, ob quam reduci debent ad
„ æquitatem ut docet *Benedict. XIV. de Synod. Diœ-*
„ *ces. lib*.13. *C. ultim. num*.XXVI. *Pasqualig. de Sa-*
„ *crific. nov. leg. dicta quæst*.1175. *num*.2. *Monacell.*
„ *tom*.4. *in supplem. ad tom*.2. *num*. 466. *& Sac. hæc*
„ *Congregatio in Bononien*. 1. *Martii* 1687. *in Mace-*
„ *raten*. 15. *Novembris ejusdem Anni in Assisien*. 23.
„ *Aprilis* 1701. *in Romana* 27. *Aprilis* 1704., *& in*
„ *Æsina* 10. *Junii* 1706. Atque in id etiam ponderan-
„ dum, quod Salarii, & stipendii contributio ad exe-
„ quendam requiritur fundatorum voluntatem, eo-
„ rumque idcirco respicit utilitatem. Ad eum sane
„ pertinent expensæ, de cujus interesse, & utilitate
„ agitur ex doctrina *Baldi in leg. si quando ff. de Offic.*
„ *Procons. Angel. in leg. Turres cod. de oper. publ.*
„ *Sarrias de expen. & meliorat, cap*.21. *num*. 30.
„ Hæc quoad primum deductionis caput. Quo vero ad
„ secundum de modo deducendi salarium & stipen-
„ dium desumitur resolutio ex iisdem Emi Antonelli
„ verbis = *Demptis expensis necessariis in Bonorum*
„ *administratione, & cura impendendis* = ut deman-
„ tur à respectivo scilicet reditu Legatorum, quæ
„ certum habent fundum, & reservata proportione
ex

„ ex massa aliorum, quæ fundum habent incertum,
„ ita ut erogetur, quod superest in eorum adimple-
„ mentum juxta præcedentes resolutiones, & costan-
„ tem Sacræ hujus Congregationis praxim.

„ Diversum Episcopus proponit modum, novam nempe
„ reductionem Missarum ad obolos sexdecim = *quæ*
„ *ex Decreto hujus Sacræ Congregationis ad taxam*
„ *Concilii Romani mihi concessa fuit, ex sexdecim*
„ *obolis, qui unicuique Missæ respondent, tresdecim*
„ *celebranti, & reliquos tres pro stipendiis supradictis,*
„ *& Sacristiæ expensis assignare licebit, nisi aliter EE.*
„ *VV. placuerit* = seu iteratam proponit Legatorum
„ reductionem. At reprobandum censeo hujusmodi
„ modum. Concedi profecto non solet ab hac Sac.
„ Congregatione reductionis reductio; *ut in Neapoli-*
„ *tana reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1729. *in*
„ *Interamnen. reductionis Missarum* 30. *Augusti* 1788.
„ *& alibi passim*, idque fieret si propositus admittere-
„ tur modus. Quum enim Legatorum omnium re-
„ ditus comixti essent massa distributionum, & ultra
„ dimidium pertinerent ad legata; ob indigentiam
„ tamen Capituli, ea primum reduxit Sac. Congre-
„ gatio *in genere* ædito sub die 9. Septembris 1786.
„ ad tertium dubium rescripto = *applicandas esse*
„ *massæ distributionum duas ex tribus partibus, re-*
„ *licta tertia parte pro legatis piis* = quo Missæ 13000.
„ & ultra reductæ fuerunt ad tria, aut quatuor mil-
„ lia, deindeque ad quartum dubium reduxit easdem
„ *in specie*, medio responso juxta Votum Emi Rela-
„ toris, ad taxam nempe eleæmosinæ manualis, ut
„ ex præcedenti colligitur folio 19. Augusti & 9. Se-
„ ptembris 1786., & in Voto Emi Antonelli relato in
„ Congregatione 16. Augusti 1794. Ad præces post-
„ modum ejusdem Capituli altera sub die 11. Februa-
„ rii 1797. cum Voto ipsius Emi Antonelli concessa
„ fuit reductio a Diæcesana taxa obolorum octo, ad
„ duodecim.

„ Dum non semel igitur Sac. Congregatio, sed bis, &
„ tertio paucis ab hinc annis annuit pro reductione,
„ novum profecto induceretur exemplum, si ea nunc
„ quoad ipsamet legata quarta concederetur. Maxi-
„ me quia nulla occurrit necessitas, neqne Capitu-
„ lum de cujus interesse agitur novam hanc postulat
„ reductionem. Memorat quidem Episcopus in sua
in-

„ informatione indultum reducendi Missas ad taxam
„ Concilii Romani, novissime a Sac. Congregatione
„ impetratum sub die 27. Septembris 1800., sed con-
„ cessum fuit hujusmodi Indultum cum clausula dum-
„ modo legata = *Ab Episcopo Prædecessore reducta*
„ *non fuerint* = Ut ex codicibus Secreteriæ testatur
„ mæritissimus Præsul a Secretis ejusdem Sac. Con-
„ gregationis, ideoque facultatem non tribuit redu-
„ cendi, jam reducta Missarum Legata. Idque pro
„ recta ejusdem Indulti intelligentia, expresse decla-
„ randum censeo, dum Episcopus ipse in novo pro-
„ ponendo reductionis modo profitetur executurum
„ se quod proponit = *nisi aliter EE. VV. placuerit*.
„ Ad premissum igitur dubium rescriberem = *Affir-*
„ *mative in omnibus juxta resolutionem diei* 9. *Se-*
„ *ptembris* 1786. *ad* 4. *dubium*, *&* *non licere Episco-*
„ *po legata de quibus agitur reducere ad taxam Con-*
„ *cilii Romani vigore indulti die* 27. *Septembris* 1800.
„ Secundum succedit dubium = *An ex fundatione Mur-*
„ *gia Canonici teneantur applicare Missam majorem* ?
„ Et pro recta ejus resolutione premittenda est funda-
„ tionis notitia.
„ Canonicus Antiochus Murgia tradidit primum Capi-
„ tulo Cathedralis libras 250. = *Affinchè dicessero* (ca-
„ nonici nempe) *e celebrassero per il medesimo ogni*
„ *Settimana una Messa all'Altare del Crocifisso*, *ed*
„ *altra all' Altare di S. Sebastiano* = Deinde vero aliis
„ solutis libris 750., & sic constituto in unum Capi-
„ tali librarum Mille (quod vix modo in libris consi-
„ stit 184. annui redditus scutor. 3. 52. monetæ Ro-
„ manæ) Capitulum a priore onere absolvit jussit-
„ que, ut = *Si dica*, *e celebri perpetuamente la Messa*
„ *maggiore*, *che si dice pro Populo per detto Canoni-*
„ *co Murgia pregando per la di lui anima*, *e de suoi*,
„ *e cessino di dire*, *e celebrare le dette due Messe ogni*
„ *Settimana* = & secundum ejus voluntatem Canoni-
„ ci = *Accettando &c. si obbligano*, *che diranno*, *e*
„ *celebraranno perpetuamente ogni giorno detta Mes-*
„ *sa Maggiore*, *che si dice pro Populo nella quale si*
„ *pregherà per detto Canonico Murgia*, *e dopo la di lui*
„ *Morte per l'anima sua*, *ed i suoi*, *e ciò senza dilazio-*
„ *ne*, *o scusa*.
„ Authumat Episcopus in sua informatione, quod ea

„ verba = *Si dica, e celebri perpetuamente la Mes-*
„ *sa maggiore per la di lui anima, e de suoi* = locum
„ suspicandi præbent Missam illam eo tempore non
„ celebrari in favorem Populi, sed potius ad conven-
„ tionem, & concursum populi, atque ea de causa
„ ejus celebrationem in sui, & suorum suffragium
„ prædictum Canonicum instituisse; præsertim cum
„ nulla certa lege cautum tunc esset, ut in Cathe-
„ dralibus aut Parochialibus Ecclesiis Missa illa Ma-
„ jor celebraretur. Hinc suum aperiens votum hæc
„ habet = *cum fundationis verba sint dubia, abs re non*
„ *putarem, ut hujusmodi Capitale Massæ unitum re-*
„ *maneat, & ejus fructus in distributiones convertan-*
„ *tur. Nam etiam in hoc casu Capituli præcibus, &*
„ *Missæ Conventualis, que hodie pro benefactoribus*
„ *applicatur suffragio parteciparet*.

„ Primum igitur expendam, num reipsa quoad applica-
„ tionem Missæ Majoris dubia sint fundatoris verba,
„ & quid in casu expedire videtur deinde proponam.
„ Ex regula siquidem 45. de reg. juris in Sexto inspi-
„ cimus in obscuris quod est verisimilius = Verisimilius
„ autem est applicationem etiam Sacri voluisse, qui
„ ejus celebrationem demandavit; Ita docet sa. mem.
„ Benedicti XIV. *de SS. Sacrif. Missæ lib. III. cap. IX.*
„ *num.* 2. nempe teneri *ad applicationem*, ubi reli-
„ ctum sit onus celebrandi. Et ita pluries definivit
„ Sac. hæc Congregatio, & præsertim *in Tinen. Ap-*
„ *plicat.* 18. *August.* 1668. *lib. Decret.* 26. *Pag.* 61. =,
„ *in Vicentina* 1688. *lib.* 38. *pag.* 471. *in Spoleta-*
„ *na* 1710. *lib.* 60. *pag.* 4., & *in Civitatis Plebis.* 11.
„ *Maii* 1793.

„ Nedum vero Canonicus Murgia celebrari voluit Mis-
„ sam majorem, sed cavit etiam, ut fieret celebra-
„ tio = *Pregando per la di lui anima, e de suoi*, & juxta
„ ejus Vota promiserunt, Canonici, quod = *si pre-*
„ *gherà per detto Canonico Murgia, e dopo la di lui*
„ *morte per l'anima sua, e de suoi* = Onus profecto
„ orandi pro Fundatore obligationem prefert applica-
„ tionis, *Benedict. XIV. de Sacrific. Missæ lib.* 13.
„ *Cap.* 9. *num* 7. *qui refert resolution. Sac. Congrega-*
„ *tionis in Vintimilien.* 27. *Aprilis* 1700.: Quæsitum
„ namque in ea Causa fuit = *An Sacerdos ad celebra-*
„ *tionem Missæ eligendus teneatur illam applicare at-*
teu-

„ *tentis verbis testatoris = & in ea orare pro anima ip-*
„ *sius Testatoris = nulla facta mentione applicationis*
„ *cum aliud sit orare , aliud applicare .* Et Sac. Con-
„ gregatio respondit = *Sacerdotem teneri ad applica-*
„ *tionem Missæ .*

„ Luculentioribus tamen verbis præfatus Canonicus
„ significavit applicationem voluisse . Præscripsit
„ enim = *Si dica , e celebri perpetuamente la Messa*
„ *Maggiore , che si dice pro Populo* = & iternm =
„ *Cessino di dire , e celebrare le dette due Messe lette*
„ *la Settimana* = iisdemque verbis promiserunt Ca-
„ non ci , quod = *diranno , e celebreranno detta Mes-*
„ *sa Maggiore , che si dice pro Populo* = Geminata
„ sane illa , atque iterata verba *si dica , e celebri* = du-
„ plex habere videutur objectum, celebrationem nem-
„ pe , & applicationem , alias eorum alterutrum re-
„ maneret otiosum , contra dispositionem *Textus in*
„ *in Leg.* 1. §. *hæc verba ff. quod quisque juris , & in*
„ *leg. Cum pater* 77. §. *Filius Matrem ff. de legat.* 2.
„ *Rot. in recen. decis.* 242. *num.* 9. , *& seq. part.* 5.
„ *tom.* 1., *& in Melevitana laudi super tertio Capite* 18.
„ *Martii* 1757. §. 5. *cor. Canilliac.*

„ Sub eadem insuper oratione discretive loquutus fuit
„ de Sacro , quod usque ad suam fundationem dici
„ consueverat pro Populo . In eo namque memoran-
„ do simplicem adhibuit locutionem = *Che si dice pro*
„ *Populo* = omisso altero verbo = *e celebri* = quod in
„ sua addit fundatione . Hisce siquidem geminatis , &
„ discretivis verbis = *Si dica , e celebri* = , celebratio-
„ nem designavit , & applicationem Missæ , quæ di-
„ cebatur tantum pro Populo absque applicatione .
„ Quod ita autem ante fundationem Murgia celebra-
„ ri consuevisset testatur Episcopus eam nimirum
„ Missam Majorem cum Cantu = *non celebrari in fa-*
„ *vorem Populi , sed potius ad conventionem , & con-*
„ *cursum Populi* = & eruitur ex ipsa descriptione ,
„ qua designatur , hoc est *Messa Maggiore , che si dice*
„ *pro Populo* = Sub hac enim descriptione venire ne-
„ quit Missa pro benefactoribus, nam *si dice pro Popo-*
„ *lo* , & non pro Benefactoribus . Nec intelligi potest
„ Missa Parochialis . Ea enim a Parocho, & sine cantu
„ applicatur , non a Capitulo .

„ Ex animadversis igitur teneri videntur Canonici ad

" applicationem Missæ Majoris ad formam Funda-
" tionis. At id non patitur fundus. Absque culpa
" enim Capituli iminutus est ad Capitale librarum 184., annui reditus scutorum 3. 52. = In his
" porro terminis locus esset reductioni alias per Sac.
" Congregationem concessæ ad taxam obolorum duodecim, & vix propterea ex scutis 3. 52. celebrari
" quotannis possent Missæ lectæ viginti novem.
" Verum utilior forsan erit animæ Fundatoris descriptio ejus nominis inter Benefactores; quum de
" quotidiano parteciparet Suffragio; Non iminueretur Massa distributionum Capituli, quæ valde tenuis est, & consentanea esset resolutio dispositioni Fundatoris, & Sententiæ Episcopi. Rescriberem itaque = *esse describendum Canonicum Antiochum Murgia in Tabella Benefactorum, & acquiescant*.

" Tertium superest Dubium = *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in Casu &c.*

" Distinguendum porro inter ea, quæ fecit Capitulum, quoad stipendia Archivistæ, Procuratoris, & Collectoris, atque illius ommissiones, quoad applicationem Missæ Majoris. Absolutione non indigent priora Capituli facta, quum ex notatis super primo dubio, recte deducta fuerint, & deducantur stipendia illa ex Massa legatorum, quæ annum etiam præcesserunt 1652., Indigent vero posteriores ommissiones quum applicare tenerentur Canonici Missam Majorem: At veniam mærentur, tum ob præconceptam opinionem, licet erroneam, indebitæ applicationis, cum ob tenues ipsorum reditus, imposito tamen onere celebrandi unicam Missam cum Cantu in Suffragium Canonici Murgia, ut in similibus circumstantiis censuit Sac. Congregatio in Sutrina Missarum 22. Novembris 1704., ideoque rescribendum censerem = *Affirmative celebrata, & applicata unica Missa cum cantu, & interventu omnium Capitularium pro Canonico Antiocho Murgia*.

Hec habet Emus Relator. Reproponuntur Dubia.

I. *An, & quomodo ex Massa legatorum sit deducendum Salarium Archivistæ, Procuratoris, & solvendum stipendium collectoris in scutis septem cum dimidio pro*

cen-

centenario etiam pro legatis Missarum ante annum 1652. acceptatis in casu &c.

II. *An ex fundatione Murgia Canonici teneantur applicare Missam Majorem in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad primum, secundum, & tertium Affirmative juxta votumEmiRelatoris ,& ad mentem: mens est quod exprimatur salarium Archivistæ, Procuratoris, detrhai debere proportionabiliter ex Massa Capituli, & ex Massa Legatorum,

PISCIEN. BENEFICII. Rogati EE. PP. in Congregatione *diei 21. Maij proximi præteriti*. I. *An Breve sit reportandum* II. *An supplicatio sit signanda* = responderunt = *Ad I. Affirmative ad II. Negative* = Vincentius Gialdini, qui causa cæcidit sollicitus fuit novæ Audientiæ beneficium impetrare. Sed cum hic dictus esset repropositioni causæ dies,nihil mihi adhuc exhibuit. Canonicus Aloysius Cecchi, qui in preterita *propositione* obtinuit, deprecatur nunc reassumptionem *præteritæ Allegationis* EE. VV. distributæ. Resumpto itaque Folio hujus Causæ deliberandum erit. *Ses.23.Cap.6. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

PISAUREN. APPLICATIONIS HÆREDITATIS. In Folio Congregationis *diei 26. Martii proximi præteriti* proposita est instantia Magistrarum Piarum Pisauri, quæ applicationem hæreditatis Nicolai Celi postulabant. Tum resoluta non fuit, & in sequenti Congregatione diei 30. *Aprilis nuper elapsi* adfuit R. Fabrica S. Petri, cujus jura pro vindicanda ex suis privilegiis eadem hæreditate Celi remissa fuerunt ad S. Congregationem Concilii ex Decreto *R. P. D. Auditoris SSmi*. Simul præces exhibuerunt Priores Oppidi Frontoni, ut bona rustica, & urbana, quæ ibi possidebat NicolausCeli æstimata ad scuta sexcentum, quæquæ ex voluntate defuncti eroganda sunt in cele- *Ses.22. Cap.6. de Reform.*

bra-

brationem missarum, applicarentur tum in fabricam Ecclesiæ Parochialis, tum in stipendium Cappellani Curati, cujus opera necessaria est in Paræcia, quæ per agrum, præruptosque montes late patet; Itaque EE. PP. rescripserunt = *Dilata*, & *reproponatur citatis omnibus interesse habentibus* =.

Interrogatus est Vicarius Apostolicus Calliensis super novis precibus *Frontoniensium*, quibus ipse favet, licet Exequtores testamentarii omnino repugnent. Nam angustam esse affirmat Parochialem Ecclesiam, ut Populus interveniens S. Functionibus sub diu manere cogatur. Necessariam quoque esse dicit operam Cappellani curati in Paræcia frequenti ad capita *septingentum* per agros dispersa. Quo vero hisce incomodis subveniatur, proponit, ut *Parocho et Ecclesiæ prædia, de quibus res est, perpetuo attribuerentur ea lege, ut tercentum nummos scutatos fænori adsumere, eaque pecunia Ecclesiam B. M. Virginis de Succursu pro servitio Pareciæ ampliorem faceret, ac deinde censum sic constituendum deposita quoque anno summa aliqua redimeret, qua redemptione sequta Sacerdotem Cappellanum adsciisceret*, & *retineret sub constituta mercede scutorum fortasse quadraginta*.

Nunc igitur citatis omnibus interesse habentibus cum causa reproponatur, alterum, præter illud quod propositum est, *Dubium* adjiciendum censui, unde disceptetur de juribus *R. Fabricæ* per impressam *Allegationem* EE. PP. proponendis. Nititur sane R. Fabrica suis privilegiis eidem concessis *a Julio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. Alexandro VII.*, ex quibus vindicare sibi potest omnes hæreditates, & legata incerta, sive in institutione personarum, sive in designatione operum, sive in Exequtorum arbitrium collata fuerint. Incertam autem fuisse hæreditatem Nicolai Caeli contendit ex eo quod instituit hæredem = *l' anima sua* =, nullo præcipuo injuncto opere, quod arbitrio exequtorum permisit; Immo in testamento expresse cavit = *a luoghi pii di questa Città disse non lasciare cosa alcuna* = Quibus in terminis locum sibi vindicare Privilegia Rev. Fabricæ definivit *Rota in Romana, seu Montis Falisci Applicationis* 29. *Januarii* 1796. *per tot, cor. R. P. D. Strasoldo*.

Ponderandum nihilominus est ab EE. PP. quod Magistræ Piæ Civitatis Pisauri multo ante a S. Congregatione applicationem deprecatæ sunt, quam R. Fabrica sua jura

jura deduxisset. Præ oculis habeant EE. PP., quæ in *præterito Folio* deducta sunt pro applicatione favore Magistrarum Piarum, quæ non habent, unde vivant, ut utilem operam navant in puellis instituendis. Animadvertant tandem, quod R. Fabrica jura sua exercere nequit super fundis positis in agro *Frontonis*. Nam ea Testator subiiecit peculari legato, quod quidem incertum non est. Ex his enim bonis jussit, ut *colla proprietà si faccino celebrare tante Messe in suffragio dell'Anima sua, e de suoi progenitori*: unde cum certum designatum sit opus pium Rev. Fabrica ea bona ex suis privilegiis vindicare non potest.

Quatenus EE. PP. reiicerent jura Rev. Fabricæ, tum superesset inquirendum utrum bona essent adscribenda iis, qui in præterita propositione applicationem postularont, ut latius actum est in folio diei 26. Martii 1803. potius vel juxta novas Preces Frontonensium, qui eorum bonorum, quæ Testator possidebat in eorum Territorio, erogationem efflagitant in Fabricam Ecclesiæ, & stipendium Cappellani Curati. Utrumque necessarium esse affirmat Episcopus. Nam angusta est Ecclesia, ita ut frequens Populus in S. Functionibus cogitur extra Ecclesiam stare. Cappellanus vero Curatus requiritur in Parœcia populosa ad capita septingentum, quæ in agro dispersa sunt. Ad sublevandam vero Pareciæ necessitatem, quandoque legata missarum suspensa, & applicata fuere ut in *Cortonen. Applicationis* 15. *Februarii* 1791.

Gemina proponuntur Dubia.

I. *An Rev. Fabricæ S. Petri competat applicatio hæreditatis quondam Nicolai Celi in casu &c.*

Et quatenus Negative.

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione ejusdem hæreditatis Celi in casu &c.*

Ad I. Affirmative exceptis Bonis in Territorio Frontonis sitis.

Ad II. Quoad hæreditatem provisum in primo, & quoad bona Frontonis ad Secretarium cum SSmo pro illorum applicatione favore Parœciæ ejusdem oppidi ad effectum retinendi Cappellanum Curatum, qui celebret pro Anima Nicolai Celi tot Sacra; quot redditus ad taxam perpetuæ.

MON-

Ses.24. cap.18. de Reform.

MONTIS ALTI QUOAD EXAMINATORES SYNODALES. In postrema Synodo Diœcesana *anno* 1776. a defuncto R. P. D. Marcucci Antistite Montis Alti celebrata octoginta Examinatores Synodales ex utroque Clero electi fuere. Sed tanta temporis diuturnitate multi occubuerunt, & nunc supersunt triginta, quorum undeviginti extra Diœcesim nunc morantur, octo ingravescentibus annis muneri obeundo sunt impares, unus morbo laborat. Quo fit ut duo tantum sint examinatores, nec proinde concursus ad Paræcias haberi possent, nisi modernus Episcopus a Sacra Congregatione impetrasset facultates deputandi examinatores pro Synodales *de consensu capituli*. Sex proposuit Episcopus, ex quibus Capitulum tres reprobavit scilicet Archipresbyterum Siliquini, Canonicum Theologum Aloysium Octaviani, qui duo sunt de gremio Capituli, & Presbyterum Aloysium Masucci Canonicum Collegiatæ, & Vicarium Foraneum Oppidi Castineani. Ratus Episcopus injustum esse dissensum hujusmodi, rem detulit ad Sac. Congregationem, ut suam authoritatem interponeret.

Injunctum est Capitulo, ut *in Scriptis* referret causas, cur examinatores reprobaverit. Quamquam Episcopus nil intentatum reliquerit, ut rem cum Capitulo componeret; attamen pervicacia nonnullorum omnis compositio rejecta est. Quare Episcopus præstituit Capitulo terminum, ut *in Scriptis* causas dissensus deduceret. Quod præstitit *in Folio*, in quo Capitulum profitetur = *che nell' esclusiva datasi ai tre surriferiti Sogetti i Capitolari avendo Iddio avanti gl'occhi non hanno già operato per impegno, o altro fine indiretto, ma solo, ed unicamente hanno asserito averli esclusi per giusti a loro noti riflessi, & ex informata conscientia, costando ad essi non esser questi idonei a sostenere un tal impiego. E siccome il vincolo della carità richiede, che niente si operi contro il prossimo, perciò niuno, di essi trattandosi molto più di membri ecclesiastici hà creduto, e crede far palese in iscritto verun motivo dell'esclusione ad essi data* = Episcopus hæc contra in sua *Informatione* dignissimos probat ex transmissis documentis eos, quos Capitulum reprobavit, & inde concludit = *Reliquum est, ut authoritate vestra suppleatur consensus, quem Capitulum absque justa causa negavit* =

Qua-

Quatenus Episcopus proposuit Examinatores his præditis qualitatibus, quas Tridentinum præscribit, ex justitia a Capitulo consensus præstandus, est & si injuste denegatur, habetur pro præstito, ut tradit *Valenz. consil.* 113. *num.* 25., *Surd. dec.* 200. *num.* 54., *Mantic. decis.* 226. *num.* 9.! Quo fit, ut injuste dissentientibus Canonicis Examinatores habentur tamquam legitime deputati, ut *ad Cap. Nullus de jurepatron. tradit Andreuc. de tuend. pace, & concord. inter Episc., & Capitul. part.* 4. *cap.* 1. §. 2. *num.* 198., *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 4. *cap.* 7. §. 10.. Nullam aliam causam affert Capitulum Montis Alti, quam = *averli esclusi per giusti a loro noti riflessi*, & *ex informata conscientia* = Verum quod ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. *de Reform.* Episcopis concessum est, ut *ex informata conscientia* procedere possint; id quidem sibi arrogare non potest Capitulum. Nec sub specie charitatis christianæ reticere potest causas, unde Examinatores reprobavit. Nam quando S. Apostolica Sedes sciscitatur has causas non tantum Capitulum, sed nec Episcopus potest renuere, quin has causas exponat, ut definivit Sac. Congregatio *in Alerien.* 24. *Novembris* 1667. *lib.* 31. *Decret. pag.* 134., & *in Capritana* 16. *Decembris* 1730.

Cæterum Tridentinum *in sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* præscribit = *Sint vero hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia aut jure Canonico vel alii Clerici, seu Regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei* = Hinc *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. concludit. *Quamvis Tridentinum desideret, ut deputandi ad hujusmodi munus gradum aliquem in Sac. Theologia, vel in jure Canonico sint consequuti; attamen arbitrio Episcopi permittit, etiam, qui nullo gradu est condecoratus proponere* = Hac norma retenta ab EE. PP. inquirendum erit de qualitatibus trium Examinatorum, quos Episcopus proposuit, & Capitulum rejecit.

PRESBITER MARCUS SILIQUINI ætate annorum supra quinquaginta divinæ legis peritus, in functionibus Ecclesiasticis exercitatus, ludi magister grammaticæ laudatus, munus parrochiale in ipsa cathedrali, adeoque in primaria Ecclesia Diœcesis laudabiliter exercens, officio Confessarii Monialium per annos novem functus, probatus in examine ab Examinatoribus,

secundæ dignitatis coadjutor, a secretis defuncti Præsulis Marcucci per plures annos cohonestatus, & sine ullo crimine, immo etiam ornatus virtutibus.

CANONICUS ALOYSIUS OCTAVIANI in quinquagesimo quinto fere ætatis anno constitutus Theologiæ Doctor in Universitate Maceratæ, quiuquies in concursibus tum pro Parœcia, cum pro præbenda Theologali probatus, & sæpe confessarius Monialium, concionator in Sac. Concursibus, Parochus ab annis duodecim, Præfectus Disciplinæ Synodalis in Synodo, Convisitator in Sac. Visitatione, Revisor librorum ab Inquisitione Firmana deputatus pro hac Diœcesi, cum aliis binis propositus a Capitulo pro munere Vicarii Capitularis, Canonicus Theologus lectionibus solerter, & nitide fulgens, Resolutor, & Magister in collationibus moralis theologiæ, & Sacrorum Rituum cor. Episcopo, & Clero urbano, & tandem Pœnitentiarius ab Episcopo deputatus loco præbendæ deficientis, & moribus suavissimis præditus.

ALOYSIUS MASSUCCIUS ab annis plusquam viginti confessarius continenter tum in mea Diœcesi cum in Asculana ad Beneplacitum Emi Episcopi, & in Firmana, ubi munera coadjutoris Animarum, & Confessarius Monialium habuit, eademque in mea Diœcesi. Canonicus Foraneus ab annis fere octo, pluries in disputationibus specimen scientiæ publicæ dedit, & in tradendis lectionibus Theologiæ moralis proficientibus auditoribus bene versatus, de quo Clerus Castineani universus, Doctores in Sac. Theologia, & Jure Canonico, & Parochi de eo in scientia, & probitate constituti optime testantur.

Hæc affirmat Episcopus, probatque documentis. Cum vero duo ex candidatis sint ex ipso gremio Capituli, & alter sit Canonicus, & Vicarius Foraneus, eo magis videtur injusta reprobatio a Capitulo data, ut tradit *Pignatell. consult.* 118. *num.* 3.

Dubium est.

An constet de irrationabili judicio Capituli, ita ut non obstante ejus dissensu electio Marci Siliquini, Aloysii Octaviani, & Aloysii Masucci in Examinatores Synodales sit probanda in casu &c.

Affirmative in omnibus.

MES-

MESSANEN. IRREGULARITATIS [1]. Præsbiter Paulus Naselli absolutionem ab irregularitate ob commissum homicidium postulans rejectus fuit ex Rescripto = *Negative* = edito die 17. *Julii* 1802., quo die causa hæc resoluta fuit, licet relata in præcedenti Folio *diei* 19. *Junii*. Iterum nunc elapso anno pro absolutione supplicat & affert testimoniales Episcopi; qui testatur Oratorem = *usque adhuc continua veræ penitentiæ indicia dedisse, bona Christifidelibus exempla præbuisse, ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum frequenter accessisse, pueros Christianæ doctrinæ institutionem docuisse, jugiter SS. Eucharistiæ Sacramentum cum ad infirmos per modum viatici defertur sociasse, copiosam juxta suas vires stipem erogasse, aliaque pietatis opera exercuisse*.

Sess. 14. Cap. 7. de Refotm.

Dignentur EE. PP. illius Congregationis Folium reassumere, & deliberare.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

FULGINATEN. JURISDICTIONIS. Cum in proximo præterito *anno* 1802. Moniales S. Claudii, quæ Fulginei vivunt sub Regula S. Francisci, pecuniam in investimentum erogare deberent, Instrumentumque stipulare, Vicarium Generalem accerserunt, ut authoritatem suam contractui interponeret. Præsentes actui fuere tum Superior Regularis, tum Syndacus Apostolicus, ut consensum, præsentiamque præstarent. Verum, cum eos omnino exclusisset Vicarius Generalis a consensu interponendo, læsa isti fuisse rati sunt jura sibi jamdiu quæsita, ut contractus Monialium perfici nequirent nisi ipsis præsentibus, & consentientibus. Quo factum est, ut Provincialis Minorum Observantium reclamaret ad S. Congregationem, quo jura sui Ordinis sarcta, tectaque defenderet. Auditus est Episcopus, qui multas adducens rationes, de quibus paullo post redibit sermo, Votum suum concludit = *Quæ cum ita se habeant EE.PP. majori, quo possunt studio rogo, & obtestor, ut propulsatis absurdis precibus jus privativum Episcoporum Fulgi-*

Sess. 25. Cap. 9. de Regul., & Monial.

ginatensium assistendi contractibus a Monasteriis de quibus agitur ineundis supremo suo confirment oraculo.

Ex Concilii Aureliensis III. Canone 23. *relat. in Can. Abbatibus Caus.* 12. *quæst.* 2. sub pæna censurarum interdicitur Regularibus, ne bona alienent nisi authorante Episcopo. Nam pertinet ad ordinariam Episcopi jurisdictionem probare contractus super rebus Ecclesiasticis initis *Cap. Cum Episcopus de Offic. Ordinar. in* 6. Quamquam vero ex S. Pontificum Constitutionibus, & præcipue Gregorii XIII. *in Constit.* incipiente *Apostolicæ Sedis*, & altera cujus initium = *Ex incumbenti* = Regulares sibi quæsiverint privilegia, ut possent stipulare contractus nulla impetrata venia vel a S. Sede Apostolica, vel ab ordinario; attamen hæc privilegia abrogata sunt ex Decreto jussu Urbani VIII. lato ab hac S. Congregatione *die* 7. *Septembris* 1624. *Lib. XII. Decret. pag.* 185. *a terg.*, quo sublatis facultatibus Generalibus etiam, & Protectoribus probibetur. ne sine venia S. Congregationis ullum pactum, census impositio, ceteraque hujusmodi fieri possint.

Hisce in jure constabilitis, quæ ad præsentem controversiam conferent, Patres Observantes non repugnant, ut Episcopus suam interponat authoritatem in contractibus Monialium, sed contendunt sibi jus esse, ut una simul cum Episcopo consensum, præsentiamque pręstent. Quod sane jus cum ex S. Canonibus concessum numquam sit Regnlaribus, nec ipsi peculiare ostendant privilegium, illud deducunt ex *Resolutione* S. Congregationis in *Ferrarien. Jurisdictionis proposita die* 24. *Augusti*, & *resoluta die* 28. *Septembris* 1754. tum etiam ex *consuetudine*. Nam in illa jurisdictionali controversia inter Archiepiscopum Ferrariensem, & PP. Dominicanos actam disputatum fuit *in XI. Dubbio* = *An quæcumque instrumenta stipulari debeant coram Priorissa*, & *Monialibus capitulariter congregatis cum interventu superioris regularis* = & responsum prodiit = *Affirmative* = Consuetudinem vero probant ex testimonio Abbatissarum, & Syndicorum Monasterii, qui prędicant semper in contractibus stipulandis Regulares Superiores interessentes vidisse.

Episcopus contra hæc affirmat nunquam Monasterium S. Claudii exemptum fuisse a sua ordinaria jurisdictio-

ctione, & Superiores Regulares solam habere directionem spiritualem animarum. Nam ipse confessarios monialium probat, & removet; clausuram custodit; puellarum in suscipiendo instituto voluntatem explorat, & vota excipit; Abbatissarum electioni praeest; libros administrationis investigat; clavem retinet Ærarii, unde ipso inconsulto pecunias sumere non licet. Quae omnia cum excludant a Superioribus Regularibus ordinariam jurisdictionem; ita quoque reiicere debent *cumulativam praesentiam*, quam ipsi sibi asserunt in stipulandis Instrumentis. Hoc enim jus privativum pertinet ad ordinariam jurisdictionem Episcopi ex juribus superius allegatis. Et hanc cumulativam prorsus negavit S. Congregatio in terminis Abbatis Regularis, qui ordinariam exercebat jurisdictionem, ac proinde exclusit Protectores, & Curatores, qui hanc cumulativam sibi vindicabant, ut videre est *in Mediolanen.* 12. *Maii* 1736. in qua cum in I. Dubio quaereretur = *An Protectores, seu Curatores V. Monasterii, & Monialium S. Radegundae Civitatis Mediolanensis Ordinis S. Benedicti Ordinis Cassinensis intervenire valeant, & praestare eorum consensum in stipulatione cujuscumque contractus, sive instrumenti faciendi a dictis Monialibus cumulative cum P. Abbate V. Monasterii S. Simpliciani illarum Superiore; sive potius dicti contractus, & instrumnnto celebrari, & stipulari debeant cum consensu, & interventu privativo dicti Patris Abbatis, vel ipsius delegati absque licentia, & interventu dictorum Protectorum* = Responsum fuit = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* =

Quibus sane consonat Resolutio in *Ferrarien.* superius opposita a PP. Observantibus, Idcirco enim statutum fuit quod instrumenta essent stipulanda *cum interventu superioris regularis*, quia constitit, quod hic in illud Monasterium, & Moniales ordinaria utebatur jurisdictione ut patet ex *I. Dubio* in quo rogati EE. PP. = *An Superioribus Regularibus competat ordinaria jurisdictio in spiritualibus, & temporalibus super Monasteriis S. Catharinae &c. & signanter in procuranda recta administratione bonorum, & redituum, seu potius servanda sit in casibus particularibus, praetensa consuetudo*, responderunt = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* = Contrariam vero consuetudinem, quae tamen ad breve tempus viginti annorum

rum cohiberetur, reiicit Episcopus producto testimonio Cancellarii, qui investigatis instrumentis a Monialibus stipulatis abhinc centum annis, affirmat numquam invenisse, quod Superior Regularis, & Syndaci præsentiam, consensumque interposuissent.
Ex his deliberandum erit.
An Superior regularis, & Syndacus Apostolicus V. Monasterii, & Monialium S. Claudii Civitatis Fulginei Ordinis S. Francisci intervenire valeant, & præstare eorum consensum in stipulatione cujuscumque contractus, sive Instrumenti faciendi a dictis Monialibus cumulative cum Episcopo; seu potius dicti contractus, & instrumenta stipulari debeant cum consensu, & interventu privativo dicti Episcopi, sive ejus Delegati in casu &c.

Die

Die Sabbathi 20. Augusti 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MESSANEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Recedendum a Decisis dummodo non celebret in loco patrati criminis.

FULGINATEN. JURISDICTIONIS. *Sess. 23. cap. 9. de Regul., & Monial.*

An Superior Regularis, & Syndacus Apostolicus Ven. Monasterii, & Monialium S. Claudi Civitatis Fulginei Ordinis Sancti Francisci intervenire valeant, & præstare eorum consensum in stipulatione contractus, sive Instrumenti faciendi a dictis Monialibus cumulative cum Episcopo; seu potius dicti contractus, & Instrumenta stipulari debeant cum consensu, & interventu privativo dicti Episcopi, sive ejus Delegati in casu &c.

Negative ad primam partem Assirmative ad secundam.

ROMANA SUSPENSIONIS ONERUM. Reintegratur nunc hæc causa, quæ biennio ante definita fuit in Congregatione diei 28. *Martii* 1801. . Tum enim quæsitum fuit = *An & quomodo sit locus suspensioni onerum* = quæ Archiospitale SS. Salvatoris ad San- *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Sancta Sanctorum præstare tenebatur, sive in distribuendis subsidiis dotalibus, sive in anniversariis, sacrisque celebrandis, sive tandem in rependendo stipendio octo Cappellaniarum, quarum *una*, cui ex institutore nomen, *Bergamo* fundata erat in Ecclesia S. Mariæ ad Montes; *quatuor* ex institutione *Moretti, & Pasi* in Basilica Liberiana; *sexta* ad carceres SS. Petri, & Pauli; *septima* in ipso Hospitale; *octava* in Oratorio SS. Sacramenti Oppidi Fabricæ. Instantibus itaque Deputatis Archiospitalis rescriptum fuit = *Affirmative juxta votum EE. Cardinalis Urbis Vicarii, & Cardinalis Visitatoris demptis duabus Cappellaniis Bergamo, & SS. Sacramenti in Oppido Fabricæ ad triennium* =

Reclamarunt Cappellani Moretti, quibus etiam accessit Capitulum Patriarchalis Basilicæ S. Mariæ Majoris. Cum se prorsus inauditos fuisse in superiori propositione quærerentur, tum ut sua jura nunc proferre posse postulabant. Auditus est Emus Visitator, qui putat firmam esse habendam suspensionem concessam ob maximam rei familiaris angustiam, qua premitur Archiospitale = *Hujus intuitu visum est EE.VV. triennalem suspensionem indulgere, quæ quidem causa nunc etiam viget*. Contra Emus Archipresbyter, qui de sua sententia rogatus quoque est, favet Cappellanis Moretti. Putat enim, quod *rationum momenta, quæ favore Oratorum adducuntur æquitati simul, & veritati consonent, & proinde eorum postulationi a Sac. Congregatione animadvertendum esse*. Reproponitur nunc causa tum Archiospitale, tum Cappellanis Moretti una simul cum Capitulo Liberiano jura sua deducentibus per impressas Allegationes EE. PP. distribuendas.

Quæ in Folio *diei* 8. *Martii* 1801. deducta fuere, eadem nunc exornat Defensor Archiospitalis, ut EE. PP. *in Decisis* persistant: Scilicet *qualitas* Cappellaniarum, & *imminuti* Archiospitalis reditus. Nam Cappellani ex fundatione sunt = *amovibili ad nutum dell' erede universale* = Quare, cum removeri possint arbitratu Patroni *Barbos. de Iur. Eccles. lib.3. cap.5. n. 16.*, *Piton. de controv. Patron. allegat.*88. *num.*1., *Rota coram Peutinger. decis.*85. *num.*19. nullum jus habent quæsitum quod per suspensionem lædatur. Nec ex suspensione ullum detrimentum cæpit Basilica Liberiana. Nam Cappellani hujusmodi ex Rescripto Sac.

Con-

Congregationis Visitationis *diei* 23. *Januarii* 1681. levissimum præstant servitium ad instar Cappellanorum Toletanorum, qui ex Bulla Clementis VIII. edita *die* 23. *Januarii* 1598. per octo anni menses a servitio Chori exempti sunt: Cum igitur nec jus ullum lædatur Cappellanorum, nec præjudicium Ecclesiæ servitio inferatur; tum necessaria subest suspensionis causa, ut scilicet succurratur indigentiæ Hospitalis, cujus intuitu alias suspensa sunt Missarum onera *in Cremonen. Suppressionis Onerum* 16. *Januarii* 1747., *& in Pharaonen. Suppressionis Onerum, & Absolutionis* 9. *Julii* 1796. *ad I. Dub.*

Cappellani vero Moretti, ut recessum *a Decisis* suadeant; Ajunt rem esse de suspensione Cappellaniarum, quæ plenæ sunt, itaut jus quæsitum sit Cappellanis ad stipendium consequendum. Quamquam enim Cappellaniæ hujusmodi ex fundatione amovibiles sint; attamen cum non sint *manuales*, ut ajunt, & *servitoriæ*, sequitur, ut nisi justa subeunte causa Cappellani privari non possint, ut *ex Text. in cap. Cum querelam de Elect.*, *Fargn. de jure patron. part.*2. *Canon.*21. *cas.*10. *num.*10., *&* 11., *Rot. coram Cavaler. decis.*72. *num.*1. 2. *decis.*173. *num.*16. *coram Olivatio*. Maxime cum causa *amotionis* non derivetur ex culpa Cappellani, sed ex comodo Patroni, qui non tam Cappellanum vult amovere, ut alium substituat, sed ipsam Cappellaniam suspendere *Piton. controvers. Patron. in supplem. tom.*2. *num.*48.; *Lambertin. de jure patron. lib.*3. *quæst.*5. *artic.*9. *num.*5.

Ex quibus concludunt, quod cum suspensio lædat jus Cappellanorum ita requiritur justa, & necessaria causa, ex qua possint amoveri, ut *ex Clem. quia contigit de Religios. Dom. Monet. de Commut. Voluntat. Cap.* 6. *num.* 70. *Rota coram Emerix Decis.* 898. *num.* 7., & S. Congregatio *in Recineten.* 24. *Januarii* 1750. *in Hippien., seu Eporealien. Applicationis Bonorum* 17. *Septembris* 1791.

Hujusmodi non esse causas, quæ adductæ fuere, contendunt Cappellani. Non diminutio redituum, cum Fundator nedum assignata Loca Montium in fundum Cappellaniarum, sed etiam obnoxia voluit universa bona hæreditaria. Quare si bona hæc idonea sunt oneri Cappellaniarum ferendo, nihil sane refert si reditus Hospitalis sint diminuti. Inopia vero Archiospi-

talis non esse necessariam causam suspensionis deducunt Cappellani ex eo, quod sublevare infirmos sit *charitatis* opus, & solvere stipendium Cappellanis, qui onera Cappellanię præstiterunt pertineat ad *justitiam*, quæ *charitati* prevalet *ut D. Augustinus Serm.* 178. Maxime cum Hospitali substitutum sit Capitulum in casu, quo illud nollet onera implere, ex quo patet quod omnino Fundator voluit, ut Cappellanis stipendium solveretur. Exempla vero, quæ afferuntur suspensionis onerum in sublevandos infirmos numquam trahenda sunt ad rem præsentem, in qua præjudicium caperent Cappellani, quibus Fundator præcipue consultum voluit.

Plura in utramque partem in Allegationibus adducuntur, unde dirimi poterit Dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Recedendum a Decisis quoad Cappellaniæ Morutti, & Posi.

Sess. 14. cap. 3. de Reform.

PERUSINA SUSPENSIONIS. Proposita hæc causa est in Congregatione proximi præteriti diei 30. *Aprilis*, & disceptatis Dubiis = *An sit locus reintegrationi ad Paræciam, & rehabilitationi ad celebrationem Missæ* = & quatenus *negative* ad primum = *An, & quomodo sit prospiciendum patrimonio, & alimentis* = hisce inquam Dubiis responsum fuit = *Ad I. Negative in omnibus* = *Ad II. Affirmative ex reditibus Pareciæ, sin minus prout de jurè* = Iterum Parochus Bolletta subire vult novum jurium suorum periculum. Utrinque exhibentur impressę Allegationes EE. PP., ut moris est distribuendę, quarum hæc summa est.

Quoad *reintegrationem* ad Paræciam Bolletta affert testimonium Parochianorum, qui affirmant eumdem = *per dodici anni che ci ha assistiti non ci ha dato alcun disturbo, o scandalo* = *che le peripezie da lui sofferte, e che soffre ancora gli sono avvenute per causa di due nemici* = *che sempre si è portato da buon Parocho* = *che sospiriamo il momento di vederlo riabilitato a questa cura* = Ex quibus se ab omni infamia insontem, vel saltem ad bonam opinionem reintegratum se esse contendit.

Ne-

Negat id Promotor Fiscalis, cum nullam fidem adhibendam esse dicat testimonio Parochianorum, tum quia expiscato post æditam S. hujus Congregationis Resolutionem, tum quia contrarium Sententiæ, quæ Parochiani per secreta suffragia exposuerunt, tum demum quia non ex hoc probetur reintegratio ad bonam famam, statim ac non præcesserit pænitentia ad triennium continuata, & morum emendatio. Novos hinc adducit testes; scilicet *centum viginti* Cives Perusinos, decemviros Civitatis, Possidentes in Paræcia *della Rabatta*, & conterminos Parochos Rurales, qui affirmant reintegrationem Parochi Bolletta futuram esse offensionis, & scandali in universa Paræcia.

Ad patrimonium quod attinet, & alimenta Parochus Bolletta probare studet quod reditus Paræciæ *della Rabatta* idonei sint ad alimenta suppeditanda. Nam duo horti Pareciæ adnexi fructus dare possunt in annuis scutis 84. ut Periti deponunt. Decimæ præterea sunt, & stipendium, quod a Capitulo Patrono solvitur. Alimenta itaque præstanda esse contendit ex reditibus Paræciæ cujus fructibus se privari posse negat, nisi causa cognita ad *Text. in Cap, sicut*, & *in Cap. Si autem de cohabit. Cleric.*, & *mulier Panimol. in addit. ad decis.* 144. *numer.* 7. *Rota decis.* 58. *num.* 2. *cor. Penia dec.* 207. *numer.* 18. *cor. Ansaldo*.

Contra hæc Promotor Fiscalis tria proponit. PRIMUM quod cum Parochus Bolletta culpa sua Altari non serviat, nec de Altari vivere debeat, & cum suspensio inflicta sit *ob contumaciam* non debeantur alimenta *suspenso*, etiamsi indigeat, *quia sua culpa patitur eam necessitatem*, ut iisdem verbis tradit *Pirhing. in jus Canon. lib.* 5. *tit.* 39. *sect.* 7. §. 1. *num.* 201. *Schmalz grueber. in Jus Ecclesiastic. Univers. Part.* 4. *tit.* 39. *num.* 299. & *seqq.* SECUNDUM, quod Paræcia *della Rabatta* ferre non possit hoc alimentorum onus. Nam productis calculis non plus Paræcia reddit, quam scuta 61. 27. si genera pretio medio æstimentur hæc vix sufficiunt ad stipendium Œconomi, quod nunc præstari solet in obolis *viginti* in diebus ferialibus, & *triginta* in fæstis. TERTIUM, quod Episcopus non teneatur alere Parochum criminosum. Ex jure enim *in cap. cum secundum* 16. *de Prebend.* & *in Trident. sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* Episcopus cogitur ad alendum Clericum, quem vel sine titulo vel cum ti-

tulo minus idoneo ad Sac. ordines promovit. Remota culpa Episcopi si titulus vel casu, vel facto Clerici minus idoneus evaserit, Episcopus numquam tenetur alimenta Clerico præstare. Unde si Bolletta ex suo delicto privatus est fructibus Paræciæ, ad cujus titulum ordines suscepit, non potest compellere Episcopum, ut alimenta subministret.

Deliberandum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius, & ad mentem: Mens est quod per Curiam Episcopalem procedatur criminaliter super omnibus ex integro.

Ses.22. cap.5. de Reform.

SABINEN. EXEQUTIONIS LITTERARUM APOSTOLICARUM. Ex quatuor Cappellaniis laicalibus, quarum gæminas Theresia Cicalotti per actum inter vivos fundavit in Oppido Turris in Sabinis; geminas vero in Oppido Forani, ad unam ex hisce posterioribus præsens coutroversia redit. Voluit namque Fundatrix ut post sui obitum hæredes erigerent = *quatuor Cappellanias mere laicales liberas, & independentes a qualibet auctoritate, ingerentia, & facto cujuscumque Superioris Ecclesiastici & uti legatum pium reputandas* = utriusque vero Cappellaniæ *laicalis*, quas Forani instituerat = *libere, e indipendenti dall' autorità e fatto di qualunque Ecclesiastico Superiore ordina, e vuole essa Teresa Cicalotti, che spetti la facoltà di nominare e di eleggere in avvenire il Cappellano, o Cappellani al Signor Don Biagio Scarinci suoi Eredi qualsivoglia scritti in testamento, e successibili ab intestato, ed occorrendo il caso, che mancasse il Sacerdote originario di detta Terra, e Territorio di Forano si possa in subsidium eleggere, e nominare un Sacerdote forastiere*. Ad unam ex hisce Cappellaniis ipsa fundatrix nominavit = *uno de figli di Silvestro Bartoli della Terra di Forano, quando sarà ordinato Sacerdote in tempo abile, e sino che non sarà promosso al Sacerdozio debba in questo tempo intermedio fare adempire ogni obligo come sopra espresso da adempirsi da chi è Sacerdote*.

One-

Onera vero Cappellanis imposita haec precipua fuere = *Che ciascun Cappellano pro tempore sia obligato oltre l'obligo della Messa della Cappellanla di S. Andrea celebrare Messe cinque lette in compimento di Messe numero dieci in ogni Settimana in suffragio dell' Anima della Fondatrice &c. = Che li medesimi Cappellani debbano esser presenti ad assister personalmente nel coro, ed intervenire alla Processione, ed altre funzioni Ecclesiastiche, e sogetti alle puntatnre, e pene non ostante, che dette Cappellanie siano laicali = Si esortano per solo consiglio, e non per obligo li medesimi Cappellani in venerazione, e profitto del Sacramento della penitenza, che s'impieghino nell'esercizio della Confessione* = Post fundatricis obitum auctoritate Ordinarii Cappellaniae erectio confirmata fuit. Hinc Patroni nominarunt semper Sacerdotes, qui Cappellaniam hujusmodi possederunt. Et licet in una vacatione nominatus fuerit puer septennis Philippus Scarinci; attamen litteras Apostolicas dispensationis obtinuit, ea conditione, ut Sacros ordines susciperet, statimac ad legitimam perveniret aetatem.

Qui Philippus Scarinci cum occubuisset *die* 10. *Decembris* 1797. vacavit Cappellania fere per *triginta* menses Nam Patronus Bernardinus Scarinci nonisi ad diem 28. *Aprilis* 1800. Clericum Blasium Scarinci nominavit. Dubitavit hic, num Cappellaniam retinere posset in in *statu* Clericali. Quare praeces exhibuit huic Sac. Congregationi, ut declararet, num Cappellania hujusmodi Praesbiteralis esset, vel Clericalis; sin minus, ut *dispensationem* impetraret, quo posset eam retinere usque dum ad Sac. Ordines promoveretur.

Praeces hujusmodi die 17. *Julii* 1802. transmissae fuere Emo Episcopo, qui in suo voto censet hujusmodi Cappellaniam non esse actu Sacerdotalem, & Oratorem saltem dignum esse dispensatione, cum sit ex Patronorum familia. Advertit tamen, quod Archipraesbiter Forani Gaspar Sabutii = *qui re quidem non integra ob latas jam a Scarincio Sacrae huic Congregationi praeces, quibus tunc temporis rescribere studebamus, Datariam adiit, & Cappellaniam de qua sermo est impetravit, litteris Apostolicis ad id datis, quas tamen nondum exequtioni commissas novimus, eo quod ob quaestionem hanc antea apud vos institutam legalis citatio intercesserit, ac = Nihil transeat = quod vocant*

in

in actis appositam fuerit a Scarinciis = Hac *Informatione* audita præstitutum est tempus Archipræsbitero, ut Litteras Apostolicas, suaque jura exhiberet. Litteras hic exhibuit, quæ continent gratiam *pro devoluto die* 7. *Junii* 1802. expeditæ. Hinc controversia orta super exequtione Litterarum Apostolicarum, quamquam utrinque vadimonium acceptatum esset concordatis coram me infra scriptis dubiis; attamen Scarincius nunc dilationem postulat & Archipræsbiter Sabutius impressam allegationem EE. PP. exhibet.

I. Dubium respicit exequtionem litterarum Apostolicarum quas, ut vocant, *pro devoluto* obtinuit Sabutius. Narravit S. Pontifici, *quod* Cappellania vacet, *quodque* Patroni nullam intra legitimum tempus præsentationem fecerint, quæ *sortiri possit effectum*. Constat autem, quod postremus Cappellanus occubuit *die* 10. *Novembris* 1797., & Patronus nominationem explevit *die* 28. *Aprilis* 1802.; jam evidens est, quod cum nedum effluxu quadrimestri, sed *triginta* fere mensibus præsentatio facta sit, devolutum omnino sit jus nominandi ad S. Sedem, ut post *Text. in Cap.* 2. §. *cum vero de Conces. Præbendæ docet Lotter. de Re Beneficiar. Lib.*2. *quæst.* 24. *num.* 43., & *Rota in Barren. Benefic.* 29. *Aprilis* 1757. §. 6. *coram Paracciano*.

Nec posterior præsentatio a Patrono facta ullum effectum sortire potest. Nam cum agitur de Cappellania Sacerdotali actu, non poterat nominare clericum, qui nec dispensationem intra quadrimestre obtinuit, nec intra annum ad S. Ordines promoveri poterat Rota in *Parmen. Beneficii* 26. *junii* 1750. §. 7. *coram Canilliac.* Quod vero Cappellania sit Sacerdotalis actu eruitur ex ipsa fundatione, in qua cavetur *e occorrendo il caso, che mancasse il Sacerdote originario e nativo di detta Terra di Forano si possa in subsidium elegere un Sacerdote forastiere*. Qualitas igitur Sacerdotis requiritur in ipso actu nominationis, & præsentationis, proindeque Cappellania est *actu* Sacerdotalis ut ex Doctrina Abbatis in *Cap. Cum in cunctis* §. *Inferiora numer.* 10. *de Elect.* docet Rota *in Firmana Beneficii* 26. *Februarii* 1791. §. 5. *cor. Emo Despuig*, & S. Congregatio in *Perusina Cappellaniæ* 19. *Januarii* 1788.

In II. *Dubio* quæritur num Cappellania retineri possit in Statu Clericali, vel saltem concedenda sit dispensatio,

satio. Negat utrumque Sabutius. Nam si Cappellania est actu Sacerdotalis nec a clerico retineri potest, nec dispensatio concedi, nè jus ex Litteris Apostolicis quaesitum tollatur *Rigant. ad Regul. Cancelleriæ Regul.* 18. *num.* 1. *tom.*2. *pag.* 251. Addit ex facto, quod prorsus Scarincius incapax est, ut ad S. Ordines promoveatur, tum ob defectum scientiæ, tum ob minus probatos mores, ut proinde ei dispensatio esset deneganda, ut firmat Rota in *Zamoren. Cappellaniæ* 10. *Decembris* 1751. *n.* 7, *cor. Caprara*.

Præ munere tamen EE. VV. observandum propono, quod eo redire videtur omnis quæstio, num Cappellania sit legatum laicale, vel potius Beneficium Ecclesiasticcum. Nam si esset legatum pium Laicale, tum de jure ordinario non subiiceretur reservationibus Apostolicis ut tradit Rota *in Lauretana Beneficii* 15. *Februarii* 1762. §. 5. *cor. Olivatio*, nec proinde tenebantur Patroni intra quadrimestre presentare. Fundatrix quidem voluit Cappellanias = *Laicales independentes a qualibet autoritate ingerentia, & facto cujuscumque Superioris Ecclesiastici, & uti legatum Pium deputandas* =. Nihilominus erectio facta est autoritate Ordinarii, licet Decretum erectionis præseferre potius videtur confirmationem factæ fundationis, quam erectio Cappellaniæ in titulum Beneficii.

Geminum proponitur Dubium.

I. *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.*

Et quatenus Negative,

II. *An Cappellania retineri possit in statu clericali, seù potius sit concedenda dispensatio in casu &c.*

Dilata.

CHIENSIS LEGATI. Celebratissimum est legatum, quo Marchio Vincentius Giustiniani postremis tabulis *anni* 1637. opitulatus est Genti suæ Giustinianæ, quæ a Chio profuga Genuam venit, postquam Turcæ insulas Ægei in suam redegerunt potestatem. Jussit enim, ut grandis pecuniæ quantitas ad scuta *Sess.*21.*cap.*6. *de Reform.*

cen-

centum millia in investimentum Locorum Montium collocaretur, ut dimidia fructuum pars, quæ *multiplicanda* vocatur per multiplicum semper augeretur, altera vero dimidia pars distribueretur, quę idcirco *distribuenda* appellatur. Hæc tribus dividenda erat quotis, quarum una eroganda = *in beneficio ed onore della Serenissima Repubblica di Genova* = Reliquæ duo = *che siano libere della Famiglia Giustiniani di Genova, e che la Congregazione, e Governatori di essa Famiglia ne possino disporre in quelle occasioni, e congiunture, che giudicheranno esser, e risultar di maggior beneficio ad onore della famiglia de Giustiniani, e di usar carità con le persone bisognose di essa* =

Modum quoque indigitavit, quo Familiæ esset succurrendum = *Solo ricorderò, che sarà cosa di gran carità rimettere ogni anno alla Città di Scio da distribuirsi da persona fidata da deputarsi dalla Congreguzione, e Governatori della Famiglia Giustiniani di Genova scudi cento di moneta a povere persone della Famiglia Giustiniani dimoranti nella detta Città di Scio; Pare anche occasione onorata mantener giovani nell'esercizio militare &c. con dargli scudi 25. moneta il mese di ajuto di costa; Sarà anche bene mantenere giovani inclinati alle lettere nelli studi &c. massime della Città di Roma, nella quale anco mantener qualche Prelato di Mantelletta come si suol dire con scudi cinquanta di moneta il mese di ajuto di costa*.

Hæc tamen omnia permisit arbitrio moderatorum = *Pare a proposito, e lo dico solo per ricordo rimettendomi alla prudenza delli Signori di detta Congregazione della Famiglia Giustiniani, li quali secondo la varietà de tempi, e la necessità delle varie occasioni si potranno governare, e risolvere in sovvenire alle persone più bisognose della Famiglia, ed altro, che gli parrà a proposito* = Ita factum est, ut Testator expressit & quotannis soluta fuere scuta *centum* Chiensibus, scuta *viginti quinque* in singulos menses adolescenti, qui bellum sequitur, & alimenta, iis qui toga utuntur, & scuta *quinquaginta*, qui prælatitio honore insignitus est.

Rerum publicarum perturbatione cessavit singulis legatum, quippe quod solvebatur ex fructibus Locorum Montium. Postquam vero restituto ordine, duo ex quinque istorum fructuum partes solvi cæperunt, ita sin-

singulis legatariis facta distributio est, ut pro ratione deficientium fructuum legata singulis diminuerentur. Quo fit, ut Chium scuta *quadraginta*, non ut antea *centum* quotannis traiiciantur. Grave hoc videtur Chiensibus, qui integrum legatum sibi debitum putant nihilominus quod fructus rei legatæ decreverint. Præces itaque pro integra consequtione legati dederunt huic S. Congregationi, cui a S. M. Benedicto XIV. cura exequtionis hujus legati commissa est. Auditus Procurator Familiæ in Curia qui multa deduxit inferius recensenda. Jura quoque sua in scriptis protulit Procurator Chiensium. Quæ hinc inde afferuntur vobis subiiciam.

Ex Testatoris *voluntate*, & ex *æquitate* integrum solvendum esse legatum Chiensibus contendit eorum Procurator. Nam licet per modum consilii verbis hortatoriis explicati hoc legatum Chiensibus relictum sit; attamen cum in postremis voluntatibus verba hortatoria secumferunt præceptum *Rota decis.* 157. *num.* 6. *coram Riminaldo*, legatum prestari omnino debet, nec ab arbitrio exequtorum pendet. Præcipuum vero præ ceteris habuit hoc legatum Testator, id quod erui videtur tum ex ordine scripturæ, tum ex discretivo loquendi modo. Nam cætera legata relicta iis, qui militiæ, vel togæ operam dabant permissa fuere exequtorum arbitrio. Hec vero quod Chiensibus datur absolute relictum fuit, & certa præfinita quantitas scutorum *centum*, quæ Chium esset transmittenda. Tandem idcirco legatum hujusmodi indigitatur, quia = *sarà cosa di gran carità rimettere ogni anno alla Città di Scio da distribuirsi a povere persone della Famiglia Giustiniana dimoranti nella Città di Scio* = Cetera vero legata relicta fuere *per ajuto di costa*. Equum igitur videtur, ut integrum solvatur legatum iis, quibus relictum est, ut eorum indigentiæ opitularetur.

Contra hæc Procurator Familiæ in Curia hoc primum statuit, quod nunc controversia sit inter legatarios, ita ut si bona diminutionem tulerint ipsa quoque legata diminui oportet *Rota in Appen. ad Nuperrim. tom.* 2. *decis.* 488. *num.* 1. Aut igitur legata hujusmodi *absolute* relicta sunt, & tum cum Testator omnes legatarios una oratione complexus sit; omnes æque ferre debent detrimentum rei legatæ. Aut per modum *consilii* præstationes demostrantur, & ut ipse Testator lo-

quitur *per ricordo*, & tum pro arbitrio exequtorum haec legata taxanda sunt = *secondo la varietà de tempi, e la necessità delle varie occasioni*. Ut igitur iniquum esset, si Chienses in communi calamitate integrum perciperent legatum, & ceteri omne detrimentum sentirent; ita aequum videtur, ut pro rata diminutorum fructuum singula legata decrescant. Ita factum esse dicit cum singulis legatariis, qui ad capita *centum triginta* pertingunt. Quare, & ipsi Chienses communem ferre debent conditionem.

Ex his dubium proponitur.

An sit prestandum legatum in scutis centum seu potius sit diminuendum pro rata deficientium fructuum Locorum Montium in casu &c.

Affirmative quoad primam partem, negative ad secundam.

Sess. 7. Cap. 7. Ses. 24. cap. 13. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI UNIONIS, ET DECIMARUM. Sedente Innocentio III. reclamavit Episcopus Civitatis Castelli = *quod Archipraesbiteri, & Cappellani, Decimis, & testamentorum quarta, & oblationibus prout tenentur, sibi denegetur respondere* = Cujus Episcopi querelas exaudiens laudatus Pontifex Episcopo Perusino per Breve dato *Septimo Kalendas Octobris Pontificatus anno X.* = mandavit = *quatenus Archipraesbiteros, & Cappellanos praefatos, ut memorato Episcopo super iis satisfaciant, ut tenentur, monitione praemissa per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellas*. Quo imperio commoti Archipresbiteri, & Cappellani cum Episcopo conventionem (quae tamen allata adhuc non est) iniverunt, ex qua abhinc in presens semper loco decimarum certam tritici mensuram, quam vocant *Quartese*, a singulis exegit.

Has decimas seu *Quartese* nunc percipit hodiernus Episcopus Civitatis Castelli in *Staris* 172. quorum 71. pensitantur ab Archipresbiteris, &, Plebanis qui reliqua

Sta-

Stara 101. a Parochianis ex decem ruralibus curis in capita exigunt, & Mensae Episcopali rependunt. Quo fit, ut ægre semper, & hisce præsertim temporibus pauperes præstent hanc tritici quantitatem, ita ut sæpe in offensiones, & scandala inciderint. Ut hæc igitur avvertantur incomoda, & murmurationes publicus Magistratus author fuit Episcopo, ut penitus deleretur, & remitteretur solutio hujusmodi *Starorum* 101. quam populus nomine decimarum pensitat, simulque ut supprimeretur gemina Paræcia Ruralis, altera scilicet nuncupata *S. Andrea delle Capanne*, quæ nunc vacat, & altera *di Monte Maggiore*, cum primum erit vacatura, earumque bona in compensationem renunciandarum decimarum Mensæ Episcopali unirentur, easque per Cappellanos Curatos exerceat, & omnia onera impleat.

Cum id fieri non posset nisi intercedente authoritate Apostolica, hanc in oblatis precibus implorat Episcopus, a quo plura percontata fuere, quæ scitu erant necessaria, ut super oblatis precibus EE.PP. deliberarent. Hisce omnibus fecit satis Episcopus in sua *Informatione*, cujus hæc sunt summa capita. Quantitas *Starorum* 101. Rubris *viginti duo*, & *duobus Staris* mensuræ Romanæ respondet, quæ si æstimentur pretio, scutorum *quindecim* in singula rubra attingerent summam scutorum 336. 66., quam renunciata præstatione = *del Quartese* = Episcopus se ammissurum contendit. Mensa vero Episcopalis in agro *Civitatis Castelli* possidet fundos æstimatos in Catastro Piano anni 1778. *scuta* 14665. 53., in agro vero *Citerno* bona, quæ in eodem Catastro adscribuntur pro *scutis* 6294. 57. ½ Hunc vero integrum Censum in scutis 20960. 10½ gravari ære alieno in scutis 2100. Episcopus affirmat.

Paræcia S. Andreæ *delle Capanne* nunc vacat, & regitur ab Æconomo *Præsbitero Benedicto Biagioni*, eaque continet undecim familias, & capita *centum triginta unum*, ut nullas fere reddat incerta stolæ. Possidet autem bona æstimata in censualibus tabulis ad scuta 2995., ex quibus ducto calculo decennali redeunt annuum *scuta* 185. 85. ½ Decimas præterea percipit in annua *scutis* 91. 9. Ex integro vero reditu in annuis *scutis* 276. 94. ½ detrahenda sunt *scuta* 128. 15. Scilicet: *scuta* 28. 15. pro vectigalibus: & *scuta* 100. pro alimentis Rectoris, & manutentionis Ecclesiæ. Quibus detractis libera supersunt *scuta* 148. 79. ½

Paræcia vero *di Monte Maggiore*, quę nunc regitur a Parocho Philippo Marchesani sex subjectas habet familias, & animas *duodę octoginta*, Censum vero possidet in codice catastrali estimatum *scuta* 7801. 36. Quid ex hisce bonis in proximo decennio redierit assequi non potest, cum Parochus rationes non confecerit. Nunc vero bona (exceptis tamen = *le riferme*, *e li Canoni* = ut Parochus ipse profitetur) locata sunt pro annua pensione *scutorum* 400., quorum *scuta* 115. pertinent ad fructum pecoris, quod proprium est Parochi. Ex reliqua vero pensione in scutis 285., quæ pro fundis parochialibus solvitur deducenda sunt *scuta* 168. 63., nimirum pro collectis *scuta* 68. 63., & *scuta* 100. detrahenda erunt in proposito casu pro alendo Rectore, & manutenenda Ecclesia; Unde rationibus deductis libera ab omni onere remanent *scuta* 116.

Quibus expositis Episcopus infert, quod dum ex decimis percipit annua *scuta* 336. 66., & ex reditibus Pareciarum consequturus esset scut. 264. 79. ½ profecto remissa Decima Mensa ammitteret annua *scuta* 71. 86. ½ Hinc votum suum concludit = *Hæc ipsa juris jurandi religione interposita Ecclesiarum Rectores, Capitulares, Urbis præfecti, omnes proceres firmant. Sua hinc sponte fluit unius dumtaxat Ecclesiæ unionem longe nimium abesse ab volita ab omnibus, & necessaria Mensæ compensatione, patetque simul nullum aliunde excogitari posse remedium, quo facilius, & congruentius Episcopi sustentationi, & miserabiliumPersonarum, clamoribus occurratur, quin ullum Religionis cultui, aut spirituali animarum opitulationi pertimescendum sit decrementum* = Auditi sunt MinistriDatarię Apostolicæ, qui unionem hanc probant, & respectivam abolitionem decimarum. Nonnulla proponunt inferius recensenda circa modum, quo hæc unio fieri debeat.

Proponitur unio duarum Paræciarum Mensæ Episcopali, ut hæc possit remittere Decimas, quas Pauperes iniquo animo solvunt. Et sane hæc præstatio *del Quartese* cum pensitari debeat etiam ab iis, qui industria vivunt, gravis nimis videtur indigentibus, qui aliquando seditionem concitasse dicitur. Si igitur hęc decima offensionem parat inter plebem, & Episcopum, certe ejus abolitio tenderet in levamen publicæ

pau-

paupertatis, & ad conciliandam concordiam gregis, & pastoris: Sed non potest hæc abolitio demandari, nisi simul Mensæ Episcopali compensatio assignetur. Cum vero nulla alia suppetant media, quam unio utriusque Paræciæ, profecto satis causæ esse videtur, cur Summus Pontifex illam concedat, quia scilicet præsefert bonum publicum. Ad succurrendam autem Mensæ Episcopalis tenuitatem beneficia uniuntur, ut tradit *Gonzalez in cap.* 1. *num.* 3. *de Excess. Prælat. Turricell. de union. benefic. cap.* 8. *num.* 4., *&* 3. *Reclusio de re Parochial. part.* 1. *tit.* 10. *num.* 4., *Rota decis.* 337. *num.* 35. *part.* 9. *recen.* Quod si ad sublevandam indigentiam Collegii Sac. Congregatio probavit unionem Paræciarum *in Lægionen.*, *&* *Astoricen. Unionis* 11. *Aprilis* 1739., multo sane magis probanda videtur in casu., in quo agitur de sublevandis indigentibus, & Rectores Paræciarum, & Capitulum Cathedralis unioni assentiuntur, quorum consensus pro forma requiritur ex dispositione juris *in Cap.* 1. *de Reb. Eccles. non alienan.*, *&* *Clem. ultim. de excessu Prælat.*

Verum EE. PP. animadvertant, quæ a Parochianis utriusque curæ = *delle Capanne*, *e Monte Maggiore* = exponuntur in precibus, quæ mihi allatæ sunt dum *Folium* sub prælo erat. Licet enim commendent Episcopi charitatem, qui sublevare curet indigentes ab onere *del Quartese*; attamen hoc grave iisdem videtur, quod dum succuritur octo ex decem Paræciis huic præstationi obnoxiis, totum onus in duas Paræcias rejiciatur. Nam Paræcias hujusmodi amplam habere dicunt congruam, cujus bona ad scuta *vigintiquatuor millia*, reditus ad scuta 1200. pertingunt. Ita fit, ut nunc optimos habeant pastores, qui eosdem, & scientia regere, & opibus succurrere parochianis possent. Contra vero si mercenarius Cappellanus eisdem constituatur, vel Parochus, cui congrua diminuatur; profecto Parochiani detrimentum sentire debent. Contra reliquæ paræciæ omnem ferrent utilitatem, & sine ullo incomodo sublevarentur ab onere decimæ nedum indigentes, sed etiam divites. Quare obtestantur vos EE. PP., ut alia remedia minus ipsis damnosa inveniantur, ut abrogata decima *del Quartese* a solis indigentibus solvenda possit compensari Mensæ Episcopali, damnum ex remissis de-

ci-

cimis ab ipsa ferendum. Quod quidem damnum statuto pretio medio tritici in scutis *decem*, non excederet annua scuta 220., quot ferunt Rubra *viginti duo*, quæ ex Staris 101. conflantur. Hæc *in facto* proponunt Parochiani. *In Jure* præ munere observandum censeo, quod Tridentinum *sess.23. cap.13. de Reform.* Uniones Paræciarum omnino reprobat. Unde alias Sac. Congregatio rejecit uniones hujusmodi, licet in bonum publicum tenderent, *in Aurien. Unionis* 12. *Februarii* 1707. relata in Folio 11. *Aprilis* 1739.

Nihilominus hæc omnia, si EE. PP. Sententia in hanc unionem inclinet, tum præ oculis habendus erit modus quem Ministri Datariæ Apostolicæ proponunt, ut rite unio perficiatur. *Unio*, ajunt, *Cathedrali congrueret cum jure nominandi respestivos Vicarios Curatos, & quidem non amovibiles, sed perpetuos, ut status perpetuitatis, atque collativus præexistens, & in posterum servetur nominatione adigenda inter approbatos in concursu singulis in vacationibus habenda, supportatis tamen in casu præsente per Mensam Episcopalem, cui bona incorporarentur omnibus, & singulis oneribus tam omnigenæ manutentionis Ecclesiarum, ceterorumque; ad quæ Parochi præexistentes tenebantur, cum etiam solutionis congruæ satis exhibitæ in annuis scutis octoginta. Non enim minor quinquaginta, nec major centum esse potest in Vicariis curatis ex Bulla S. Pii V. incipien. ad exequendum la* 47. *Cura autem actualis penes Vicarium curatura sisteret, quæ veluti ministerialis hoc nomine, vel etiam illo proposito Cappellani Curati semper Principalem Rectorem existere supponit* = Hæc accepta fert Episcopus, & congruam Vicariis curatis spondet in annuis scutis *octoginta*, & præterea manutentionem Ecclesiæ, & sacrarum supellectilium.

Ex his deliberandum proponitur.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro unione Paræciarum, & abolitione Decimæ in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo, ut transmittat concordiam statum decennalem activum, & passivum Mensæ Episcopalis, & decem Paræciarum, inclusis quoad Paræciam *di Monte Maggiore le riferme*, e *Canoni*, & interim proponat alia media minus damnosa.

AUXI-

AUXIMANA, ET NUCERINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Sess. 14. Cap. 7. de Reform.* A Nucerina Civitate, in qua ortus erat Ritus Fancelli lares transtulit ad Civitatem Cingulanam, ubi domicilium fixit, animumque permanendi satis declaravit ex eo, quod Cingulanam Civem Mariam Quattrini duxit, ab eaque filium suscepit Aloysium. Qui licet Cinguli in Domo paterna semper a nativitate manserit; attamen cum Ecclesiæ nomen dare cuperet ab Episcopo Cingulano Litteras testimoniales *de statu libero* accepit, & initiatus est ad primam tonsuram, minoresque ordines ab Episcopo *S. Severini* cum *litteris dimissorialibus* Episcopi Nocerini. Pari modo ad S. Ordines promotus fuit a defuncto Episcopo Nucerino, quin ab Eminentissimo Antistite Cingulano *dimissoriales* assequeretur.

Ineunte *anno* 1802. hæc omnia explorata sunt, cum Sacerdos Aloysius Fancelli in patrium Cinguli domicilium remeavit. Quare Eminentissimus Episcopus Cingulanus eumdem a Divinis suspendit. Hinc Fancellius preces dedit huic S. Congregationi, ut absolutionem a suspensione, & dispensationem ab irregularitate obtineret, cum ordines susceperit sine testimonialibus Ordinarii originis, & domicilii, & hujusmodi suspensione irretitus in ordine ministraverit. Interrogatus est Episcopus Nucerinus, qui hæc bona fide evenisse affirmat, & dignum esse Oratorem, cui absolutio, & dispensatio concedatur. Secus tamen censuit Eminentissimus Episcopus Cingulanus, qui reprehendit vitæ rationem ipsius Fancelli. Dum enim *anno* 1800. in Diœcesi Cammerinensi commorabat Virginem ludibrio habuit, & in eum quæstio stupri constituta est. Rursus anno 1801. idcirco ab Æsina Diœcesi expulsus est, quia suam navavit operam, ut Cænobita Personatus choreis theatralibus interesset. Quibus ab Eminentissimo Episcopo Cingulano exceptis *die* 19. *Junii* 1802. Rescriptum prodiit: *Doceat de impetrata absolutione pro patrato crimine; de peracta pœnitentia, & costanti emendatione*.

Ut hisce omnibus Fancellus satisfaceret, testimonialem Archiepiscopi Camertini attulit, ex qua constat Fancellium inquisitum quidem fuisse crimine stupri, cujus causa fuit in vinculis conjectus, sed postea compositis partibus a pæna fuisse absolutum. Vitæ autem emen-

emendationem privatis testimoniis comprobavit. Iterum ergo supplicavit pro absolutione, & dispensatione, iterumque de sua Sententia rogatus est Eminentissimus Episcopus Cingulanus, cui Oratoris emendatio valde suspecta fuit = *Ea inquit est illius mentis aberratio, ut singulis fere diebus in Pharmacopolæ officinis contra mea præscripta cum Sæcularibus sedeat, atque otietur. Quid igitur ab hujusmodi Præsbitero expectare possum postquam hostiam salutarem Deo offerre debet. Tuta conscientia assentiri minime possum, ipsum modo rem divinam facere in utraque mea Diœcesi, ubi fere omnibus malo exemplo fuit, ideoque de ipso male existimant, nisi prius vel ab Episcopo Nucerino, a quo fuit ordinatus, vel ab Archiepiscopo Camerinensi, in cujus Diœcesi Sacrum illius patrimonium extat testimoniales litteras de suis bonis moribus, ac de exemplari vivendi ratione accipiam. Putarem itaque EE. VV. indulgere posse Oratoris præcibus eum absolvendo ab omni censura, & irregularitate, ea tamen lege, ut ad aliquam religiosam domum aliquot dies secedat ad suum Episcopum Nucerinum se conferens, cui suæ constantis emendationis signa præbere debebit.*

Proposita est causa = *per summaria precum* = in Congregatione *diei* 26. *Martii* 1803., & EE. PP. mandarunt, ut *in Folio* describeretur. Novas nunc præces porrigit Fancellus, & nova exhibet testimonia, ut probet se spiritualibus exercitiis operam dedisse, & vitę emendationem sategisse. Certe quidem dum ipse Cinguli ortum duxit, in quo Pater lares fixerat, uxorem duxerat dubitari non potest, quin Episcopo Cingulano subiiceretur. Nam in Constitutione Innocentii XII. lata *die* 4. *Novembris* 1694. cujus initium = *Speculatores* = expresse cavetur = *Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti* = Cum vero Fancellius sine *dimissorialibus* proprii Episcopi Cingulani ordines susceperit, sequitur, ut ex eadem Constitutione in suspensionem inciderit, qua innodatus, cum in ordine ministraverit, & Sacra confecerit, omnino irregularis factus est ex *Text. in Cap. si quis Præsbiter* 21. *de Cleric. excomunicat. &c. Reinfestuel. tract.* 13. *de Censur.*, *& irregularitat. distin.* 3. *quæst.* 2.

Hinc judicium EE. VV. redire debet ad inquirendum, num

num justa subsit causa: cur nunc absolutionem, & dispensationem obtineat: Quamquam enim Fancellius tonsuram minoresque ordines susceperit cum litteris dimissorialibus Episcopi Nucerini, qui deinde eum ad Sacros Ordines promovit; attamen non idcirco abesse videtur mala fides. Etenim cum Cinguli natus esset, ibique semper domicilium habuerit, nonnisi per dolum fecisse videtur, si a proprio Episcopo divertit, cui subjectum esse ignorare non poterat, & ordines ab Episcopo S. Severini suscipere maluit.

Obstat quoque dispensationi impertiendæ prçterita vitæ ratio. Num inquisitus fuit crimine stupri in Diæcesi Camertina, & postea instigator fuit, ut Regularis choreis interesset larvatus, quo *cum Diabolo jocaret*, ut inquit *Chrisosthomus*. Quare cum suæ infamiæ recens memoria sit, certe rehabilitatio, in offensionem Plebis rediret. Nihilominus constat, quod a crimine stupri prævia partium compositione absolutus sit, & spiritualibus exercitiis vacavit postquam Emus Episcopus Cingulanus ab eo requisivit majora pænitentiæ signa. Videant EE. PP. num ex his aliquid Oratori sit indulgendum, seu potius, ut Emus Episcopus Cingulanus proponit, compellendus sit, ut in Diæcesim Nucerinam redeat, ibique præbeat signa pænitentiæ, & constantis emendationis.

Dubium est.

An sit concedenda absolutio, & dispensatio in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

NULLIUS FARFEN. CAPPELLANIÆ. De testamentaria dispositione Presbiteri Philippi Constantini gravis controversia fuit inter Nicolaum Forti, & Petrum Manelfi. Nam Constantinus hçredem instituit usufructuariam sororem suam Anastasiam, & commissit fidei *Lactantii Cardinali*, ut post sui obitum bona singula describeret, & voluntatem suam exequutioni committeret, quæ eo spectabat, ut in proprietate hæres esset = *la Cappella, ove stà l' ovato* *Sess.25.cap.9. de Reform.*

to di S. Filippo Neri nella Chiesa Parrochiale di Salisano, ove intendo, che siano celebrate tante Messe per quanto frutteranno i capitali della mia eredità con questo però, che le Messe da celebrarsi non siano meno di giulj due però ciascheduna Messa di modo che diminuendosi il fruttato sia diminuita il numero delle Messe = Jus vero nominandi addixit = *al Signor Nicola Forti, e Francesca Cardinali Conjugi in infinito fino a tanto, che ve ne sarà discendenza* = In primum vero Cappellanum elegit Leonardum filium Nicolai Forti. Defuncto Testatore *Lactantius Cardinali* ommisit bona describere. Hinc Nicolaus Forti postulavit exequutionem testamenti, & contra Petrus Manelfi nullitatem dispositionis deducens ex eo quod subrepta fuerit a Testatore cum imminenre obitu non esset apud se, urgebat successionem ab intestato, & contra tabulas. Disceptata causa coram A.C. Priocca, hic decrevit exequutionem testamenti tamquam ab omni nullitate immunis. Sententiam hanc consequuta est Transactio inter Conjuges Forti, & Manelfum stipulata *die* 10. *Julii elapsi anni* 1802., in qua Conjuges Forti liti renunciarunt, simulque Jus nominandi cesserunt Manelfio, ejusque descendentibus. Hic vero Conjugibus promisit scuta 125. *a titolo delle spese, e danni*, quæ in sustinen la lite tulerant.

Nunc igitur Manelfus implorat authoritatem S. Congregationis, ut erigere possit Cappellaniam ex bonis hereditariis, quæ nunc extant cum reservatione juris nominandi in sui favorem, suorumque descendentium, simulque exorat absolutionem quoad præteritum pro Missis non celebratis. Ordinarius *in sua Informatione* exposita confirmans, censet = *Precibus annuere mihi non videtur incongruum, & tam Manelfio, quam descendentibus suis transactionis exequutionem concederem, quæ juxta Testatoris voluntatem, implenda videtur, & ita ad erectionem Cappellaniæ devenire per Bullas attenta modificatione, & derogatione testamenti Constantini circa personarum diversitatem in activa, & passiva vocatione juxta Cancellariæ Regulam septimam, & octavam. Missæ, quæ celebratæ fuere ad hanc usque diem sunt in numero* 490. *& in reliquis absolutionem postulat Manelfius attentis præcipue expensis supradictæ litis.*

Nulla controversia est, quin Cappellania erigenda sit, ut

ut Testator jussit: Scilicet ex bonis stabilibus estimatis a publicis *Peritis* in scutis 565. 60., ex quibus redeunt annua *scuta* 33. Nam Mobilia, quæ in ædibus Testatoris erant tempore obitus expilata fuerunt, nec Inventarium confectum est. Certe quidem id tribuendum non videtur Manelfio, aut PatronoForti, sed Lactantio Cardinali, cujus fidei testator commisit bona describere, voluntatemque suam executioni mandare. Quare in eum experiri poterunt jura, si sua culpa factum sit, quod mobilia dissiparentur. Quod si utilis futura erit actio pro mobilibus adversus Lactantium Cardinali, tum quidquid pro dispersis mobilibus repetatur, erogari poterit in augumentum fundi Cappellaniæ.

Ad *modum*, quod attinet erigendæ Cappellaniæ, eo redit quæstio, num Manelfio reservandum sit jus nominandi, quod in testamento relictum fuit Conjugibus Forti, & ab his in transactione cessum Manelfio. Duo huic cessioni obstare videntur. Primum quod cessio videri poterit correspectiva, & onerosa cum a Manelfio promissa, & a Conjugibus acceptata fuere scuta 125. Cessiones quidem onerosæ æquiparantur venditioni *Rota in RomanaÆlioramentorum* 21. *Aprilis* 1788. §. 10. *coram Canilliac.* Ex Tridentino autem *Sess.*25. *cap.*9. *de Reform.* expresse defenditur Patronis, ne Juspatronatus *venditionis*, *aut alio quocumque titulo contra canonicas Sanctiones in alios transferre præsumant*. Deinde ex hac cessione præjudicium capiunt descendentes Nicolai Forti, qui in testamento contemplati fuere, cum juspatronatus relictum sit ConjugibusForti=*in infinitum fino a tanto che ve ne sarà discendenza*. Precipue vero Leonardo filio Nicolai Forti præjudicium infertur, qui a Testatore fuit in in primum Cappellanum nominatus.

Verum scuta 125. data, acceptaque fuere non in causam cessionis juspatronatus, sed *a titolo de danni, e spese*, quas Conjuges Forti in sustinenda lite facere coacti sunt. Ubi vero in cessione jurispatronatus quid datur, quod ad alium justum titulum referri possit, quam ad alienationem jurispatronatus, tum quidem cessio valida habetur, ut statuit Sac. Congregatio *in Fanen. Beneplaciti* 8. *Augusti* 1801. Cum vero dubius erat litis eventus super nullitate testamenti,
 & pe-

& periculum esset, ne Cappellania erigeretur, videtur, quod nullum jus quaesitum sit descendentibus, ut eis cessio praejudicium ferat.

Alterum vero *Dubium* respicit absolutionem quoad praeteritum ob missas non celebratas. Nihilominus quod Manelfius curaverit celebrationem Missarum 490.; attamen nonnullas Missas ommissas fuisse fatetur. Idcirco absolutionem postulat, quia expensae litis subire debuit. Perpendant tamen EE. PP., quod judicium hujusmodi aluit non, ut voluntatem Testatoris, & Cappellaniae erectionem defenderet; sed potius, ut eam destrueret, bonaque ab omni onere immunia qua intestatus hęres possideret. Potius itaque ejus culpae verti debet si celebratio Missarum defecit. Maxime cum a die obitus usufructuariae, *vel* ipse fructus haereditarios percepit, ut ex his missas praeteritas implere debeat; *vel* saltem eosdem fructus repetere possit ab eo, qui nullo jure suos fecit, ut ex his onera praeteritarum Missarum praestare possit. Ad summum hoc ei indulgeri posse videtur, ut missas praeteritas implere faciat ad *manualem*, non in obolis *viginti*, ut Testator elemosinam praefinivit.

Dubia proponuntur.

I. *An & quomodo sit erigenda Cappellania in casu &c.*

II. *An & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeterium in casu &c.*

Die Sabbathi 10. *Septembris* 1803. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij , in qua præter alia ,proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

AUXIMANA , ET NUCERINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Sess.*14. *cap.*7. *de Reform.*

An sit concedenda absolutio , & dispensatio in casu &c.

Expectet , & apud suum Emum Episcopum Cingulanum det majora signa constantis emendationis , & penitentiæ .

NULLIUS FARFEN. CAPPELLANIÆ. *Sess.*25. *cap.*4. *de Reform.*

I. *An , & quomodo sit erigenda Cappellania in casu &c.*

II. *An , & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam testamenti , & Ordinarius imcumbat pro recuperatione rerum distractarum.

Ad II. Negative .

PERUSINA EMPHITHEUSIS . Proposita hęc causa fuit in *Folio* Congregationis *diei* 25. *Junii* nuper elapsi , & resoluta in sequenti Congregatione *diei* 23. *Julii* . Rogati EE. PP. = *An , & cui sit concedenda Emphitheusis in casu &c.* responderunt *Affirmative favore Felicis Siepi salvo jure vigesimæ , & sextæ .* *Sess.*25. *cap.*11 *de Reform.*

Comes Baldellius , qui in prima Ædictorum affixione melior fuit Oblator judicio non affuit , & post editam Re-

Resolutionem *novae Audientiae* Beneficium impetravit. Reproponitur causa silente Sepio, & Baldellio impressam *allegationem* distribuente.

Contendit Baldellius, quod oblatio a Sepio facta utpote extra terminum edictorum non sit attendenda ut tradunt *Perez. in Cod. de Fid. Instrument. &c. Corradin. de Jure Praelat. quaest. 66. num. 2. Rota de exequt. Litterar. Apostolic. part. 1. Cap. 2. num. 326.*, vel saltem quod sibi competat praelatio tamquam prior oblator pro eodem canone quod Sepius spondidit, ut tradit *Rota in Romana Affictus super Praelatione 4. Julii 1792. §. 3., & 4. cor. bo. mem. Paracciano.*

Digneutur EE. PP. *Folium* reassumere hujus causae, in quo fusius agitur de hac controversia, & Resolutiones hujus Sac. Congregationis allegantur in quibus oblationes etiam extra terminum admissae fuere in utilitatem Ecclesiae. Rursus *in Firmana diei 19. Junii 1802* disputatum fuit, num primo meliori oblatori competeret praelatio pro majori canone oblato a secundo, & EE. PP. censuerunt deliberationem Emphitheusis concedere secundo oblatori.

Ex his deliberandum erit.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

Sess. 6. cap. 2. de Reform.

LUCANA DISPENSATIONIS, ET REDUCTIONIS. Anno 1761. Petrus Jacopucci heredem instituit *l'anima sua* ita ut = *de suoi effetti intende farne una carità, e pienamente darli, ed attribuirli all'altare di S. Luigi eretto nella Chiesa di Casa Basciana e dal frutto, che da medesimi si ricaverà, vuole, che si diano ad un confessore Sacerdote di buona fama, lettere, e costumi, quale in Cappellano Curato nella Pieve, e cura di Casa Basciana verrà perpetuamente eletto dal Signor Pievano pro tempore, che con la congrua annua entrata, e salario, che il medesimo suol dare alli Cappellani avrà da poter sufficientemente vivere in tal Santo Ministero di ajutare il Parocho nella Cura dell' anime, nelle confessioni, dottrine, catechismi, assistenza agl'amalati, ed in ogni altra funzione, che occor-*

correrà, ed accadesse farsi secondo ancora il costume della detta Parocchia. Onera vero Missarum quotannis Cappellano imposuit *in nummero quattro Messe piane, e due cantate*. Passivam vere vocationem ad hanc Cappellaniam reliquit familiis *Jacopucci*, & *Lignani*, & *Chistophani*.

Hanc dotem Cappellæ S. Aloysii a Jacopuccio relictam auxit Plebanus Franciscus Casciani, qui *anno* 1762. assignavit eidem Cappellae fundos æstimatos *scuta* 225., ut redditus ex *scutis centum* erogaretur in manutentionem altaris, redditus vero ex scutis 125.,= *debba darsi a quel Sacerdote confessore di buona vita, e costumi, quale sarà eletto dal Signor Pievano, e tal annuo frutto di scudi* 125. *s'unisca a quella rendita, ed emolumento da darsi allo stesso Cappellano Curato, che dovrà ricavarsi dagl'effetti lasciati da Pietro Jacopucci*. Primus Cappellanus ab ipso Jacopucci nominatus fuit Præsbiter Quiricus Barsotti, qui reditus ex utraque institutione *Jacopucci*, & *Casciani* possedit. Preces obtulit *anno* 1765. Archiepiscopo Lucano pro reductione onerum, quæ pro *Informatione* remissæ fuerunt Plebano *di Casa Basciana*, Utrum reductio concessa fuerit ambiguum est. Nam in actis S. Visitationis *anni* 1774. nulla mentio fit reductionis. Contra vero in posterioribus Actis ejusdem Sac. Visitationis *anni* 1781. reductio concessa supponitur ex Decreto Vicarii Generalis Lippi *anni* 1766.

Occubuit Cappellanus Barsotti anno 1799., dum plebaniam di *Casa Basciana* regebat Sacerdos Vincentius Pardini. Antequam hic pro jure sibi in fundatione concesso expleret nominationem Cappellani Curati, monuit Presbiterum Vincentium Lignani, num vellet Cappellaniam Curatam consequi. Nam nullus aderat ex familiis Jacobucci idoneus, & ipse ex contemplata Familia *Lignani* descendebat, & Beneficium, sive Pareciam *di Fibialla* possidebat. Qui cum onera se impleturum esse dixerit secundum præsuppositam reductionem, Pardinius nominavit extraneum Sacerdotem Benedictum Finucci, qui per publicum Instrumentum *diei* 18. *Decembris* 1799. onera in Fundatione expressa acceptavit, & hactenus implevit. Hinc lis inter Lignanum, & Pardinium. Ille se nominatum ex Fundatione contedebat. Hic vero putabat nominatum iri non posse, nisi onera fundationis acceptasset.

set. Vicarius Generalis controversiam absolvit edita Sententia *diei* 21. *Maii anni* 1801. in qua praefixit Lignano terminum duorum Mensium ad declarandum, num vellet retinere Beneficium Curatum in Ecclesia Parrochiali Fibiallæ, vel potius obtinere Cappellaniam Curatam *di Casa Basciana* cum oneribus eidem inhærentibus. Ea vero electione non facta Pardinium a petitis absolvit, & tandem hinc inde jura reservavit *super prætensa reductione onerum*.

Antequam præstitutum bimestre elapsum esset, Lignanus deprecatus est ab hac S. Congregatione, tum dispensationem abessendi a residentia, tum etiam onerum reductionem. Archiepiscopus Lucanus in sua *Informatione* transmittit æstimationem a publico Perito factam bonorum, quae ex fundatione *Iacopucci*, & ex fundatione *Casciani* ad Cappellaniam pertinent. Advertit tamen = *quod prædicta bona in meliorem statum redigi possint, si quis adsit, qui ea diligentius excolenda curet. Alius est idoneus Sacerdos licet passive non vocatus, qui rebus sic stantibus oneribus, & ministeriis a Testatore impositis satisfaceret, immo Plebanus ipse obligationem susciperet solvendi Cappellano summam triginta scutorum quolibet anno, dummodo administratio omnium prædictorum bonorum ipsi concederetur. Cum vero omnia ministeria a Testatore præscripta Cappellani presentiam requirant, quæ Plebanus ea peragere nullo modo potest, arbitror non satis provisum esse Populi commodo, si detur petita facultas supplendi per alium, & onerum reductionem fieri non posse absque Populi præjudicio*. Instante Parocho Pardinio, & citato Lignano *Dubia* infrascripta concordata fuere. Ille nunc sua jura profert per impressam distribuendam *Allegationem*, Hic nil mihi adhuc exhibuit.

Queritur in I. *Dubio* de dispensatione abessendi a residentia. Agitur non de Beneficio proprie ecclesiastico, sed de legato pio, sive stipendio relicto Cappellano, qui Parochum coadiuvet itaut de jure residentia non requiratur, cum nihil referre videatur, si unus, an alius onera præstet. Contra Pardinius contendit, quod ex Fondatione onera imposita sint Cappellano, qui omnino residere teneretur. Quare dum ipse dispensationem postulat, ut alium substituat, nil aliud quærit, quam ex alieno labore lucrum facere. In dispen-

sa-

sationibus autem hujusmodi requiritur justa, & necessaria causa, ut ex Tridentino *Sess.* 6. *Cap.* 2. *de Reform.* tradit *Corrad. in Praxi lib.* 1. *Cap.* 1. *num.* 4. & S. Congregatio *in Tusculana Dispensationis* 8. *Augusti* 1801. Quæ causa cum procul absit deneganda videtur dispensatio, quę in Parœciæ detrimentum vergeret.

In II. *Dubio* agitur de *reductione* Onerum. Nititur Lignanus actis S. Visitationis anni 1781., in quibus mentio fit de reductione concessa ab anno 1766. Pardinius vero negat datam umquam fuisse reductionem, de qua nil memorat præcedens Visitatio anni 1774., ut in posteriori per equivocationem mentio reductionis irrepserit ex quadam Tabella dolo transcripta, & fraude subrogata præexistenti in Sacrario. Deinde contendit, quod jure concedi non potuerit onerum reductio a Vicario Generali cum facultas hujusmodi reservata sit Sedi Apostolicæ, ut tradit *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. ultim.* §. 22. Negat tandem, quod nunc ex integro reductio concedi possit. Par enim est emolumentum oneribus, cum ex utraque fundatione *Jacopucci*, & *Casciani* in hanc causam percipiat Cappellanus annua scuta *triginta*, nec a limitrophis Cappellanis Curatis tantum percipiatur nomine stipendii. Maxime cum Presbyter Finucci jam nominatus omnia onera in fundatione imposita se præstaturum promisit, & revera jam impleat.

Geminum est Dubium.

I. An sit locus dispensationi abessendi a residentia in casu &c.

II. An sit locus reductioni onerum in casu &c.

Ad I., & II. Negative.

AMERINA DECRETI VISITATIONIS QUOAD PRECEPTUM PASCHALE. Vigilantissimus Antistes Amerinus hoc POSTULATUM EE. PP. proponit: *Ses.* 24. *Cap.* 13 *de Reform.*

Quilibet è Populo quatuor Parochiarum Urbanarum Amerinæ Civitatis, ut Paschali Præcepto satisfaceret San-

 ctam

etiam Eucharistiam in Catedrali Ecclesia sumere potest, idque ex immemorabili. Satis autem erat, ut instanti Parocho fidem in scriptis exhiberet, quam ipsi communicato dabat in actu Communionis Clericus Sacerdotis Communicantis. Sacerdos autem communicans erat quicumque Præsbiter Cathedralis. Hinc maximum abusum oriebatur, ut aliquis licet scandalis publicis, aut ignorantia indignissimus sine proprii Parochi approbatione, sed etiam scientia ad Paschalem Communionem admitteretur, aut quisquis etiam substitutum communicandum mitteret, & fidem in scriptis, seu schedulam postea recipiebat ipse committens numerata etiam pecunia pro mercede hujus sacrilegæ fraudis. Antecessores mei non raro processum fecerunt adversus hujusmodi patrantes, & commissos. Nam commissi formaliter Ecclesiasticæ legi non adimplebant; committentes vero neque materialiter illud servabant, sed solumodo Ecclesiæ, & Parochis illudebant. Primo Ecclesiastici mei regiminis anno remedium, ut afferrem totis viribus curavi, & efficacia de hac re verba feci DD. Canonicis, quos simul congregatos inveni in Capitulo, licet capitulariter juxta morem non essent uniti ipsis significans me ardenter desiderare, quod nemo Præcepto Paschali in Cathedrali satisfaceret, bene vero illud adimpleret in propria Parecia, atque nemine contradicente desideriis meis verbaliter indulserunt. Hinc in actibus S. Pastoralis visitationis Decretum posui, quo mandatur, ut ad satisfactionem Communionis Paschalis, quilibet Sanctam Eucharistiam non in Cathedrali sumere debeat, sed a proprio Parocho. Id in Paschate elapsi anni perbelle, & exacte præstitum est. Verum ut animus meus debita non fraudetur quiete, & ut majus robur, & soliditatem accipiat dictum meum Decretum ipsius confirmationem ab isto Supremo Tribunali enixis precibus peto.

Interrogatus inde est Episcopus, num ex Privilegio Apostolico liceat in Ecclesia Cathedrali subditis alterius Paræciæ paschali præcepto satisfacere. Quibus in transmissa *Informatione* respondit = *Capitulum convocavi, illudque ad privilegium Pontificium edendum adegi, quo singulis cujuscumque Pareciæ fas sit Cathedralem Ecclesiam convenire ad sumendam Paschalem Eucharistiam. Comitiis Capitularibus habitis, ostensis vestris authographis litteris, & concesso unius men-*

mensis cursu , quo Privilegium educerent , nihil adhuc per ipsos æditum est aliud , quam immemorabilis consuetudo , qua exitiale privilegium, quod procul dubio desideratur , & firmatum volunt = Cæterum affirmat , quod post exequutionem Decreti mala , & scandala decreverunt . Hinc extinctæ inimicitiæ fuere , extirpatæ malæ consuetudines , frequentata christiana cathechesis , depulsa ignorantia . Hinc pax , & fides inter Conjuges redit , Parochi monere, orare, increpare potuerunt , ut dispersas oves ad gregem revocarent . Ex quibus Episcopus obtestatur vos EE. PP. , ut Decretum Sac. Visitationis confirmetis .

Parochis quidem favet juris dispositio *in Cap. Omnis utriusque sexus de Pœniten. , & remission.* , & in Tridentino *sess.*24. *cap.*13. *de Reform.* , itaut soli jura parochialia exerceant , & ab eis solis Parochiani Sacramenta licite suscipiant . Et quamvis Ecclesia Cathedralis sit Paræcia universalis Civitatis , & cæterarum Paræciarum matrix ad tradita per Rotam *decis.*1163. *num.*15. *coram Pœnia* ; attamen quoad administrationem Sacramentorum nullam habet prærogativam supra cæteros Parochos , nisi expresso privilegio Sedis Apostolicæ hoc jus Parochorum proprium, sit etiam Cathedrali communicatum , ut Præceptum Paschale in eadem impleri possit , ut docent *Frances. de Eccles. Cathedral. cap.*21. *num.*115. , *Guttierez Canonic. quæst. lib.*1. *cap.*27. , *Rodriquez quæst. Regular. tom.*1. *quæst.*56. *artic.*3.

Quod privilegium cum a Cathedrali Amerina non profferatur , sed tantum immemorabilis consuetudo , eo quæstio redire videtur , num ex hujusmodi consuetudine quæri potuerit jus Cathedrali , ut in ea licite præceptum Paschale impleatur . Magna quidem est vis immemorabilis consuetudinis , & ex ea cum quilibet titulus etiam indulti Apostolici præsumatur , ita etiam juris dispositio cohibetur , ut Cathedralis jus cumulativum cum Parochis quæsiverit administrandi intra propriam Ecclesiam Paschalem Communionem . Celebratissima hac de re fuit controversia in Sac. Rota pertractata inter Cathedralem Barchinonensem, & Parochos illius Civitatis super hoc jure cumulativo . Hæsit primum anceps Sententia Sac. Tribunalis , dein-

de Parochi in eo judicio obtinuerunt, ut *in Barchinonen. Jurium Parochialium super præcepto Paschali anni* 1732. *coram clar. mem. Cardinali Aldovrandi*, *& anni* 1735. *coram san. mem. Clemente XIII.* Post quadragenarium silentium reintegrato certamine Parochi, qui olim obtinuerant, in novo jurium periculo succubuerunt, ut *ex Decisionibus* 3. *Martii*, *&* 10. *Decembris* 1777., *&* 5. *Junii* 1778. *coram Ratta*, quas consequuta est Sententia Rotalis confirmata *in Decisionibus* 14. *Maji* 1779., *&* 24. *Januarii* 1780. *coram cl. me. Card. Riminaldo*.

Nihilominus observandum est, quod Tridentinum in allegat. *sess.*24. *cap.*13. *de Reform.* jubet inter cætera, ut unicuique Paræciæ proprius assignetur Pastor = *a quo solo licite Sacramenta suscipiant*, & prorsus abrogat omnia privilegia, & consuetudines = *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, *& consuetudinibus etiam immemorabilibus* = Quæ clausola cum in fine Capitis apposita sit, profecto complecti videtur omnia, quæ in illo decreta, jussaque fuere. Maxime cum agatur de consuetudine introducta post Tridentinum, cujus Sanctiones confirmavit san. mem. Pius IV. in Bulla *Benedictus Deus* lata anno 1563., quæ Decretum *irritans*, & clausolam *Sublata* præsefert. Ex quibus impeditur, ne legitima consuetudo contra Tridentinas Sanctiones adolescere potuerit authore Fagnan. *in Decretal. lib.*4. *cap. Quod super de consanguin.*, *& affin. num.*7., *&* 8., *& Benedict. XIV. Instit.*60. *num.*7.

Cæterum Testis est *Pignattell. consult.*89. *tom.*7., quod dum ipse *die* 5. *Februarii* 1682. munus Cammerarii Romani Cleri gerebat san. mem. Innocentius XI. in publica Audientia data Parochis Urbis decrevit Præceptum Paschale non impleri per Communionem in Patriarchali Basilica Lateranensi, & Vaticana. Quod Decretum laudat *Benedict. XIV. Instit.*18. §.12. In hac Sacra Congregatione *in Illerden. diei* 7. *Maji* 1785. propositum fuit Dubium II. = *An, ut satisfiat præcepto sumendi Eucharistiam tempore Paschali satis sit illam sumere in Cathedrali*; *An vero necessarium sit illam sumere in propria uniuscujusque Paræcia quacumque consuetudine non obstante* = & in sequenti Congregatione *diei* 28. *Maji* rescriptum fuit = *Ad secundum*

scri-

scribatur Episcopo juxta mentem = Mens autem fuit, ut ipse investigavi *in lib.* 35. *Litterarum pag.* 18., ut Episcopus admoneret Capitulum = *ne qualemcumque urgeat consuetudinem, sed sine ulla judicialis contentionis imagine ultro, ac libenter sinat, ut te auctore Fideles a suo unusquisque Parocho communionem Paschalem suscipiat*. In præsenti vero causa Capitulum oretenus consensum præbuit.

Ex quibus deliberare poterunt EE. PP. num servandum sit Decretum latum ab Episcopo Amerino in Sac. Visitatione, quo decernitur, ut omnes in propria Paræcia Paschale præceptum implere teneantur. Quod quidem Decretum se tulisse affirmat, ut scandala removerentur, quæ post exequutionem Decreti jam diminuta sunt.

Dubium proponitur.

An Decretum S. Visitationis sit servandum in casu &c.

Affirmative.

FANEN. LEGATI MISSARUM. Præsbyter Franciscus Maria Betti postremis tabulis *anni* 1720. usufructuariam hæredem instituit Magdalenam Angeli, qua defuncta jussit = *che si debbano vendere tutti li mobili, e supellettili, che si ritroveranno in essere, e dal prezzo, che da quello si ritrarrà, e da frutti de Censi, e Capitali, seppure saranno in essere, si compri qualche stabile fruttifero, oppure si creino altri censi buoni, e sicuri ad effetto, che con i frutti di detto stabile, o censi si celebrino tante Messe in perpetuo a bajocchi quindici papali per ciascheduna Messa per l'entrante quantità di essi frutti in quelle chiese ad arbitrio del Cappellano da elegersi*. Jus vero nominandi concessit Galeotto Uffreducci, ejusque Successoribus. Ex quibus nunc existens Eques Philippus Uffreducci ad hanc Cappellaniam nominavit Presbyterum Petrum Leoni. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

Census Cappellaniæ nunc hujusmodi est. Possidet Fundum in Fanensi positum in catastralibus tabulis æstimatum *scuta* 274. 20., pro quo meliorando necessaria

nunc

nunc est impensa in *scutis* 23. 50. . Præterea habet domum, in cujus restaurationem requiritur summa *scutorum* 65. 37. 3. Tandem census actlvos habet in sorte *scutorum* 291. 66. . Ex hisce omnibus bonis ducto decennali calculo, demptisque necessariis expensis redeunt quotannis *scuta* 52. 88. Hinc modernus Cappellanus Betti, ne anxius esset super incerta quantitate Sacrorum, quam pro majori, vel minori reditu ex fundatione celebrare debebat, postulavit ab hac Sacra Congregatione, ut certus numerus Missarum statueretur, & quidem aucta elemosina a Testatore præscripta. Præterea postulavit, ut prospiciatur expensis necessariis pro restauratione fundorum.

Hæc omnia suppeditavit in facto Episcopus Fanensis, ex quibus concludit, quod aucta elemosina ad obolos 25. celebrari poterunt Missæ annuæ 213. = *Hisce positis consequitur Missas in quoque decennio* 2130. *celebrari posse, ac peracta in decem partes partitione oneris Missas* 213. *Cappellanum pro tempore satisfacere debere. Pre oculis quoque habenda est domus urbanæ instauratio, propter quam exigitur impendium scutorum* 65. 42., *ac meliorationes Terreni pro quibus non minus, quam scuta* 23. 40. *exsolvi opus erit, sicuti ex judicio per Peritos deputatos clarissime constat, quæ detrimenta ortum habent ab incuria defuncti Cappellani, qui tot Missas celebravit, quot erant reditus Beneficii, nihil pro restauratione domus supradictæ, & pro terreni melioratione relinquens.*

I. Dubium attingit instantiam Oratoris super certa taxanda quantitate Missarum, quæ singulis annis celebranda sit. Cum testator præscripserit = *si celebrino tante messe in perpetuo a bajocchi quindici Papali per ciascheduna messa per l'entrante quantità di essi frutti* = videtur sane, quod certa Missarum quantitas præfiniri non possit. Etenim, ut observat *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.* 78. §. 3. = *Si testator non taxavit numerum Missarum, sed disposuit, quod Missæ celebrarentur cum mensura ad proventus, tunc crescentibus fructibus debet etiam cum proportione augeri numerus Missarum.*

Sed ipse idem *Pasqualigus in altera quæst.* 178. *num.* 3. nobis author est = *quod si fructus augeantur expensis, & industria possidentis non debet augeri numerus Missa-*

sarum, quia hoc augumentum non cedit in beneficium fundatoris, sed possessoris, quia non sunt fructus fundi, nec sunt dati in fundo nisi valde remote, sed sunt fructus industriæ, & expensarum, & ideo illius esse debent, cujus sunt expensæ, & industria. Quare ne Possessores meliorationes omittant, censuit alias Sacr. Congregatio incertam quantitatem Missarum taxare ad certum numerum, quæ decennali fructuum calculo responderet ut *in Senogallien. Oneris Missarum die* 24. *Novembris* 1781. proposito dubio *An, & in quo numero Missæ sint annuatim celebrandæ* rescriptum fuit *die* 22. *Decembris* ejusdem anni = *Affirmative pro celebratione Missarum* 228, *absque solutione utensilium*, & in *Maceraten*. 4. *Februarii* 1786. quæsitum fuit = *An, & quomodo sit annuendum Oratorum precibus pro perpetua taxatione Missarum* = & EE. PP. responderunt = *Affirmative juxta votum Episcopi* =

Quandoquidem censeant EE. PP., quod sit taxanda Missarum quantitas, tum statuendus erit numerus Sacrorum, quæ erunt quotannis celebranda. Ex decennali calculo ab Episcopo transmisso constat non plus ex fundis redire, quam annua scuta 52. 88. Cappellanus Betti postulat, ut tot Sacra præstituantur, quot constituta elemosina in obolis triginta pro singulis Missis æquent annum fructum Cappellaniæ. Etenim contendit, quod dum Fundator elemosinam in obolis *quindecim* statuit duplicare voluit elemosinam manualem, quæ tum obtinebat in obulis *septem cum dimidio*. Quod si nunc manualis pro temporum conditione accrevit ad obolos *quindecim*, ex præsumpta voluntate Fundatoris augenda erit duplo elemosina ad obolos *triginta*. Verum testator numquam explicavit hoc propositum suum, ut manualem augeret. Quare si constituta elemosina obolorum *quindecim* nunc sufficiens est, nulla præsumptio favet augumento elemosinæ. Id ad summum indulgeri posse videtur Cappellano, ut cum agatur de onere perpetuo elemosina constituatur ad taxam *perpetuæ*. Tum enim ex scutis 52. 88. celebrandæ sunt quotannis Missæ 264.

II. Dubium respicit meliorationes fundi, & restaurationem Domus. In utramque causam necessaria est impensa in scutis 88. 92., quæ quidem ad præsentem Cappellanum non videtur pertinere, cum prædeces-

so-

soris culpa evenerit, si fundi in deterius abiverint. Attamen observandum est, quod restauratio Domus necessaria est, ne omnino concidat, & pro hac reparatione requiritur summa scutorum 65. 37. Melioratio autem fundi tendit in utilitatem Cappellani, ut fundus uberiores reddat fructus, quos suos faciet, si ex praesenti reditu certa Missarum quantitas statuatur. Quare expensa meliorationis non videtur facienda sumptibus Cappellaniae, ne cum ejus jactura Cappellanus locupletetur,

Videant EE. Patres num domus reparanda sit ex indulgenda suspensione Missarum, vel potius concedatur Cappellano, ut passivum censum imponat super fundis Cappellaniae dimittendum certa annua quota detrahenda ex reditibus Cappellaniae. In primo casu integra Missarum celebratio per annum esset suspendenda. In altero pars tantum Missarum suspenderetur, quae fructibus census, & quotae pro extinctionae assignandae respondeat.

Duo proponuntur dubia,

I. *An, & in quo numero Missae sint annuatim celebrandae in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit prospiciendum expensis restaurationis Domus, & meliorationis fundi in casu &c.*

Ad I. Affirmative pro celebratione Missarum annuarum 264. ad taxam perpetuae.

Ad II. Affirmative pro restauratione domus tantum suspensa medietate onerum ad triennium, & docto cor. Episcopo de exequta restauratione.

Ses. 21. cap. 7. de Reform.

EUGUBINA PRÆBENDARUM. Collegiata Ecclesia Sanctae Cristinae Civitatis Eugubii constat ex Canonicis unius, alteriusque Fundationis. Quinque sunt Canonici ex Fundatione Cristini, qui *di Massa vecchia*, seu *Massa Cristini* appellantur, Isti in causam Prebendae annua *scuta* 33. percipiunt, & diebus faestis, ac die S. Cristinae matutinum servitium chori prestant & Sacrum absque applicatione conficiunt. His Canonicis preterea duos addidit Gabriel Triangoli, in suis postremis tabulis, qui gemini Canonici *di Massa Nuova*, seu *Massa Triangoli* vocantur. Nam

Trian-

Triangolus jussit, ut erigerentur = *con i frutti della mia Eredità due Canonicati della stessa natura, ed obligo di Officiatura, che hanno li presenti con assegnare per prebenda alli Canonici da eleggersi scudi quaranta di paoli dieci per ciascuno con obligo, che ognuno di essi debba celebrare una Messa la settimana nella Chiesa di detta Colleggiata secondo la mia intenzione ed essendo legittimamente impediti debbano farla celebrare. Quello poi che avanzerà de' frutti della mia Eredità sodisfatti li due Signori Canonici, e detratte le spese dei bonificamenti, ed altre per la manutenzione dei miei beni, dovrà distribuirsi in una o più doti secondo li frutti della mia Eredità di scudi cento moneta di Gubbio* (que scutis sexaginta sex monetæ Romanæ respondent) *da darsi il giorno di S. Cristina dai Signori Canonici Cristini, e dall' altri delle mie prebende per voti segreti ad una povera, ed onesta Zitella, se sarà una sola dote, oppure a più Zitelle se gl' avanzi della mia Eredità comporteranno, che si diano più doti.*

Ita ut Testator jussit duo Canonicatus erecti fuere, & novi Canonici imposita onera, constitutumqne emolumentum acceptarunt, & preterea ab unoquoque Canonico exegit Colleggiata annua scuta quatuor pro utensilibus. Nunc ex hęreditate Triangoli ob factas bonorum meliorationes redeunt annua scuta 689. *& obolos* 16.. Sex hisce postremis temporibus subsidia dotalia distributa sunt, pro quibus impensa fuere scuta 390. monetę Romanæ. Cum itaque superfuerint adhuc scuta 293. 16. censuerunt Canonici Sigismundus Gismondi, & Epiphanius Mazzatinti, qui nunc Præbendas Triangoli possident, a Sacratissimo Principe deprecari, ut augeretur annuum emolumentum in fundatione in scutis *quadraginta* constitutum. Hujus rei cognitio ad hanc Sac. Congregationem delegata fuit. Primum Canonici *Cristini* obstare visi sunt instantiæ Canonicorum *Triangoli*. Nam in Secreteria hujus Sac. Congregationis interposuerunt protestationem cum clausola = *Nihil Transeat* = Sed postea conspiratis consiliis, junctoque fædere tum Canonici *Cristini*, tum *Triangoli* preces Sanctissimo dedere, ut ex superextantibus reditibus hæreditatis Triangoli singulis Præbenda augeretur.

Iterum delegati fuerunt Oratores ad *Sac. Congregationem*. Auditus est Episcopus, qui exposita confirmans concludit = *Quin distributioni dotium officiatur duo Præbendæ Canonicales Triangoli augeri possunt etiam ad scuta* 84. *per annos singulos ad rationem scutorum septem pro quolibet mense. Hoc augumentum concedi etiam posset Canonicis Cristini injuncto omnibus onere Missam canendi cum præsentia, & assistentia Mansionariorum solemnioribus diebus fæstis, & sacras peragendi functiones saltem Missæ, & Communionis diæ Feriæ V. in Cæna Domini sumendæ de manu Prioris. Nam tum temporis Clerus addictus dictæ Collegiatæ cum nullo obligetur Officii servitio, contra Ecclesiæ statuta, omnino caret eo solemni die, quo pergat, aut sistat pro sacra accipienda Synaxi. Quoad reliquum Canonici Triangoli onera omnia ferre debeant, quæ sustinent ceteri Canonici Massæ veteris omnibus diebus Fæstis, & die S. Cristinæ* =. Hinc Canonici Cristini consensum per Procuratorem dederunt, ut laceraretur. *Nihil Transeat* = quod me decernente deletum est.

Proponitur nunc causa *ex Officio* & Oratores nituntur tenuitate Præbendarum. Nam Canonici Cristini habent annua *scuta* 33. & Canonici Triangoli annua *scuta* 40. ex quibus scuta *quatuor* pro utensilibus demenda sunt. Fructus autem hæreditatis Triangoli superabundant, ut distributis tribus dotalibus subsidiis singulis annis tot supersunt reditus, qui satis erunt ad augendas omnium prębendas in scutis annuis 84. Quare cum augumentum petitum Canonicis proficuum sit, & nemini noxium Episcopus putat esse indulgendum.

Verum Testator duobus Canonicis assignavit singulis scuta *quadraginta* & preterea *quello che avanzerà de frutti della mia Eredità sodisfatti li due Signori Canonici dovrà distribuirsi in una, o più doti secondo li frutti della mia Eredità* = Recedendum itaque esset ab aperta voluntate, si aliter superextantes fructus erogarentur, quam in subsidia dotalia, quae indeterminate reliquit *secondo li frutti della mia Eredità*. Detrimentum porro èsset inferendum Puellis Eugubinis, quibus majora subsidia subtraherentur. Tenuiores autem non videntur Præbendæ, si respiciatur

ad

ad chori servitium cohibitum ad dies Festos sine Missæ applicatione. Quod si aliquod augumentum indulgendum foret duobus Canonicis ex eadem Fundatione *Triangoli* nulla subest causa, cur Canonicis quoque diversæ *Massæ Cristini* concederetur.

Si nihilominus EE. VV. indulgendum putent Oratoribus, tum Episcopus proponit, ut singulis Canonicis onus injungatur *canendi Missam solemnioribus Festis & sacras peragendi functiones saltem Missæ & Communionis die Feriæ V. in Cœna Domini*.

Deliberandum erit.

An & quomodo sit locus augumento Præbendarum in casu &c.

Negative, & ad mentem, mens est, ut Episcopus incumbat pro applicatione Missæ conventualis, sin minus referat de legitima causa.

RECANATEN. SANATIONIS. Geminam fatiscentem domum alteram Recineti positam in regione di *S. Angelo*, alteram in Regione *S. Mariæ Montis Murello*, utramque ad Cappellaniam *Mariotti* pertinentem vendere statult ejusdem Beneficii Rector Præsbiter Nicolaus Forlani. Itaque apud Sac. Congregationem veniam postulavit, ejusque instantia relata fuit in Folio diei 10. Septembris 1785., in quo disputato dubio = *An sit locus alienationi duarum Domorum Cappellaniæ de qua agitur*; Rescriptum fuit = *Affirmative, solutis interim fructibus ad rationem scutorum quatuor pro centenario, & in fine quinquennii numerato integro pretio ad effectum investiendi cum solitis clausolis* =. Quo impetrato Rescripto Cappellanus Forlani domum sitam in regione *S. Angelo* æstimatam a Perito scutis 570. 14. vendidit pretio scutorum 575. Petro Perazzi, qui in publica licitatione melior fuit oblator, quique pro persona nominanda domum emit, sponditque ad formam *Rescripti* pretium

Ses. 25. cap. 11 de Reform.

intra quinquennium rependere, solutis interea fructibus compensativis scutorum quatuor in singula centum,

Post non ita multo Perazzius personam declaravit, nominavitque Sebastianum Forlani germanum Fratrem Cappellani Forlani. Qui domum restituit in meliorem formam, pretiumque nondum adhuc numeravit. Nunc vero sibi exploratum fuisse dicit Decretum Sinodale, quo irritantur contractus alienationis a possessoribus Beneficiorū cum eorum consanguineis initis usque ad tertium gradum. Quare postulat sanationem cujuscumque nullitatis, quo inficiatur contractus hujusmodi. Episcopus auditis collatoribus refert quod Canonicus Giostra alter ex patronis hujus Cappellaniæ *Mariotti* acriter sanationi repugnat. Assentiuntur vero ceteri Patroni, scilicet Sodalitia SSmæ Trinitatis, S. Joseph, S. Andreæ & S. Caroli. Ipse vero concedendæ sanationi inclinat = *dummodo prètium scutorum* 575. *solvat quamprimum. Elapsum enim est tempus, quo indulgebatur, ut usura contentus esset quatuor scutorum pro unoquoque centesimo. Petitiones nunc afferuntur plurium Religiosorum, locorumque Piorum, quæ fœnori accipere pecunias curant. Res beneficii in tuto poneretur fœnore ipsis dando pretium domus, atque usura ad sex saltem scuta pro centesimis singulis prorogari posset ab omni vectigalium vinculo immunis*.

Utrum ex dispositione Juris communis irrita sit alienatio rerum beneficii facta consanguineis Beneficiati, non satis liquet. Alii enim affirmant innixi *Textu in Cap. Decenter. 6. Distin.* 90. in quo cavetur = *Quicumque igitur Pontificum deinceps, aut sanguine propinquis, aut personis quibuscumque sibi conjunctis talia lucra commendare tentaverit ad suum nefandæ presumptionis excidium, & quod jussum fuerit devocetur in irritum, & qui ordinaverit annuæ excomunicationi subjaceat. Quæ vero oblata fortasse fuerint, ab eo, qui tulerit, reddatur in duplum* = Alii vero contendunt quod *Textus allegatus* intelligendus sit de Officiis ecclesiasticis, ut patet *ex Rubrica* = *Ecclesiastica officia non committat Episcopus propinquis, vel conjunctis* = Alexander VII. in *Constit* quæ incipit = *In suprema* =;

da-

data *die* 23. *Aprilis* 1657. defendit Beneficiatis in Urbe, ne bona suorum beneficiorum propriis consanguineis, & affinibus usque ad tertium gradum in Emphitheusim, aut locationem concedant. In Synodo Diæcesana Recinetensi celebrata ab Episcopo Vecchioni cavetur = *Locationes prædiorum, & concessiones in Emphytheusim ad tertiam generationem, & similia &c. fieri prohibemus cum consanguineis, & affinibus Rectorum, Canonicorum, Confratrum, aliorumque administratorum usque ad tertium gradum inclusive sub pœnis contentis in jure, & constit. IN SUPREMA. Alexandri VII. &c.* Quę sanctiones licet loquautur de locationibus, & Emphitheusi; attamen eo magis extendi posse videntur ad venditiones, quo ex his gravius esse potest Ecclesiæ detrimentum.

Hinc Præsbiter Giostra alter ex patronis repugnat, quin sanatio concedatur, cum suspiciosum esse dicat, quod Sebastianus Forlani per interpositā personam emptionem domus ad Cappellaniam spectantis sibi quæsiverit, ut legem Synodalem eluderet, & domum aquireret sine Ecclesiæ utilitate. Nihilominus observandum est, quod Sebastianus non emit a Fratre Beneficiato privatim, sed in publica auctione, quia melior oblator fuit renunciatus. Etenim Consanguinei Beneficiatorum non prohibentur, quominus licitari possint pro aquirendis rebus beneficii, quæ legitima authoritate alienantur. Cæterum alienatio ipsa probata fuit ab hac Sac. Congregatione, cum jam affixa essent edicta, & melior oblatio esset illa Petri Perazzi, qui pro persona nominanda oblationem fecit.

Episcopus indulgendam putat Sanationem, dummodo pretium solvatur, quod ex Rescripto Sacræ Congregationis repetendum erat post quinquennium.

Dubium proponitur.

An; & quomodo sit concedenda sanatio contractus in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

SU-

Sess.22. cap.6. de Reform.

SUTRINA. TRANSLATIONIS MISSARUM, ET COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. In Oppido Montisrani, quod Feudum est Gentis Altieri, anno 1676. Princeps Angelus Altieri Ecclesiam D. Bonaventuræ dicatam erexit, simulque adnexas ædes, in quibus manere voluit Sacerdotes Regulares, vel Seculares, qui pueros litteris erudirent. Quo vero dotem Ecclesiæ, & stipendium Sacerdotibus constitueret a Clem.X. impetravit, ut tres Cappellaniæ, quæ fundatæ erant in Ecclesia S.Salvatoris in Lauro Urbis, quæque fundum habebant in *triginta sex* Locis Montium, eæ transferri possent in Ecclesia Montisrani. Huic fundo addidit ipse Princeps alia *sexaginta tres* Loca Montium, quorum fructus pro stipendio Religiosorum, vel Sacerdotum Secularium assignavit, & præterea jussit, quod si casu aliquo Religiosi, vel Sacerdotes deficerent, tum reditus in celebrationem Missarum erogarentur. Hortulum præterea adjacentem acquisivit Ecclesia, & prædiola ex pietate Fidelium eidem obvenerunt. Sed nunc ob imminutos fructus Locorum Montium non plus ex hoc fundo Ecclesiæ redit, quam annua scuta 160.

Rerum publicarum perturbatione factum est, ut PP. Servitæ, qui antea Conventum tenebant, illud deseruerint, neque postea ob aeris inclementiam ad illum reduces esse voluerint. Hinc nedum Conventus desertus est, sed ipsum Oppidum Montisrani, in quo nunc vix duodecim habitant Pastores, cum cæteri lares transtulerint in contigua Terra Canalis, quæ pari modo jurisdictioni feudali Domus Altieri subiicitur. Quare modernus Princeps Palutius Altieri postulavit ab hac S. Congregatione, ut commutata Fundatoris voluntate ex hisce reditibus sibi fas sit duos in Terra Canalis deinceps nominare Cappellanos, qui pueros instituant, Parochum coadiuvent, & in diebus Festis alternatim in Ecclesia Montisrani Missam celebrent. Episcopus in sua Informatione hæc omnia probat: *Hoc*, inquit, *temperamentum satis proficuum mihi videtur. Nam quodammodo servitio illorum Populorum ob Religiosorum deficientiam consulitur. Indigent profecto ea loca aliquo spirituali subsidio. Nam in Monterano*

solus

solus extat Parochus, & in Canali unus tantum Sacerdos præter Parochum.

Oportet sane commutare voluntatem Principis Angeli Altieri, qui reditus assignatos erogari voluit in stipendium Sacerdotum Regularium, vel Secularium, qui Montisrani pueros instituerent. Necessaria est igitur justa causa quæ commutationem suadeat, ut tradit *Fagan. in Cap. Relatum de Cleric., & Monach. numer.* 36., & passim S. Congregatio, & præcipue *in Firmana Translationis Oneris Missarum* 3. *Augusti* 1782. Eoque maxime, cum jam authorante Clemente X. ab Ecclesia S. Salvatoris in Lauro translatio Cappellaniarum facta sit in Ecclesiam Montisrani, itaut nunc concedenda esset translatio translationis id quod omnino repugnare videtur ad tradita per *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 154. *num.* 6.

Attamen pro temporum conditione impleri non potest fundatoris voluntas, atque hæc ipsa impossibilitas necessariam commutationis voluntatis causam suppeditat, ut tradit S. Congregatio *in Fulginaten. Commutationis Voluntatis* 13. *Junii* 1732. Nam ob redituum imminutionem, & aeris inclementiam Religiosi Servitæ conventum dereliquerunt, & aperte professi sunt nolle se amplius in Monterano manere. Accedit, quod Oppidum ipsum desertum sit, ut vix pauci pastores in eo habitent, ac proinde inutilis esset publicus ludus, cum deficerent pueri, qui ad illum accederent. Contra in Terra Canalis, cum nunc frequentior sit Populus ob transmigrationem in eo factam ab Oppidanis Montisrani, necessarii sunt Cappellani, qui Parochum adiuvent, & pueros doceant. Non adeo vero repugnat hæc commutatio præsumptę voluntati Fundatoris; Nam ipse casum prævidens, quo conventum foret desertum, jussit, ut Missæ celebrarentur. Cum casus hujusmodi nunc evenerit, non videtur ab ejus voluntate alienum, si celebrata Monterano unica Missa diebus festis in comodum superstituum incolarum, Sacerdotes tranferantur, qui pueros erudiant, Missas celebrent, Parochum coadiuvent, in Terra Canalis, quo Populus commigravit.

Si hæc probentur ab EE. VV. injungendum videtur Cappellanis, ut onera impleant Missarum, quæ Cappel-lanis

lanis transferendis adnexa sunt. Simulque præcavendum cum tempus advenerit, quo ex jam explorata voluntate clementissimi Principis augeantur fructus Locorum Montium, tum pro eorum erogatione hæc S. Congregatio consulatur.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis, & translatione Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Novembris 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

RECANATEN. SANATIONIS. *Ses.25. cap.11. de Reform.*

An, & quomodo sit concedenda sanatio contractus in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi dummodo pretium solvatur infra annum ad effectum investiendi cum solitis clausolis, & Fratres Forlani consulant conscientiæ suæ.

SUTRINA TRANSLATIONIS MISSARUM, ET COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

An, & quomodo sit consulendum SS̃mo pro commutatione voluntatis, & translatione Missarum in casu &c.

Affirmative juxta petita adimpletis omnibus oneribus Cappellaniæ annexis usque dum augeantur fructus LL. Montium, quo in casu recurrat.

FIRMANA LEGATI. Canonicus Aloysius Solimani *die 25. Martii anni 1765.* interfuit Instrumento nuptiali, quod Nicolaus Frater stipulavit cum Maria Adami, & nuptias hujusmodi probans universalem donationem emisit erga ipsum Nicolaum Fratrem, & post ejus obitum erga filios masculos deinde fæminas, sibique reservavit *l' intiero libero usufrutto di tutti li sudetti suoi beni, e scudi duemila assieme con li mobili, e libraria ad effetto di poterne disporre a suo arbitrio.* Donanti præobivit Nicolaus duabus relictis filiis fæminis, Rosalia, & Marianna, quarum illa nupta est in Familia Ghislieri hæc in Familia Gavardini. Anno *Ses.23. cap.18. de Reform.*

proximo 1802. occubuit Canonicus Solimani scriptis tabulis, in quibus Neptes suas hæredes fecit, nonnullaque legata reliquit, & tandem jussit = *voglio, che tutti li miei mobili d' ogni sorte esistenti nella mia casa, dove abito presentemente, e li mobili ancora esistenti nella mia casa di Grotta Azzolina, e tutti li generi delle mie entrate come grano, granturco, retrivi, ed altro, che si troverà dopo la mia morte, ed ancora le bestie grosse di mia pertinenza esistenti nelli miei poderi si vendano, ed il danaro, che si ritrarrà s' applichi per pagare, e sodisfare li legati sudetti, e per farci celebrare tante Messe secondo la mia intenzione alla ragione della elemosina corrente per ciascuna Messa nel termine di due anni.*

Apertis tabulis Rosalia, & Marianna Neptes defuncti Canonici producta donatione, & testamento immissionem ad omnia bona exorarunt ex Decreto Vicarii Generalis Firmani. Præsbiter vero Nicolaus Bartolozzi, qui a defuncto Canonico Exequutor testamentarius fuerat designatus postulavit, ut Inventarium conficeretur. Factum est consentientibus Rosalia, & Marianna, quæ sibi cautum voluerunt *con protesta per parte delle medesime di rimanere illese, ed indenni le ragioni, che loro competono per qualsivoglia causa, o titolo*. Dum hæc agebantur, Parochi omnes Civitatis Firmi preces SSmo dederunt, ut applicationem legati Missarum a Canonico Solimani relicti impetrarent, vel in sublevandos pauperes, aut in augumentum redituum Orphanotrophii, quod in Civitate Firmi extat. Neptes quoque defuncti Canonici Solimani supplicarunt, ut legatum hujusmodi applicaretur in sublevandas eorum domesticas angustias. Preces hujusmodi a Sacratissimo Principe Sac. huic Congregationi, & a Sac. Congregatione emeritissimo tum sospite Archiepiscopo remissæ fuere. Retulit hic in sua Informatione = *quod res, quæ pio huic legato sunt attributæ æstimantur termille circiter scutatis, & fortasse etiam termille quingentis. Hujusmodi autem rerum legatarum nulli sunt reditus, quia agitur de mobilibus ad usum domesticum destinatis, itemque de vino, cæterisque hujusmodi, deque pecunia in arca reposita. Verum est res inter ipsas adnumerari quoque animalia, quæ sunt in agris, sed eorum fructus, qui industrialis est, tuto calculari non potest. Rem sane laudandam, & com-*

& commendandam petunt Parochi. Sed petitioni utcumque obstat Exequutor Testamentarius prout constat ex ejus Folio, quod adnecto. Obstant item Neptes Testatoris, quæ in eorum favorem petierunt a Sacratissimo Principe ipsius legati abrogationem.

Porro Exequutor Testamentarius *in Folio*, de quo Votum Archiepiscopi meminit, negat, quod Orphanotrophium prematur inopia. Nam ex ejus censu constat; quod detractis oneribus percipit annua scuta 864. 65., unde alit capita *vigintiquatuor*. Neque hæc deduxisse ei satis fuit. Interposuit quoque in Secreteria Sac. hujus Congregationis = *Nihil transeat* = Hinc Neptes Testatoris Sorores Solimani novas exhibent preces, in quibus consulerent Sac. Congregationem, ex quibus bonis præstandum sit legatum. Contendunt enim, quod defunctus Patruus nequiret disponere, nisi de bonis in Donatione reservatis, itaut præstanda non sint ea, quæ sub donatione cadunt, & nihilominus Testator legavit. Rursus postulant, ut si Patrui voluntas commutanda sit, & bona legata, secus quam ipse disposuit, applicanda, tum erigatur potius Cappellania perpetua favore pauperum Presbiterorum Civitatis Firmi reservato jure nominandi sibi ipsis, eorumque descendentibus. Hac die constitutum fuit vadimonium inter Parochos Civitatis Firmi, & Exequutorem Testamentarium, Sororesque Solimani super geminis infrascriptis *Dubiis*, quorum alterum de præstatione legati agit; alterum de applicatione. Sua jura proferunt Sorores Solimani per impressam Allegationem EE. VV. distribuendam. Parochi Civitatis Firmi mihi in scriptis rationes exhibuerunt, quæ vobis referrem, quoniam expensis litis idoneos se esse negent. Exequutor vero testamentarius nil hactenus mihi exhibuit.

Ultro concedunt Sorores Solimani, quod legatum præstandum sit ex bonis in Donatione reservatis: scilicet = *scudi duemila assieme con li mobili, e libraria* = Reliqua autem bona scilicet = *grano, retrivi, granturco, bestie grosse* = legare non potuisse contendunt, quippe quæ inter reservata non continentur, & ex donatione universali erant jam a patrimonio Testatoris avulsa, ut post *Text. in leg. Perfecta Cod. de Donat.* tradit *Rota in Anagnina Immissionis in specie* 4. *Julii* 1777. §. 4. *coram clar. mem. Card. Riminaldo*.

 Quo-

Quocirca sub hoc I. Dubio eo perducunt quæstionem, num sub vocabulo *Mobili*, quæ fuerunt reservata, veniant, an non, omnes res, quæ moveri possunt secundum antiquam significationem, & sensum juris *in leg. Moventium ff. de verb. signific.* Defendunt autem quod cum vocabulum *Mobili* usurpatum sit, ut grammatici ajunt, *substantive*, nil aliud ex præsenti usu præseferat, quam domesticam supellectilem, ut docet *Averan. Prose Toscane tom.3. pag.39. Paulutius dissert.98. artic.2. num.35.* Secundum hanc significationem accipiendum esse nomen *Mobili* dicunt, quia agitur de Donatione onerosa, quæ, cum facta sit contemplatione Matrimonii omnino habenda est tamquam contractus correspectivus, *ut in Perusina Dotis 31. Januarii 1778. §.6. coram Ratta*, & in contractibus retinenda est communis significatio verborum, nisi constet de contraria voluntate contrahentium *Leg.35. ff. de Reg. Jur.* Ex quibus deducunt, quod si sub nomine *Mobili* veniat tantum *domestica Supellex*, jam nec *segetes*, & *animalia*, nec *pecuniæ*, *argenta*, *gemmæ*, *anuli*, *linteamina*, *vasa vinaria* cadant sub reservatione Mobilium, ut *ex tot. tit. ff. de Supellectil. legat. L. Uxori ff. de Auro, & Argent. legat.*

Animadvertant tamen EE. PP., quod controversia, num sub nomine mobilium veniant res omnes, quæ moveri possunt, agitata hactenus fuit in utramque partem, ut videre est apud *Paulutium dissert.98.*, in qua DD. Sententiæ allegantur. Propterea definiri solet ex voluntate illius, qui verbum *Mobili* adhibuit. Observandum quoque est, quod Canonicus Solimani Donator sibi reservavit integrum bonorum usumfructum, adeoque segetes, quas ex usufructu percepit, nimirum = *il grano*, *retrivi*, *e granturco* = censendæ sunt inter res in Donatione reservatas, de quibus disponere poterat. Sed ea quoque quæ ex fructibus Donans lucrare poterat, sub nomine Jurium futurorum donata contendit, qui Sororum Jura tuetur ex doctrina *Joan. a Ponte consil.115. num.13. lib.2., & Rota decis.282. num.12., decis.314. num.8. coram Roxas, & in Tudertina Associat. 15. Junii 1759. §.15. coram Olivatio.* Verumtamen ex allatis doctrinis non satis perspicuum est, quod donanti, qui usumfructum sibi reservavit nequeat vivens arbitratu suo de fructibus sibi obventis disponere.

II. Du-

II. Dubium respicit applicationem bonorum legatorum, Parochi Firmi postulant, ut applicentur Orphanotrophio, quod cum exiguos habeat reditus paucas potest alere puellas ita ut cæteræ, quæ pauperes sunt per Civitatem vagantur. Non desunt exempla, quod legata applicata fuerint in subsidium locorum piorum, in quibus publicæ indigentiæ succurritur, ut *in Cremonen.* 16. *Februarii*, & 10. *Januarii* 1753., & 28. *Februarii* 1761., & *in Pharaonen. Suspensionis Onerum*, & *Absolutionis* 9. *Julii* 1796.. Sed iis acriter repugnant Exequutor testamentarius, & Sorores Solimani. Negant enim Orphanotrophium rei familiaris angustia premi, dum habeat annuos reditus in summa scutorum 864. 65. præter lucrum ex labore manuum, & eleemosinas, ex quibus alere potest vigintiquatuor puellas, quæ in loco pio manent. Remota autem necessitate nulla subest necessaria causa, quamobrem, voluntas Testatoris commutetur contra ac præscribunt Sac. Canones *in Cap. Quia Monasterium de Relig. Dom. Cap. Sicut unire de excess. Prælat. Trident. sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.*, & declaravit Sac. Congregatio *in Asculana Commutationis Voluntatis* 8. *Augusti* 1801. Illud addunt Sorores Solimani, quatenus voluntas Patrui commutanda sit, magis expedire, ut erigatur Cappellania perpetua favore pauperum Præsbiterorum Civitatis Firmi, & reservato sibi, & suis jure patronatus. Sed dum ipsæ nil conferunt in petitam Cappellaniæ erectionem, sicuti ex jure reservationem jurispatronatus obtinere nequirent, videant EE. PP. num ex gratia eidem tamquam consanguineis fundatoris concedendum sit.

Geminum proponitur Dubium.

I. *An, ex quibus bonis, & quomodo sit præstandum legatum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam testamenti comprehensa etiam pecunia, & rebus pretiosis.

Ad II. Negative, & amplius.

NEA-

Sess. 22. Decret. de observ. & evit. in celebrat. Miss.

NEAPOLITANA ELEMOSINÆ MISSARUM. Unam, alteramque Cappellaniam iisdem fermè legibus fundarunt per Actum inter vivos Galeotta, & Angela Janni, quarum illa anno 1738. pro fundo Cappellaniæ assignavit partem domus in *Ducatis* 2800. annuique reditus *Ducatorum 72.* = *a beneficio della Cappellania, e per essa dei Cappellani pro tempore* = Angela vero Janni eodem nomine constituit pecuniam vectigalem, quam in publico erario ad *bismille Ducata* collocaverat, ut inde *Ducata octoginta* quotannis retraheret = *per il qual effetto il detto Capitale con loro annualità si debba descrivere in testa della Cappellania, ed indi possano li Cappellani pro tempore intestare in testa loro detta annualità, e quella esiggere* =. Utraque porro Fundatrix jussit celebrationem Missæ quotidianæ; attribuit passivam vocationem Clericis, vel Præsbiteris Familiæ Janni, iisque deficientibus extraneos nominari permisit, qui tamen essent ad nutum amovibiles; & tandem jus nominandi concessit Cajetano Janni Seniori (qui Fundatricibus filius erat, & respective Nepos) ejusque Primogenitis Masculis, primum ex Linea masculina, mox ex fæminina prodeuntibus.

Anno 1781. defecerunt Cappellani ex familia Janni nominati. Tum Cajetanus Janni Junior, qui patronatu fruebatur, curavit quidem, ut gemina missa quotidiana celebraretur, sed celebrantibus integrum non rependidit stipendium a Fundatricibus assignatum. Quod enim ex necessaria, & manuali elemosina supererat, inter quatuor fratres suos inopia pressos divisit. Anno vero 1784., cum nemo in familia esset, cui Cappellania conferri posset, ipse Cajetanus extraneos nominavit Cappellanos, & cum iisdem convenit, ut dimidium assignati stipendii perciperent: scilicet, alter *Ducata triginta sex* non *septuaginta duo*, ut Galeotta assignaverat; alter vero *Ducata quadraginta* non *octoginta*, ut constituerat Angela Janni: Hinc Cappellani, quibus erat in publicis tabulis perscripta pæcunia in dotem Cappellaniæ assignata integrum perceperunt stipendium, sed brevi manu dimidium tradiderunt Cajetano, qui porrexit inter quatuor Fratres distributionem facere usque ad sexennium proximum, in quo divisio inter duos tantum Fratres, & communem Matrem facta est.

Hæc

Hæc, quæ Cajetanus fide forsan non mala, sed proprio arbitratu gessit, veretur, ne in Canonicas Sanctiones peccent. Dum itaque vos EE. PP. consulit, utrum hæc conventio, & divisio probanda sit, simul postulat *quoad præteritum* absolutionem, si minus probe ea, quæ fecit, facta fuisse constet; & *in posterum* facultatem implorat, ut impletis oneribus Missarum, quod superest ex reditibus convertere possit in sublevandam matris, fratrumque indigentiam. Eminentissimus Archiepiscopus, rem quemadmodum exposuimus, evenisse confirmat = *Alla fine circa l' anno 1784. il ricorrente Gaetano nominò due Sacer doti estranei per Cappellani coll'obligo della Messa qnotidiana, e con convenire d'accordo annui Ducati 36. all' uno per elemosina, ed annui Ducati 40, all'altro, ricevendosi da detti Cappellani estranei tutto il di più delle sudette limosine brevi manu, che hà diviso a detti suoi ger mani fratelli. Hó rilevato, che quantunque le Fondatrici abbiano lasciato pingui eredità agl'antenati del ricorrente, niente e pervenuto al medesimo cò suoi fratelli, meno che a tre di essi molti anni sono pervennero in forza di litiggi in più volte circa Ducati mille per ciascheduno in numerario, ma tutti vivono colla loro professione, e quelli a quali si è divisa, e si divide la rendita sudetta sono li più poveri di essa, e sono quelli, che meno degl'altri lucrano colla loro professione. Il richiesto consenso del Rettore non sembra necessario, perchè la celebrazione è in libertà del Cappellano per qualunque Chiesa egli voglia*. Proposita fuit instantia hujusmodi per *Summaria Precum* in Congregatione *diei 2c. Augusti proximè præteriti*. Visum Vobis est, ut *in Folio* describeretur, quo accuratius pro rei gravitate controversia esset tractanda.

Hoc in I. Dubio statuendum erit, num vitio aliquo inficiatur conventio inter Patronum, & Cappellanos inita, ut isti portionem aliquam stipendii remitterent, quod a Fundatricibus assignatum fuit ultra consuetam elemosinam manualem. Conventiones autem, quæ respiciunt elemosinam Missæ celebrandæ aperte reprobat Tridentinum *Sess. 22. Decret. de observ., & evit. in celebrat. Missæ*; quo loci Episcopos ita admonet = *Atque, ut multa paucis compræhendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta &c. aliaque hujusmodi, quæ*

quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, *omnino prohibeant*. Nam = *facere pactionem de Missa celebranda est simonia* = ut ait *D. Thomas in* 4. *sententiar. Dist.* 25. *quæst.* 3. *artic.* 2. *quæstione* 1. *ad* 4., & S. Congregatio (*in Decretis* probante Vrbano VIII. *Anno* 1625. latis super celebratione Missarum) *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens*, *prohibet Sacerdoti*, *qui Missam suscepit*, *parte ejusdem elemosinæ sibi retenta celebrandam committere*. Æque igitur suspecta esse debet conventio inter Patronum, & Cappellanos super minori percipiendo stipendio Missarum, & omnino reprobanda tamquam infecta *simoniaca labe*, & *turpi questu*, nisi ea justo, probatoque titulo niti detegatur.

Duo in proposito casu afferri possunt tituli ad repellendum turpem questum. Primum, quod ii quibus est commissa celebratio Missarum perpetuarum, non tenentur, nisi ad subministrandam consuetam elemosinam, si per alios eas celebrare faciant, & tuto possunt percipere pinguius stipendium in fundatione constitutum, ut tradit *Card. Lugo Disput.* 21. *de Eucharist. Sect.* 2. *num.* 30. *Aversa quæst.* 11. *de Eucharist. Sect.* 17. *Franc. Lugo lib.* 5. *de Sacram. Cap.* 12. *quæst.* 7. *num.* 73. *Tambur. Opusc. de Sacrific. Missæ lib.* 3. *Cap.* 1. §. 5. *num.* 10. *Quaranta in Rubric. Missal. in appen. quæst.* 4. *pun.* 10. *diffic.* 3. Rursus quod ex condonatione celebrantis potest committens retinere partem stipendii, ut summa consentione docent *Homo bon. Exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 4. *Cap.* 14. *quæst.* 191. *Jo. a Cruce Direct. conscien. part.* 2. *quæst.* 2. *de Sacrific. Missæ Dub.* 8. *conclus.* 1. *Faustus lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 164. *Pasqualig. de Sacrific. novæ leg. quæst.* 975. *tom.* 2. Quibus ita se habentibus, si Cajetanus Janni patronus poterat curare celebrationem Missarum cum ælemosina manuali, sibique stipendium pinguius retinere; si hoc ipsum stipendium retinuit ex condonatione Cappellanorum celebrantium; justo quidem titulo niti videtur conventio, & a turpi quæstu longe abesse.

Verum hæc omnia parum controversię propositæ convenire videntur. Nam tum demum retineri potest assignatum stipendium pro Missis perpetuis, & alteri mandari celebratio soluta consueta elemosina, cum qui mandat celebrationem sit is, cui commissa est ce-

le-

lebratio, & assignatum stipendium. Hoc enim assignatur tum intuitu ministerii oblationis Sacrificii, tum intuitu officii Cappellani, cui commissa est celebratio. Quare si Cappellanus alteri celebrandas Missas committit, non debet tradere totum stipendium, sed illud, quod debetur pro Ministerio celebrationis, & propterea potest sibi retinere, quod superest, dum hoc ei acquiratur ratione Officii Cappellani. At patronus solo fruitur jure nominandi Cappellanos, nec potest percipere stipendium ratione Ministerii, quia Missas non celebrat, nec ratione Officii, quia Cappellanus non est, cum ei numquam commissa fuerit celebratio, vel assignatum stipendium. Nam in utraque fundatione onus Missæ quotidianę Cappellanis non Patrono, imponitur, & illis, non huic stipendium relinquitur: scilicet = *a beneficio della Cappellania, e per essa dè Cappellani pro tempore* = & rursus = *possano li Cappellani pro tempore intestare in testa loro detta annualità, e quella esiggere* = Quare Pàtronus, qui exequutor tantum est, non potest sibi retinere aliquam portionem stipendii, quod Cappellanis sequta nominatione statim acquiritur: ut tradit *Simon. de Petris de interpret. ultim. voluntat. lib.* 5. *dub.* 2. *num.* 57., *&* *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.* 973. *per tot.*, *&* *præcipue num.* 3. *&* 4.

Neque si Cappellani ultro portionem sibi debitam stipendii remiserunt, idcirco Patronus eam percipere valet. Potest quidem committens retinere stipendium, vel ejus partem, si alter gratis celebret, vel partem stipendii donet. Secus vero *dicendum est, non posse committentes Missas ab aliis celebrandas retinere portionem aliquam stipendii ex donatione celebrantis, si interveniat conventio aliqua, etiam tacita de relaxanda dicta portione, ut continuetur subministratio Missarum, quæ alias non esset continuanda, aut ex aliquo simili motivo, quæ reddat necessariam relaxationem partis stipendii tamquam medium ad obtinendas ælecmosinas*, ut iisdem verbis tradit *Pasqualig. loc. citat. quæst.* 975. *num.* 5. Etenim ubi interponitur conventio cessat liberalis donatio, qua remota nullus subest justus titulus retinendi partem stipendii ad tradita per *Lezana in sum. verb. Missa num.* 35. *Martin. a S. Josepho in Moral. tom.* 1. *lib.* 1. *tractat.* 17. *de Eucharist. num.* 8. *Leander de Sacram. tractat.* 8. *disput.* 4. *numer.*

mer. 8. Hinc in *Romana Eleemosinæ* 23. *Augusti* 1664. cum quæsitum esset, an Decretum Urbani VIII. locum haberet = *cum Sacerdos, cui Missæ celebratio minori cum ælemosina commissa est, haud ignorat majorem primo Sacerdoti attributam fuisse, ejusque partem ab eo retineri; at nihilominus ipse minori contentus sit, intelligens aliter a dicto primo Sacerdote celebrationem sibi non committendam, & proinde vel ipsa minori elemosina se cariturum* = S. Congregatio respondit = *etiam in hoc casu locum habere.*

Dum itaque Emus Archiepiscopus affirmat Cajetanum Patronum nominasse = *due Sacerdoti estranei per Cappellani coll'obligo della Messa quotidiana ubique, e con convenire d'accordo annui Ducati* 36. *all'uno per elemosina, ed annui Ducati* 40. *all'altro per l'altra elemosina ricevendosi da detti Cappellani estranei tutto il di più delle sudette limosine brevi manu*; jam ex his erumpit illicita conventio, quæ licet non præseferat expresse, quod donatio partis stipendii facta sit intuitu commissæ celebrationis; satis tamen eruitur ex eo quod donatio sit correspectiva commissæ celebrationi, unde suspicari licet, quod Cappellani non fuissent nominati, nisi partem stipendii condonassent, quemadmodum concludit *Pasqualig. citat. quæst.* 975. *num.* 11.

Hæc habui, quæ in utramque partem exponerem. Ceterum si EE. VV. reprobam putant hanc conventionem animadvertendum est, quod Cajetanus hæc contra Canonicas Sanctiones fecit ignorantia ductus, & fide non mala. Non enim in rem suam vertit stipendium, quod a Cappellanis retinuit, sed erogavit in sublevandam inopiam eorum, qui Fundatricibus consanguinitate jungebantur. Passim ab hac Sacra Congregatione suspenduntur Cappellaniæ, ut quod superest impletis oneribus concedatur indigentibus consanguineis in *Camerinen.* 21. *Augusti*, & 27: *Novembris* 1785. Videant igitur EE. PP. num exclusa mala fide Orator dignus sit, ut pro eo a Sanctissimo imploretur absolutio quoad præteritum, id quod remota mala fide concedi solet ut in *Asculana Suspensionis* 20. *Maii* 1786.

II. Dubium respicit futurum. Nam Cajetanus postulat facultatem ut celebratis Missis ad manualem superextans stipendium Cappellaniarum dividatur inter

ter egenos consanguineos. Hoc quidem repugnare videtur voluntati utriusque Fundatricis, quae stipendium assignarunt, ut Cappellanis gratificarentur. Contra observandum est hoc eis praecipue in votis fuisse, ut ii de Familia Janni essent Cappellani. Eos enim caeteris in vocatione passiva praetulerunt, & extraneos nedum in subsidium vocarunt, sed etiam sub conditione, ut ad libitum amoveri possent. Non itaque absonum videtur ab eorum praesumpta voluntate, quod non extantibus in Familia, qui idonei sint ad Cappellanias consequendas, celebrentur Missae ad Manualem, ut reliquum stipendium convertatur in sublevandam inopiam consanguineorum, quos verosimile est chariores habuisse, quam Cappellanos extraneos sub lege amovibilitatis vocatos, ut post *Text. in Cap. Pervenit de jurepatron.* tradit *Amostaz. de Caus. Piis Lib. 1. num. 14.*. Praesumptae voluntati utriusque fundatricis accedit juris dispositio, quae sicuti opitulandos esse jubet Patronos pauperes ex reditibus Beneficii *in Can. Decernimus 16. quaest. 7. & in Cap. Nobis de jure patronat.* ita etiam eorum haeredibus, & consanguineis Testatoris prospexit in *Toletana Synodo Can. 38. relat. in Can. Quicumque Caus. 16. quaest. 8. Rot. apud Piton. de controvers. Patron. allegat. 46. numer. 66.*. Eo itaque redit difficultas, num Consanguinei hujusmodi tanta premantur inopia, ut sublevanda sit ex reditibus Cappellaniae. Eminentissimus Archiepiscopus affirmat, eosdem ex industria vivere, sed nihilominus aegestate laborare. Aliquando Sac. Congregatio prae oculis habuit etiam paupertatem respectivam, ut indulgeret Consanguineis alimenta ex reditibus Cappellaniae, ut in *Aquen. Cappellaniae 20. Januarii, & 3. Februarii* 1787.

Grave nihilominus videri poterit, quod suspensio concedatur plenis Cappellaniis, & postquam jam nominati jus in re sibi quaesiverunt; cui derogare nefas ducitur *Fagnan. in Lib. 3. Decret. Cap. Dilectus II. num. 17. de Praeben. Rigant. ad Reg. 22. Cancell. num. 49.* Sed pauperibus Patronis, aut consanguineis alimenta ex beneficio etiam pleno debentur *Piton. de controver. Patron. allegat. 29. num. 17., & allegat. 44. num. 20.* Cappellani vero, qui ceteroquin

quin sunt amovibiles, non contradicunt, nec eis præjudicium ex suspensione infertur. Hactenus enim celebrarunt pro elemosina fere manuali, itaut injungi posset suspensio eo MODO, ut per eosdem impleantur onera Missarum, & quod superest impletis oneribus distribuatur inter consanguineos pauperes arbitrio Emi Archiepiscopi ad certum tempus, ut factum alias fuit in *Lucana* 17. *Januarii* 1789..

Dubia dirimenda sunt hujusmodi.

I. *An sit probanda conventio, seu potius sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Et quatenus *Affirmative* ad secundam partem.

II. *An, & quomodo sit concedenda suspensio Cappellaniarum in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, & Cappellani dimissis Cappellaniis consulant conscientiæ suæ.

Ad II. Negative, sed celebratis per Cappellanos Missis ad formam fundationis ad manualem, quod superest distribuatur inter pauperes consanguineos utriusque fundatricis arbitrio Emi Archiepiscopi ad quinquennium.

Ses. 22. cap. 6. de Reform.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI SUBSIDII DOTALIS. Quæ sæpe alias in hac Sac. Congregatione disputata fuere de voluntate Canonici Martini de Dominis; ea nunc oportet in memoriam revocare EE. PP., quo facilius præsens controversia dirimatur.

Anno 1722. postremis tabulis Canonicus Martinus de Dominis hęredem instituit Joannem Baptistam suum ex prædefuncto Fratre Nepotem, quo sine filiis deficiente jussit, ut ex reditibus hæreditariis Monasterium in Oppido Pontiani erigeretur, in quo puellæ ex Joanne Baptista Seniore de Dominis Patre suo descendentes cum dote scutorum biscentum reciperentur. At Joannes Baptista, cum sospes adhuc esset, nec cessisset conditio sub qua volita erat Monasterii erectio, a Rev. Fabrica S. Petri subripuit compositionem, ut posset de bonis hæreditariis pro arbitratu disponere, si post sui obitum loco Monasterii Canonicatum erigeret,

cui

cui præbenda in scutis annuis *quinquaginta* constitueret. Cum post obitum Joannis Baptistæ Junioris explorata fuit impetrata compositio, statim lis exarsit inter hæredes dicti Joannis Baptistæ, qui compositionem servandam esse contendebant, & descendentes a Joanne Baptista Seniore de Dominis, præcipue ex Familia Palanga, & Gerardini, qui irritam reclamabant hanc compositionem, & commutationem voluntatis ex gratia postulabant.

Proposita hæc causa fuit in Congregatione *diei* 3. *Maii* 1742. disputatis geminis Dubiis I. *An sustineatur compositio cum cessione jurium facta a Rev. Fabrica S. Petri favore Jo. Baptistæ de Dominis* = & quatenus negative = II. *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Canonici Martini de Dominis* = prodiitque Rescriptum *ad I. Negative* (confirmatum *sub die* 2. *sequentis Julii*) ad *II. Dilata* quod resolutum fuit die 30. *Januarii* 1745. per rescriptum = *consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis juxta modum, & modus est juxta mentem communicandam Eminentissimo Abbati Commendatario* = Mens autem fuit = *erigendos esse binos Canonicatus cum reditibus designandis ab Eminentissimo Abbate, & residuum redituum distribuendum esse in dotes in quantitate ab eodem Eminentissimo designanda, reservata quoad omnes prælatione vocatorum juxta dispositionem Testatoris.*

Vindicatis itaque bonis ab hæredibus Joannis Baptistæ Junioris de Dominis Eminentissimus Abbas Canonicatus erexit, & annua scuta centum assignavit = *pro duobus subsidiis ad rationem scilicet scutorum quinquaginta pro qualibet pro effectu illa erogandi in dotationes illarum puellarum, quæ coram nobis docebunt de earum in gradu proximitate Canonico de Dominis fundatore* = Plures ex puellis proximioribus non tantum annua subsidia dotalia in scutis quinquaginta, sed subsidiorum cumulum consequtæ sunt. Plura hujusce cumuli extant exempla: *Susanna Gerardini* obtinuit scuta *tercentum* ex Rescripto Sanctissimi diei 31. *Julii* 1782: *Rosa de Archangelis* summam scutorum biscentum ex Resolutione Sac. Congregationis *in Nullius Terræ Pontiani* 29. *Januarii* 1791; *Theodora Monetti* scuta 150, Angela Arcangeli scuta 100, Nazzaria

zaria Monetti scuta 150. ex rescriptis Sac. Congregationis *in Nullius Terræ Pontiani Subsidiorum Dotalium 16. Augusti* 1794.

Earum exemplo Clara Gherardini ab anno 1796. deprecata est cumulum scutorum biscentum, cum Fundatori conjuncta sit quinto consanguinitatis gradu, & paupertate laboret, ut Parochus testatum facit. Preces hujusmodi remissæ fuerunt Eminentissimo Abbati. Antequam vero Sententiam suam referret, publicus rerum ordo perturbatus est itaut Clara ne oblatam sibi conjugii occasionem amitteret matrimonium contraxit. Nunc vero iterum insetit pro obtinendo cumulo, Eminentissimus Abbas Informationem transmisit audito Eusebio Arcangeli Administratore hujus subsidii dotalis. Hic expunctis rationibus demonstrat, quod fundus subsidiorum consistit in Locis Montium, & Censibus, quorum alterum debetur a Communitate Jenzani. Attenta vero diminutione fructuum Locorum Montium, & reductione Census Communitatis quotannis percipiuntur annua scuta 65. 80. ex quibus detrahendæ sunt expensæ pro exactione redituum. Nunc supersunt inexacta ad Mensem *Junii proximi præteriti scuta* 260. 91. Solvenda autem sunt scuta 478. 88. pro subsidiis dotalibus jam assignatis, & præterea expensæ, & functiones Procuratori in Urbe constituto.

Hisce præmissis Emus Abbas favet Oratrici = *Dotis*, ait, *quantitatem, quam Clara expostulat aliæ cognatæ in gradu a Testatore remotiores obtinuerunt. Hinc ut ipsa eamdem consequatur æquitas, ac judicandi equalitas suadet, ni eidem obstet matrimonium ante subsidii assignationem contraxisse. Veruntamen ad ejus favorem ponderandum juvat, matrimonium sub spe subsidium dotale consequendi initum authumari posse, & quidem post preces porrectas. Accedit insuper consensus interesse habentium. Quatenus vero EE. VV. Oratorum precibus obsequi placeat, demandanda erit solutio quotæ dotis sequuta dotium usque adhuc constitutarum solutione, & in posterum cavendum, ne hujusmodi subsidia distribuantur.*

Conjuncta quidem est Oratrix testatori, ita ut jure postulat subsidium dotale, quod in fundatione reservatum est iis fœminis = *quæ docebunt de earum in gradu* pro-

proximitate Canonico de Dominis fundatore = Tria nihilominus obstare videntur. Primum quod ipsa petit cumulum dotium. Deinde quod hoc ipsum postulat post contractum matrimonium, Etenim subsidia dotalia reservata semper censetur pro puellis secundum Doctrinam *Cancer. Variar. Resolut. Cap.*22. *num.* 182. *part.*3. *Card. de Luc. de Dot. disc.* 174. *num.*1.. Tandem, quod deficiant reditus, unde cumulum solvendum sit. Bona namque pro subsidiis hujusmodi assignata ex quibus tempore fundationis annua scuta *centum* redibant; nunc attenta diminutione fructuum LL. Montium & Censuus cum Cummunitatibus ferunt fructus annuos ad scuta 65. 80. Inexacta quidem jacent scuta 260. 91.,sed adhuc insoluta remanent subsidia dotalia jam assignata in summa scutorum 478.88,

Hæc tamen omnia diluere conatur Clara Gherardini, Favent ei quidem domestica exempla Puellarum Gherardini, Archangeli, Monetti,quæ cum essent fundatori consanguinitate conjunctæ cumulum dotium ab hac Sac. Congregatione obtinuerunt. Detrimentum vero cæterarum, quæ dotem sperare possunt, omnino remotum censendum est, dum omnes interesse habentes Oratrici suffragantur. Neque videtur jure suo decidisse Clara si nuptias inivit antequam cumulum exoraret. Nam cum ipse actionem habeat ex fundatione ad subsidia consequenda, etiam post initum matrimonium manet idem jus, ut subsidia peti possit secundum probatiorem sententiam *Fontanell. de pact. nuptial. tom.* 2. *clausol.* 6. *gloss.* 3. *part.*4. *num.* 49. *Covarruv. in Cap. Officii de testam.*, quam sententiam sequta est S. Congregatio dum hunc ipsum cumulum concessit Theodoræ Monetti *in Nullius Terræ Pontiani Subsidiorum Dotalium* 16.*Augusti* 1794.. Præcipue, cum ipsa hunc cumulum imploravit adhuc inupta, & cum ob publica rerum discrimina exspes esset illud consequendi matrimonium contrhaxit, ut in terminis petitionis factæ ante matrimonium definivit Sac. Congregatio *in Cæsenaten. subsidiorum dotalium* 29. *Novembris* 1788., in qua proposito II. Dubio = *An*, *quomodo*, *& quibus puellis descendentibus providendum sit quoad præteritum* = rescriptum fuit = *Affirmative pro illis tantum*, *quæ debitis requisitis præditæ dotem petierunt tempore quo adhuc erant innuptæ*.

Quod si reditus nunc non suppetunt, expectandum ab ea

zaria Monetti scuta 150. ex rescriptis Sac. Congregationis *in Nullius Terræ Pontiani Subsidiorum Dotalium 16. Augusti* 1794.

Earum exemplo Clara Gherardini ab anno 1796. deprecata est cumulum scutorum biscentum, cum Fundatori conjuncta sit quinto consanguinitatis gradu, & paupertate laboret, ut Parochus testatum facit. Preces hujusmodi remissæ fuerunt Eminentissimo Abbati. Antequam vero Sententiam suam referret, publicus rerum ordo perturbatus est itaut Clara ne oblatam sibi conjugii occasionem amitteret matrimonium contraxit. Nunc vero iterum instetit pro obtinendo cumulo, Eminentissimus Abbas Informationem transmisit audito Eusebio Arcangeli Administratore hujus subsidii dotalis. Hic expunctis rationibus demonstrat, quod fundus subsidiorum consistit in Locis Montium, & Censibus, quorum alterum debetur a Communitate Jenzani. Attenta vero diminutione fructuum Locorum Montium, & reductione Census Communitatis quotannis percipiuntur annua scuta 65. 80. ex quibus detrahendæ sunt expensæ pro exactione redituum. Nunc supersunt inexacta ad Mensem *Junii proximi præteriti scuta* 260. 91. Solvenda autem sunt scuta 478. 88. pro subsidiis dotalibus jam assignatis, & præterea expensæ, & functiones Procuratori in Urbe constituto.

Hisce præmissis Emus Abbas favet Oratrici = *Dotis*, ait, *quantitatem, quam Clara expostulat aliæ cognatæ in gradu a Testatore remotiores obtinuerunt. Hinc ut ipsa eamdem consequatur æquitas, ac judicandi equalitas suadet, ni eidem obstet matrimonium ante subsidii assignationem contraxisse. Verumtamen ad ejus favorem ponderandum juvat, matrimonium sub spe subsidium dotale consequendi initum authumari posse, & quidem post preces porrectas. Accedit insuper consensus interesse habentium. Qnatenus vero EE. VV. Oratorum præcibus obsequi placeat, demandanda erit solutio quotæ dotis sequuta dotium usque adhuc constitutarum solutione, & in posterum cavendum, ne hujusmodi subsidia distribuantur.*

Conjuncta quidem est Oratrix testatori, ita ut jure postulat subsidium dotale, quod in fundatione reservatum est iis fœminis = *quæ docebunt de earum in gradu* pro-

proximitate Canonico de Dominis fundatore = Tria nihilominus obstare videntur. Primum quod ipsa petit cumulum dotium. Deinde quod hoc ipsum postulat post contractum matrimonium, Etenim subsidia dotalia reservata semper censetur pro puellis secundum Doctrinam *Cancer. Variar. Resolut. Cap.*22. *num.* 182. *part.*3. *Card. de Luc. de Dot. disc.* 174. *num.*1. . Tandem, quod deficiant reditus, unde cumulum solvendum sit. Bona namque pro subsidiis hujusmodi assignata ex quibus tempore fundationis annua scuta *centum* redibant; nunc attenta diminutione fructuum LL. Montium & Censuus cum Cummunitatibus ferunt fructus annuos ad scuta 65. 80. Inexacta quidem jacent scuta 260. 91.,sed adhuc insoluta remanent subsidia dotalia jam assignata in summa scutorum 478.88,

Hæc tamen omnia diluere conatur Clara Gherardini. Favent ei quidem domestica exempla Puellarum Gherardini, Archangeli, Monetti,quæ cum essent fundatori consanguinitate conjunctæ cumulum dotium ab hac Sac. Congregatione obtinuerunt. Detrimentum vero cæterarum, quæ dotem sperare possunt, omnino remotum censendum est, dum omnes interesse habentes Oratrici suffragantur. Neque videtur jure suo decidisse Clara si nuptias inivit antequam cumulum exoraret. Nam cum ipse actionem habeat ex fundatione ad subsidia consequenda, etiam post initum matrimonium manet idem jus, ut subsidia peti possit secundum probatiorem sententiam *Fontanell. de pact. nuptial. tom.* 2. *clausol.* 6. *gloss.* 3. *part.*4. *num.* 49. *Covarruv. in Cap. Officii de testam.*, quam sententiam sequta est S. Congregatio dum hunc ipsum cumulum concessit Theodoræ Monetti *in Nullius Terræ Pontiani Subsidiorum Dotalium* 16.*Augusti* 1794. . Præcipue, cum ipsa hunc cumulum imploravit adhuc inupta, & cum ob publica rerum discrimina exspes esset illud consequendi matrimonium contrhaxit, ut in terminis petitionis factæ ante matrimonium definivit Sac. Congregatio *in Cæsenaten. subsidiorum dotalium* 29. *Novembris* 1788., in qua proposito II. Dubio = *An, quomodo, & quibus puellis descendentibus providendum sit quoad præteritum* = rescriptum fuit = *Affirmative pro illis tantum, quæ debitis requisitis præditæ dotem petierunt tempore quo adhuc erant innuptæ*.

Quod si reditus nunc non suppetunt, expectandum ab ea

ea erit tempus, in quo pares erunt huic novo cumulo exsolvendo. Hoc pertinet ad *modum*, quo erit ei indulgendus cumulus, scilicet post soluta subsidia jam assignata. Quoad quantitatem exempla deducta præseferunt summas scutorum 300, 200., & 150., Vestrum erit deliberare pro præsenti redituum diminutione, utrum concedenda sit minor summa, quam Clara postulat in scutis *biscentum*,

Dubium proponitur.

An, quomodo, & in qua summa concedi debeat cumulus dotium Claræ Gherardini in casu &c.

Affirmative in scutis 150. solutis prius subsidiis jam assignatis.

Sess.24. cap.8. de Reform.

SARSINATEN. PUNCTATURARUM. Defuncto *diei 30. Junii anni* 1800. Canonico Francisco Campoduni vacavit in Cathedrali Sarsinatensi Præbenda Pœnitentialis. Frustra bis, & tertio indictus fuit concursus, cui nemo umquam adfuit, ut vacantem præbendam consequeretur. Valde periculosum erat vacuam relinquere præbendam hujusmodi, ne salus animarum, & reditus beneficii temporum injuria in discrimen venirent. Ex quibus motus vigilantissimus Episcopus ratus est æconomum deputare huic vacanti præbendæ, elegitque alterum ex Canonicis ejusdem Capituli Franciscum Biordi, & suum Vicarium Generalem, cui in litteris patentalibus administrationem hujus Præbendæ pænitentialis concredidit = *cum assignatione illius redituum supportatis per te oneribus &c. cum omnibus indultis, privilegiis, & gratiis in lucrandis fructibus, & distributionibus tuæ præbendæ, dum sacramentales confessiones audieris a SS. Concilio Tridentino, & Sac. Congregatione Canonicis Pœnitentiariis concessis* = Quamquam vero novus Æconomus integros Præbendæ Pænitentialis reditus percipere posset, attamen contentus fuit emolumento julii unius in singulos dies, quantum in Synodo Sarsinatensi prædecessoris Præsulis Braschi *Cap.* 18. §. 32. Æconomis curatis assignatur.

Post hæc cæteri Canonici conquesti sunt, quod Canonicus Biondi a choro abesset, & punctaturas suæ præben-

bendæ non solveret. Sed aberat quidem ipse, ut sacramentales confessiones exciperet, adeoque a punctaturis erat immunis ex privilegio a SS. Concilio Tridentino *Sess.* 24.*cap.* 8. *de Reform.* penitentiariis concesso, quod ex identitate rationis, & ex litteris patentalibus Episcopi communicatum erat æconomo, qui vices penitentiarii præstabat. Repulsi Canonici veritatis viribus aliam invenerunt querelæ causam. Nam contendebant, quod ex antiqua consuetudine, & Synodo Calbetti pro vacante præbenda pænitentiarii solvendæ essent punctaturæ, & quidem antequam detraheretur æconomi stipendium. Quo fiebat, ut Præbenda pænitentialis cum tantos non haberet reditus, unum alterumque onus præstare non poterat, & æconomo deficeret congruum stipendium. Inter hæc dissidia Canonicus Biordi profectus est ab Episcopo delegatus, ut gravissima negocia Ecclesiæ expediret. Quare dimisit æconomatum, aliusque canonicus in ejus locum suffectus est. Nondum tamen pax fuit cum Canonicis, qui interpositam ab Episcopo compositionem respuentes preces huic Sac. Congregationi dederunt, ut cogeretur Canonicus Biordi ad punctaturas pro vacante pænitentiali præbenda, cujus reditus ipse tamquam æconomus percepit.

Interrogatus Episcopus favet Canonico Biordi postquam jura utrinque excepit, & huic Sac. Congregationi in scriptis remisit. *Falsum est*, inquit, *quod Canonici exponunt, nimirum quod detractis punctaturis, & ceteris oneribus, pro æconomo summa scutorum 27. remaneret. Nam si præbenda Pænitentiariæ reddit solummodo scuta 48.; si onera ejusdem detrahunt summam scutorum novem; & si punctaturæ exigunt summam scutorum 20. 70., jam patet, quod vix remanerent pro æconomo scuta annua decem, & septem, & quidem difficillimæ exactionis, cum universi reditus dictæ præbendæ consistant in fructibus censuum. Nec ullius momenti est altera a Canonicis facta observatio, quod nimirum Canonicus pænitentiarius fructus percipit Cappellaniæ cujusdam eidem præbendæ unitæ. Nam fructus dictę Cappellaniæ, qui annuam summam fere scutorum duodecim constituunt, in tot Sacrificiis celebrandis sunt impendendi ad rationem obulorum viginti pro quolibet Sacrificio, & si aliquo modo utilitatem, quæ provenit Pænitentiario ponderare velimus, erit*

isthæc computanda ad summam scutorum trium. Nam eleemosinæ manuales in hac Diœcesi sunt obolorum quindecim, & hæc est obolorum viginti, unde computandum est emolumentum obolorum quinque pro quolibet Sacrificio. Quibus omnibus insimul perpensis justum, & æquum mihi videtur, ut EE. VV. suam sententiam proferre debeant favore Canonici Francisci Mariæ Biordi prout vobis enixe commendo.

Dum Canonici contendunt sibi debitas esse punctaturas ex vacanti præbenda pænitentiarii, concedunt stipendium æconomo esse persolvendum; & vicissim Canonicus Biordi, dum sibi quærit stipendium pro gesto economatu, punctaturas deberi Capitulo non diffitetur. Sed cum reditus vacantis Præbendæ pares non sint solvendis punctaturis, & præstando stipendio, controversia eo deducitur, utrum punctaturæ, an stipendium sit prius detrahendum. Punctaturas præhabendas esse Canonici defendunt, tum ex Synodo Calbetti, tum ex consuetudine. In illa enim *in Cap* 18. *de Eccles. collat.* cavetur, ut persolvatur *novo proviso, seu economo ratam proportionabilem habita ratione ad totum introitum detractis oneribus*. Unde concludunt, quod onera *punctaturarum* ante detrahenda sint, quam Æconomo stipendium præstetur. Id quod etiam ex consuetudine probatur. Nam vacante præbenda pænitentiali annis 1761. 1769. 1770., & 1781. semper Camerarius Capituli a Subcollectore Spoliorum punctaturas exegit. Aliter Capitulum careret servitio unius, alteriusque canonici, scilicet Pænitentiarii utpote vacantis, & Canonici Biordi, qui pro pænitentiario supplet, & a neutro ex his punctaturas exigeret. Non a præbendapænitentiali, quia detracto stipendio æconomi deficiunt reditus pro exolvendis punctaturis; non a Canonico Biordi, qui dum pro pænitentiarium agit, si a choro abést, mulctæ punctorum non subiicitur. Absurdum sane hoc esset maximum, ut proinde stipendium solvendum sit post solutas punctaturas, ne Canonicus Biordi, qui stipendium exigit pro æconomatu, nec, si abest a choro, punctis notatur, cum Capituli jactura locupletetur contra præceptum juris *in Leg.* 53. *de R. I.*

Hæc, quæ in scriptis Capitulum deducit Canonicus Biordi refutare studet. Hoc primum statuit, quod præcipuum præbendæ pænitentialis onus sit administratio

sa-

sacramentalis confessionis. Pænitentiarius enim habetur tamquam Parochus totius Diœcesis, & munus proprium constituitur in excipiendis confessionibus ad tradita per *Navar. cons. 26. de Pœniten. Zach. de Rep. Eccles. Cap. 24. de Capitulo, & Canon. num. 16. Barbos. ad Concil. Triden. Sess. 24. Cap. 8. de Reform. num. 21. Garzias de Benef. part. 5. Cap. 4. num. 23.* Hinc Tridentinum *Sess. 24. Cap. 8. de Reform.* precipit, ut præbenda Pænitentiarii conferatur illi, qui scientia consequtus sit lauream, moribus integritatem, ætate gravitatem. Quæ omnia cum ad prestandum servitium chori non requirantur, patet, quod in præbenda pænitentiali præ ceteris spectatur onus excipiendi sacramentalem confessionem. Vacante igitur præbenda hujusmodi cum per Æconomum impleatur præcipuum onus, quod Præbendæ imponitur, sequitur, ut stipendium præ primis præstandum sit.

Quibus nil refragare contendit Canonicus Biordi vel *Synodus Calbetti*, vel opposita *consuetudo*. Illa enim cavetur, ut onera Præbendę detrahantur antequam emolumentum proviso constituatur, sed numquam statuit inter ipsa onera quale præhabendum sit. Si igitur Æconomus præstat præcipuum onus, cui subiicitur præbenda, potior quidem videtur causa stipendii, quam punctaturarum, quæ secundarium onus servitii chori respiciunt. Ab exemplis vero, unde contraria conficitur consuetudo, numquam patet, quod in illis vacationibus datus sit æconomus Præbendæ pænitentiali, & punctaturæ solutæ prius sint, quàm Economo stipendium retribueretur. Falsum tandem esse dicit, quod ipse cum aliena jactura locupletetur, dum stipendium exigit pro excipiendis confessionibus, & immunis fit a punctaturis quo tempore Sacramentum pænitentiæ administrat. Quemadmodum enim ipse uno, alteroque onere gravatur, ita non incongruum est, ut duplex emolumentum obtineat. Stipendium siquidem ex vacanti præbenda pænitentiali ei debitum est, dum onus præstat, quod suæ Præbendæ non inest. *Dignus* siquidem *est operarius mercede sua.* Eximitur vero a servitio chori pro sua prębenda, cum ipse non arbitratu suo, sed imperante Episcopo, & ex legitima causa a choro absit. Sicuti igitur Penitentiarius dum confessiones audit legitime a choro vacat ex privi-

 le-

legio a Tridentino concesso *Sess.* 24. *cap.*8. *de Reform.*; ita æquum est eum eodem privilegio frui, qui in hoc onere suffectus est, ut S. Congregatio *in Lucana* 10. *Martii* 1635. = *censuit Oratori ita in locum Pœnitentiarii ad audiendas confessiones ex necessitate, & ex legitima causa deputato, dum tempore deputationis confessiones actu, audit deberi distributiones quotidianas, non secus ac divinis in choro interesset Lib.* 15. *Decret. part.* 1. *pag.* 175. Quod si in choro deficit servitium vacantis Penitentiarii, id quidem non evenit culpa Economi, qui datus est ad excipiendas confessiones, non ad servitium chori pro pænitentiario implendum. Hinc concludit Biordus, quod pro vacanti præbenda solvendæ quidem sint punctaturæ, sed post detractum stipendium Æconomi, qui præcipuum onus vacantis præbendæ præstat.

Ex his in utramque partem disputatis emergit Dubium. *An & quomodo pro vacante Præbenda Pœnitentiali solvendæ sint punctaturæ in casu &c.*

Affirmative deducto prius stipendio æconomi.

*Ses.*23.*cap.*13. *de Reform.*

SIRACUSANA IRREGULARITATIS. Joseph Cutello Clarimontanus Siracusanæ Diecesis, cum tonsor esset, in Ecclesia nomen suum profiteri cupiens, negocium commisit cuidam personæ, quæ extorsit dimissorias a Magno Priore Hyerosolimitano Messanæ degente, licet Cutellius numquam in hoc Ordine professionem emisisset, aut Novitiatum ægisset. Hisce dimissorialibus fretus intra paucos dies minores, majoresque ordines suscepit extra propriam Diæcesim. At in patria sua reversus incidit in admirationem populi, cum eum videret tam brevi tempore ex tonsore factum esse Præsbiterum. Hinc rumor fuit quod malis artibus dimissoriales, & ordines consequtus esset. Id quod cum revera evenisse Cutellius novisset, a S. Penitentieria exoravit, obtinuitque absolutionem a censuris = *citra tamen dispensationem ab irregularitate pro qua*

qua recurrat ad S. Congregationem Concilii = ut ex Rescripto diei 24. *Julii* 1801. Sed antequam hoc rescriptum obtineret, Missam celebravit, & postquam illud impetravit, alia sacra triginta sex in rurali Ecclesia occulto confecit, & semel iterumque in Diaconatu ministravit, quin dispensationem ab irregularitate consequtus esset.

Hinc denuo ad S. Pænitentiariam recursum habuit, quæ ex gratia speciali Ordinario facultatem dedit, ut illam dispensare posset ab irregularitate in utroque foro, ut ex Rescripto diei 6. *Novembris* 1802. Sed Episcopus Siracusanus ratus eumdem Cutellium aliis, quam S. Pænitentieriæ exposuerat, irregularitatibus subiici, eidem dispensationem impertiri noluit. Quare Cutellius nunc supplicat huic S. Congregationi pro dispensatione, & rehabilitatione ob incursam irregularitatem, & suspensionem. Auditus Episcopus est, qui affirmat = *Infelicem Oratorem commiserans omnem operam adhibui, ut lingua latina, & sufficienti legum Ecclesiasticarum notitia, præceptorum ope videretur instructus, & jam expleto duorum annorum curriculo, peracto examine vix idoneum inveni. Non ambigitur gravia esse ejus crimina, sed parcendum viro imperito legum Ecclesiæ, qui desiderio flagrans obtinendi Sacerdotium, fraudibus hominis licet ecclesiastici, sed pecuniam inihiantis deceptus fuit. Præsbiter inaugaratus est, & licet de patrimonio provisus sit; attamen omnia ad vitam necessaria comparare nequit absque Missæ stipendio. Non decet Sacerdotem ad sordidam artem abiicere. Oro igitur, ut mihi permissum sit, quod postquam magis idoneum jugi studio comperiam, eumdem a quibusvis sententiis, censuris, & pœnis absolvere possim, & cum eadem super irregularitatibus ex Apostolica authoritate dispensare.*

Dum malis artibus dimissoriales extorsit Cutellius, perinde est ac si ordines furtive susceperit, adeoque in suspensionem incidit ex Constit. Innocentii XII. = *Speculatores* §. 15., & irregularitatem contrhaxit ut *ex Cap. Veniens de eo qui furtiv. ord. suscep.* tradit *Habert in sua Theolog. de Ordin. Censur.*, & *irregularit. Part.* 3, *Cap.* 6. §. 12., & S. Congregatio *in Granaten. Irregularitatis* 8. *Julii* 1786. Cum vero ita suspensus in ordine ministrasset, & Sacra confecisset; etiam

ex

ex hoc irregularis evasit *ex Cap. Si quis Episcopus* 11. *Quæst.* 3. *Cap. Is qui & Cap. Is cui de Senten. excomun. in* 6. Præcipue, quia antequam absolutionem a censuris a S. Penitentieria impetrasset Sacrificia celebravit. Nam scienter censuras, violavit, & suspensionem despexit ut ex *Cap.* 20. *de Sententia Excomunicat.* Tandem cum prorsus illitteratus sit pari irregularitate subiicitur *Can. Illetteratos Dist in.* 36. Etenim Episcopus affirmat, quod ordines suscepit quin latinam linguam calleret, & prorsus erat ignarus legibus Ecclesiasticis. At ad minores ordines suscipiendos requiritur scientia latinæ linguæ, & ad Præsbiteratum nemo promoveri potest, nisi populum docere sciat, ut ex Trident. *Sess.* 23. *Cap.* 4. 11. 13. *de Reform.*

Verum nunc pro Oratore intercedit ipse Episcopus, cujus favor semper plurimi fecit S. Congregatio, ut indulgentiam adhiberet *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763., *& in Urbevetana Irregularitatis* 20. *Martii* 1790. Et quamquam Episcopus fateatur gravia esse delicta a Cutellio commissa, attamen putat, quod ejus imperitiæ tribuendam sit, & culpæ illius, qui malis artibus dimissoriales extorsit. Facilius quidem indulgetur ei, qui mala fide, & malitia caret ut *in Congregationis Cistercensis* 28. *Novembris* 1789. Accedit tandem, quod Catellius licet patrimonium habeat; nihilominus necessariis caret, quæ ad vitam substentandam requiruntur. Ne igitur in dedecus ordinis, aut mendicare, aut artem sordidam exercere cogatur, concedenda ei videtur rehabilitatio, & dispensatio, quatenus idoneus comperiatur.

Dubium est.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro rehabilitatione, & dispensatione in casu &c.

Negative.

FA-

FABRIANEN. CAPPELLANIÆ. Quamquam *anno* 1684. Hippolitus Santachiara in Collegiata Ecclesia S. Nicolai Fabriani Beneficium fundasset, cui assignavit fundum, unde quotannis scuta viginti quinque percipiebantur, & onus imposuisset, Beneficiato = *di celebrare cento Messe l' anno in detto Altare, e di assistere nei giorni festivi al coro*; = attamen recusante Episcopo conditiones hujusmodi acceptare, incongrua quoniam esset dos, impositis oneribus subeundis; ipse Fundator mutata voluntate Beneficium denuo anno 1686. erexit probante Episcopo = *coll'obligo al Cappellano solamente di celebrare le Messe ne' giorni festivi, e togliendo l' obligo del coro*. Vacat nunc beneficium hujusmodi ab obitu Præsbiteri Bernardini Merli, qui postremus Rector fundum Beneficii meliorem reddidit ita, ut pro aucto rerum pretio fructus annui ad scuta *quadraginta* accreverint. Hinc duo concurrunt Præsbiteri, qui paratos se Capitulo exhibent ad onus Chori alternativum præstandum ad instar Canonicorum. Qua ex re Capitulum Collegiatæ Fabriani, cui ex fundatione juspatronatus hujus beneficii pertinet, deprecatur ab hac S. Congregatione, ut novo eligendo Beneficiato onus imponatur alternativi servitii chori, & missam conventualem canendi diebus ferialibus, dummodo tamen missæ, quæ ex fundatione singulis diebus fæstis celebrandæ sunt ad *triginta* annuas reducantur. Episcopus favet instantiæ in sua *Informatione. Agitur* inquit, *de onere quod chori servitium juxta primevam Fundatoris mentem, aliquo modo repristinando potius, quam innovando, ad quod substinendum Beneficii reditus nuper aucti satis esse videntur. Attenta evidenti Ecclesiæ utilitate, & necessitate augendi individuorum numerum pro chorali servitio, quam maxime expedit Missarum celebrationem minuere*. *Ses.24. cap.15. de Reform.*

Testator quidem in prima fundatione imposuit onus servitii chori, in altera vero idcirco delevit, quia annuus ex fundo reditus idoneus non erat centum Missis celebrandis, & chorali obeundo servitio in diebus festis. Nunc vero si aucti sunt reditus Beneficii profecto consonum videtur ejus voluntati, si onus servitii chori novo Beneficiato imponatur. Nec hoc novum onus ca-

caret emolumento. Nam si nunc redunt ex Beneficii fundo annua scuta *quadraginta*, jam demptis sc. 16.40. pro elemosina ad perpetuam *octoginta duo* Missarum quæ diebus fæstis sunt celebrandæ, supersunt profecto annua scuta 23. 60. in stipendium servitii chori. Unde si nec præsumpta Testatoris voluntas, nec detrimentum Beneficiati obest novo imponendo oneri, certe quidem annuendum erit precibus Capituli Patroni eo magis, quia Episcopus affirmat, quod expedit augere numerum eorum, qui choro interesse teneantur.

Sed gravior esse poterit quæstio num Missæ in fundatione præscriptæ reducendæ sint ad annuas triginta. Hoc quidem repugnat voluntati fundatoris. Nam ipse Missas ita præ servitio chori habuit, ut hoc potius, quam illas deleverit. Quare nisi necessaria concurrat causa concedenda non est reductio. Sac. Congregatio aliquando consuluit tenuitati Præbendarum per reductionem Missarum ut *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759., & *in Nucerina Reductionis* 13. *Martii* 1784.. Sed hoc quidem consilium cæpit, cum alia media deficerent a Tridentino *sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.* præscripta, & ut provideret præbendis jam erectis. Videant igitur EE. PP. num hæc convenire possint rei nostræ. Agitur enim de reducendis Missis, ut servitium chori imponatur. Rursus agitur de beneficio cujus aucti reditus utrumque onus ferre posse videntur, ut superius observatum est, & absurdum nimis esset, ut post auctos reditus Missæ reducerentur.

Dubium est.

An, & quomodo imponendum sit onus servitii Chori in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

NUL-

NULLIUS GUASTALLÆ PRÆBENDÆ. Ex fructibus Prædii in Agro Vastallensi positi nonnulla annua legata præstanda mandavit Julius Cæsar Bojani in postremis tabulis, quas ipse scripsit. Jussit scilicet, ut in Cathedrali Ecclesia S. Petri Vastallæ erigeretur Præbenda Canonicalis = *di annue rendite, ed entrate degl' altri Canonicati già eretti, e fondati nella detta Chiesa considerato sempre il tempo della fondazione* =: ut scuta *duodecim* quotannis solverentur Sacrario pro utensilibus; ut scuta *viginti* erogarentur in comparanda cera, cum supplicationes celebrarentur SS. Martiribus ad avertendas tempestates: ut ex annuis scutis *viginti* sacra annua conficerentur in expiationem animarum purgantium: ut = *fatte tutte le predette detrazzioni dell'annue entrate di detta possessione vuole il Testatore, che il residuo di esse sia speso per celebrare tante Messe in Chiesa de medesimi Sign. Capitolari ogni anno in perpetuo con l'elemosina solita e consueta, che correrà di tempo in tempo, in modo tale, che mai si possa ricercare ne ottenere riduzzione di sorte alcuna*. Heredem tandem instituit Canonicum Josephum Bajani Nepotem suum, cui arbitrium dedit = *di risolvere, o disporre in altro modo di quello ha disposto il Testatore, e sopra l'entrate farne altro legato pio, purchè la disposizione ridondi in causa pia, ed in prò dell'anima del Testatore, rimettendo il tutto a di lui arbitrio, e confidando nella gran dabenaggine, e prudenza del Signor Erede, purchè però non si manchi dalla prestazione delli scudi venti per l'illuminazione come dell'altri scudi venti per le Messe di requie* = Jus vero nominandi Canonicum, simulque prædii legati administrationem post obitum hæredis Capitulo concessit. *Ses. 24. cap. 7. de Reform.*

Authoritate Ordinarii *anno* 1695. Præbenda Canonicalis ab hærede erecta est, & assignata fuere = *pro illius dote ad instar dictorum aliorum Canonicatuum scuta centum quinquaginta novem, Libras quatuor, & solidos quindecim* (quæ æquant scuta romana tres & quinquaginta) *ex reditibus, & fructibus supradictæ proprietatis, & possessionis*. Modo hanc præbendam obtinet Præsbiter Franciscus Lorenzini, qui cum infirma valetudine laboret, oculisque careat, augumen-

tum suae praebendae a SSmo imploravit ea praecipue de causa, quia reliquę Canonicorum Prebendae accreverint, & fructus ex legata Possessione uberiores percipiantur. Sac. Congregatio, cui preces remissę fuere, audivit Episcopum, qui refert = *annum reditum bonorum a Fundatore pro dote Canonicatus gravatorum ex libris Capituli eruitur de tempore erectionis memorati Canonicatus non excessisse summam scutorum monetae romanae 193.50. Tractu vero temporis reditus ipsorum bonorum, ita aucti fuere, quod in presentiarum reperiantur ascendere ad summam scutorum 355. 55. Hinc cum Praebendae Canonicatuum, de quibus loquitur Testator fuerint de tempore erectionis Canonicatus Bojani in scutis 53., modo vero pro majori reditu bonorum eorumdem Canonicatuum auctae existant ad scuta 98. 7., facile est, intelligere augeri quoque posse Praebendam Canonicatus ab Oratore possessi. Audito Capitulo, ac omnibus interesse habentibus non modo unanimi sensu fuerunt in voto locum esse augumento praebendae, sed etiam hisce meis litteris EE. PP. rogant pro augumento. Quibus omnibus adiicio meam quoque sententiam.*

Si littera fundationis consulatur, ea quidem impedimento est, quominus augumentum Praebendae concedi possit. Voluit quidem testator, ut nova Praebenda constitueretur *dell' annua rendita, ed entrata degl' altri Canonicati già eretti, e fondati*, sed spectavit dumtaxat tempus erectionis = *considerato sempre il tempo dell' erezzione* = Inutilis quidem foret conditio hujusmodi, si voluisset Testator, ut reditus novae praebendae vices caeterarum subiissent. Satis enim dixisset, dum explicaverat animum suum, quod nova praebenda constitueretur *dell' annua rendita degl' altri Canonicati già eretti*. Dum itaque addidit conditio = *considerato sempre il tempo dell' erezzione* = dum ad certum tempus se retulit, ut novae praebendae reditus ad caeterarum normam componerentur; sequitur ut *taxative* spectandum sit tempus erectionis, nec ad augendos reditus novae praebendae confert caeterarum augumentum, quemadmodum decrementum non obstitisset, quominus novae praebendae iidem semper reditus fuissent. Praeterea augeri non potest reditus praebendae, nisi diminuantur Missae, quas Testator celebran-

das

das jussit ex reditibus superextantibus post impleta onera certa . Cum vero prohibuerit , ne = *si possa mai ricercare , ne ottenere riduzzione di sorte alcuna* = compertum est , quod noluit augeri fructus Præbendæ . Aliter non prohibuisset diminutionem Missarum , ex qua augumentum præbendæ concedi posset .

Videant tamen EE. PP. num benignior interpretatio capienda sit ex præsumpta voluntate Testatoris . Nam Ipse non prævidit , quod fructus ex prædio legato fere in duplum augerentur , & ad judicandum de casu omisso in dispositione sectanda est præsumpta disponentis voluntas , ut post *Text. in leg. 7. de legat. 2.* tradit *Averan. interpret. Jur. lib.4. cap.7. num. 12.* . Sane testator præcipuam habuit erectionem novæ præbendæ , ejusque idcirco reditus æquavit cæterarum reditibus = *considerato sempre il tempo della fondazione* = quia tum omnes canonici congruum habebant emolumentum , & fructus legati Prædii majus fortasse onus ferre non poterant .

Statuit quidem,ut quidquid supererat , in celebratione Missarum impenderetur , vetita etiam earum imminutione ex gratia impetranda , sed numquam prævidere poterat augmentum redituum a summa scutorum 193. 50. ad annuam sc. 355. 55. , ex quo fit,ut aucta quoque Præbenda,ut petitur ad annua circiter 98. ad instar cæterorum Canonicatuum , semper multo pluris supererit pro celebrandis Missis , quam quod de tempore erectionis superexstabat . Neque ita de augendo Missarum numero sollicitus fuit Testator , ut ipsas præ omnibus sibi maxime cordi fuisse in Fundatione pateat . Nam cum omnia, quæ jam relata sunt disposuisset , omnimodam potestatem Hæredi suo fecit variandi erectionem Legati Pii , dummodo sarcta tecta serventur annua scuta viginti in Missas pro Defunctis celebrandas , *purche però non si manchi dalla prestazione delli detti scudi venti per l'illuminazione , come anche delli altri scudi venti per celebrare tante Messe di requie* .

Nunc igitur mutatis rerum conditionibus , si reditus assignati , ut nunc sunt tempora,tenuiores sunt ; si fructus fundi legati accreverunt , ut augumentum præ-

bendae ferre possent ; erit profecto praesumendum ; quod si Testator sospes nunc fuisset ab hoc augumento non abhorreret . Maxime cum Praesbiter Lorenzini , qui hanc prębendam nunc tenet , adversa valetudine sollicitatur , & captus sit oculis,ut majora subsidia ad vitam ducendam requirat . Quibus ponderatis Capitulum , & caeteri interesse habentes ultro libenterque assentiuntur augumento , quod praeterea Episcopus probat .

Deliberandum erit.

An sit locus augumento redituum Praebendae in casu &c.

Die

Die Sabbathi 17. Decembris 1803. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FABRIANEN. CAPPELLANIÆ. *Sess. 24. cap. 15 de Reform.*

An, & quomodo imponendum sit onus servitii chori in casu &c.

Affirmative in diebus fæstis etiam reductis firma remanente celebratione Missarum ad formam fundationis.

NULLIUS GUASTALLÆ PRÆBENDÆ. *Sess. 24. cap. 7. de Reform.*

An sit locus augumento redituum Præbendæ in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium.

AMERINA VISITATIONIS SS. LIMINUM. *Sess. 7. cap. 6. de Reform.* Quæsitum fuit in Congregatione diei 12. *Februarii* 1803. *An, & quomodo sit locus unioni* trium Cappellaniarum Cathedralis Amerinæ. Duo ex his fundatæ ab Episcopo Consoli infixum habebant onus *centum quinquaginta* Missarum, quæ ab unoquoque Cappellano erant celebrandæ. Probata fuit EE. PP. unio, quam postulabat Episcopus, & attenta diminutione redituum Missæ ad annuas *biscentum* reductæ fuerunt ex Rescripto, quo antedictum *Dubium* dimissum est in sequenti Congregatione diei 26. *Martii* 1803. = *Affirma-*

mative juxta Votum Episcopi celebratis quotannis missis biscentum =

Clericus Vincentius Petrassi qui modo annum agit decimum septimum a Dataria Apostolica Cappellaniam ex tribus praeesistentibus unitam obtinuit. Sed nunc compertum est, quod ex Rescripto sa. me. Clementis XIV. per Organum S. Congregationis editum die 29. *Julii anni* 1771. missae *centum quinquaginta*, quę ex fundatione Consoli duobus Cappellanis erant impositę, reductae fuerunt ad Missam faestivam. Quare modernus Cappellanus postulat, ut moderetur Rescriptum diei 26. *proxime praeteriti Martii*, & loco missarum *biscentum* Sacrum fęstivum praescribatur, simulque, ut per alium Missam celebrare possit. Episcopus instantiae favet = *cum ex viginti locis Montium assignatis dictarum Cappellaniarum, ex quibus olim redibant annua scuta 60. partienda inter duos Cappellanos nunc citra medietatem, nempe ad duas ex quinque partibus fructus sunt reducti non computatis expensis exactionis. Dignum crederem Oratorem, ut onus Missarum celebrandarum vel per se, vel per alium in supra dicta Cathedrali reducatur ad unam missam tantum quolibet die faesto. Reductioni petitae non obstat Capitulum Cathedralis.*

I. Dubium respicit moderationem Rescripti *diei* 26. *Martii* 1803. circa numerum Missarum, & EE. PP. reasumptis Foliis dierum 12. *Februarii*, & 26. *Martii* labentis anni decerpere dignabuntur in quo numero Missae sint celebrandae. Observandum est, quod ex fundatione Consoli duplex Missa faestiva celebranda est. ita ut si unus Cappellanus utramque Cappellaniam possidet, annuas Missas 160. implere deberet. Quae missae, si ad *perpetuam* taxentur, requirunt annua *scuta* 32., scilicet multo plus, quam nunc reddant Cappellaniae, quarum fructus ad scuta 24. annua diminuta sunt.

II. Dubium eo spectat num sit concedenda facultas celebrandi per alium. Id quidem repugnat voluntati Fundatoris Praesulis Consoli, qui expresse jussit = *vogliamo, che detti due Cappellani siano obligati celebrare per se ipsos, ne possano mai surrogare altro Sacerdote, se non in caso di vera infermità, e di legitima assen-*

senza extra Diœcesim. Ex quo præcepto celebrandi *per se ipsos* eruitur qualitas SacerdotalisCappellaniarum, ut a Clerico retineri non possit *Fagnan. in Cap. Abbates num.* 65. *de etat.*, & *qualit. ordinand. Antonell. de jur.*, & *onor. Cleric. lib.* 1. *Cap.* 29. *num.* 11. Quo casu concedi non solet dispensatio ætatis, nisi infra annum Sacerdotium suscipere possit, idem *Fagnan. in Cap. Conquerente num.*29. *de Cleric. non residen.* Orator agit annum decimum septimum, nec est Fundatori conjunctus, ut saltem ex hoc facilius dispensatio ætatis concedatur, quemadmodum alias Sac. Congregatio concessit in *Anconitana Cappellaniœ* 12. *Junii* 1762., & *in Senogaglien. Cappellaniœ* 17. *Aprilis* 1790. Videant tamen EE. PP. num aliquid indulgendum sit Oratori, qui novam Cappellaniam ex tribus præexistentibus unitam consequtus est ex Litteris Apostolicis; ita ut cum nulli amplius præjudicium inferatur, concedenda quidem sit Oratori dispensatio ætatis, unde possit per alios celebrare, donec ad legitimam ætatem suscipiendi Sacerdotii pervenerit.

Gemina proponuntur Dubia.

I. An, & quomodo sit exequendum rescriptum diei 26. Martii quoad numerum Missarum in casu &c.

II. An, & quomodo sit concedenda dispensatio œtatis favore Clerici Petrassi in casu &c.

Ad I. affirmative pro missis 160. ad formam Rescripti 29. Julii 1771. pro medietate celebrandis diebus festis.

Ad II. Consulendum SSmo pro dispensetione ætatis, donec ad legetimam perveniat per Bullas.

LUCANA CONCURSUS. Rogati EE. PP. in Congregatione diei 21. *Maij proximi prœteriti* = *An constet de irrationabili judicio examinatorum*, responderunt = *Dilata*, & *afferantur integra acta concursus* = Hæc a Cancellario Episcopali firmata affert nunc Pelliccionus, & eadem illa sunt, quæ, probante me, impressa distribuet EE. VV. Præsbiter Pelliccioni Marazzini, qui ut a se repulsæ notam removeat, quam ab Examinatoribus tulit, injustum esse eorum judicium contendit in præterita *Allegatione*, quam una cum Folio *Ses.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*

lio hujus Causæ reassumere dignentur EE. VV., iterumque deliberare.

An constet de irrationabili judicio examinatorum in casu &c.

Dilata, & amplius non reproponatur, nisi exhibeantur integra acta, vel eorum authenticum exemplar ad formam Constitutionis S. M. Benedicti XIV. *Cum illud*.

Ses. 24. cap. 18. de Reform.

NULLIUS GUASTALLÆ SUSPENSIONIS. Jacobus Biaggi ortus in Civitate Guastaliæ, ibidem in paterna domo semper mansit, & cum Ecclesię nomen dare cuperet, de Beneficio Ecclesiastico provisus minores suscepit ordines ab Abbate Guastaliensi, cui omnimode subiiciebatur, & origine, & domicilio, & beneficio. Sed ab anno 1795. vitam instituit Ecclesiastico viro prorsus indignam. Nam pellexit puellam honestioris conditionis, eoque consuetudinem hujusmodi perduxit, ut post biennium cum ea vellet inire nuptias. Repugnabant parentes puellę, & Superioris Ecclesiastici authoritatem implorarunt. Ut eorum consilia ludificaret Clericus Biaggi *die* 15. *Junii anni* 1797., cum noctesceret, puellàm e domo paterna abduxit petens mænia civitatis, ut in fugam se committeret. Sed explorata re deprehensus est, & in vinculis conjectus multa palam jactare cæpit, ut in vulgus spargeret se virginem ludibrio habuisse, quo facilius ad optatas nuptias perveniret. Sed puellam a civitate removerunt parentes usque dum eam in matrimonium cum honestissimo viro collocarunt. Non destitit interea Clericus Biaggi litteris, nunciisque animum adolescentulæ tentare, & postquam nupta est, cum domum adire non posset, eam per viam sectari, vel opperiri solebat, & in Ecclesiis sistere coram, ut suos oculos pasceret, & aliorum oculos in offensionem, scandalumque adduceret.

Sic præterea vita erat Clerici Biaggi. Sæpe injuriosus percusiones in alios impegit, sæpe impudens pravas consuetudines cum mulierculis palam habuit, sæpe maledicus aliorum famam satyris deturpavit. Choreas frequentavit, & duxit; libros obscenitatis, impietatisque plenos adhibuit in aliorum subversionem haud

par

parcens sexui, & ætati. Ex quibus cum esset omnibus invisus Guastallam deseruit die 30. *Novembris* 1801., Mantuamque venit. Quo loci mores suos continuit, & simulavit ita, ut duo beneficia consequutus sit: scilicet Cappellaniam in Ecclesia S. Appolloniæ Civitatis Mantuæ annui reditus scutorum 65. cum onere *sexaginta* Missarum, & Beneficium simplex, quod erectum est in Ecclesia Carbonariæ Mantuanæ Diœcesis, ex quo scuta 54. quotannis percipiuntur, ut Sacra *duodecim* conficiantur. Quorum beneficiorum fructus, cum longe superarent taxam Synodalem postulavit ab Episcopo Mantuano, ut ratione Beneficii promoveretur ad Subdiaconatum. Sed repulsus est; nisi *testimoniales* Ordinarii Guastallensis exhiberet.

Oportuit itaque Clerico Biaggi adire Ordinarium suum Guastallensem, qui *testimoniales* non semel, sed sæpius concedere recusavit, licet Clericus officia, comendationemque interposuisset eorum, quorum nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere voluisset Ordinarius Guastallensis, nisi de indigno ageretur. Tum igitur ingenium vertit ad perfidiam. Nam in Curia Mantuana exhibuit attestationes omni tamen legalitate destitutas Archipræsbiteri Guastallensis, alteram datam *anno* 1793., alteram mense Novembris *anni* 1801., in quibus affirmabat Clericum Biaggi sacramenta frequentasse. Rursus exhibuit Epistolam Theologi Ordinarii Guastallensis scriptam die 21. *Martii* 1803., in qua Clericum Biaggi certiorem facit = *Datevi pace, che siete consolato. Monsignor ha fatto scrivere a cotesto Monsignor Vescovo, ed ha approvato, che siate pure ordinato* = Ex his Curia Ecclesiastica Mantuana concessit Clerico Biaggi *Litteras Dimissoriales ad quoscumque* cum ipse Episcopus oculis captus ordinationes facere nequeat. Ita Clericus Biaggi nulla interposita mora Cremonam advolat, & in Sabbato *sitientes*, scilicet die 26. *Martii* ab Episcopo Cremonensi Subdiaconatum suscepit, quin tum brevi tempore spiritualibus exercitiis vacaret, & monitiones, examenque præmitteret, quæ omnia a Sacros. Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 5. *de Reform.* præscripta omnino transgressus est.

Ubi hæc comperta habuit Ordinarius Guastallensis statim certiorem reddidit Episcopum Mantuæ, & præterea ad eumdem allegavit suum Cancellarium, ut rem omnem exploraret. Hoc temporis intervallo ad eumdem Episcopum Mantuanum publicus Tabellarius Epistolam attulit scriptam die 31. *Martii anni* 1803. a Fratre Clerici Biaggi, in qua fatetur se nomine simulato Theologi litteram diei 21. *Martii* scripsisse, in qua assensum Ordinarii Guastallensis mentitus est, hæc autem omnia fecisse imprudente fratre suo Clerico Biaggi. Curia Ecclesiastica Mantuæ sumptum authenticum harum Epistolarum communicavit Cancellario Curiæ Guastallensis, qui postea ad suum Ordinarium reversus examini subjecit Fratrem Clerici Biagi, qui negavit se litteras illas scribere potuisse, quippe qui sutoriam semper exercens artem vix nomen suum scribere didicerat. Hinc non latuere doli Clerici Biaggi, qui primam epistolam simulavit, ut dimissoriales subriperet, alteram, ut a se fraudis suspicionem avverteret. Quare tum Abbas Guastallensis, tum Episcopus Mantuanus Subdiaconum Biaggi suspenderunt.

Patent hæc omnia ex utraque *Informatione* Abbatis, & Episcopi, quæ exquisita est super precibus a Subdiacono Biaggi huic S. Congregationi oblatis, ut ad reliquos ordines promoveri posset cum dimissoriis Episcopi Mantuani. Hic nihilominus favet Oratori. *Nondum*, inquit, *potui causam agnoscere, qua superlaudatus Abbas postulanti Clerico testimoniales jure recuset. Non enim attendendam iterum video juvenilem quamdam aberrationem a pœnitentia trium Mensium a Cœnobio Minorum Observantium expiatam, & per septem circiter annos probæ vitæ jam deletam* = Sed omnino repugnat Abbas Guastallensis, qui postquam vitam Subdiaconi Biaggi narravit actam tempore, quo Guastallæ commoratus est, hæc addit, quæ respiciunt tempus quo Mantuam incoluit = *Quam vero fidem mereantur testimoniales a Jacobo Biaggi Congregationi exhibitæ super istius vita, & moribus ex infradicendis clare constabit. Fortuito obvenerunt mihi quamplurimæ epistolæ autographæ dicti Jacobi ad Amicum suum Guastallensem totum fere illud tempus complectentes, quod Mantuæ, in minoribus adhuc constitutus transe-*

git,

git. In his epistolis proh dolor? NOMEN DEI SANCTUM non semel ac pæne per jocum in vanum assumitur; inhonesta verba proferuntur; Sacri Ministri contemptui habentur; ac demum sermo instituitur de illis, quæ præcipit Apostolus, nec nominari in nobis. Hasce litteras apud me diligenti custodia conservo, earum exemplaria producturus, si operæ pretium fuerit, ut prudens quisque judicare possit, an ipsarum author firmiter emendatus censendus sit. Quibus omnibus perpensis in eam esse sententiam Oratoris preces prorsus reiiciendas, ipsumque a majoribus ordinibus prohibendam non modo, verum etiam dudum a me illi inflictam pœnam juxta Innocentianam Constitutionem confirmandam esse, suspensionis videlicet a suscepto Ordine Subdiaconatus.

Profecto Clericus Biaggi duo Beneficia in Diœcesi Mantuana consequtus est, quorum redditus excedunt taxam Synodalem, quæ congruæ sustentationi præscripta est. Quamquam vero ex hoc subditus Episcopi Mantuani ratione beneficii factus sit *ex Cap. nullus 3. de temp. ordinat in 6. & Trident. sess. 25. Cap. 9. de Reform.*, attamen cum = *legitime jam a proprio Episcopo ad clericalem Tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit* non poterat *ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius Diœcesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante earumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit*, ut iisdem verbis præscribitur in *Constit. Innocentii XII.* edita *die 4. Novembris 1694.* cujus initium *Speculatores* §. 7. In actis quidem Curiæ Mantuanæ exhibitæ non fuerunt *testimoniales* Abbatis Guastallensis. Nec epistola illa *diei 21. Martii* 1803. quæ mentito Theologi Abbatis Guastallensis nomine scripta est supplere potest *testimoniales*. Nam licet legitima fuisset, se refert ad Epistolam ab Ordinario scriptam = *Monsignore ha fatto scrivere a cotesto Monsignor Vescovo, ed ha approvato che siate ordinato* = adeoque utpote *referens sine relato* nil sane confert ad supplendas testimoniales. Merito igitur Abbas Guastallensis suspensionem inflixit, quæ ex ipsa Consti-

stitutione *Speculatores* interminatur in §. 15. *Ita vero præmissa omnia & singula perpetua, ac inviolabiliter observari atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum exequtione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire eo ipso suspensus sit.*

Accedit, quod littera illa omnino apocripha transmissa est fraude ipsius Clerici Biaggi itaut cum malis artibus *dimissoriales* extorserit, ordinesque proinde furtive, & adhibita fraude susceperit in irregularitatem omnino incidit ex *Cap. veniens de eo qui furtiv. ord. suscep. Habert in sua Theolog. de Ordin. Censur. & irregularit. part. 3. Cap. 6. §. 12.* & Sac. Congreg. *in Granaten. Irregularitatis 8. Julii 1786. & in Syracusana Irregularitatis 26. Novembris nuper elapsi.* Utrum vero Orator dignus sit, qui dispensationem & rehabilitationem consequatur, existimare poterunt EE. PP. ex his, quæ in facto deducta sunt.

Dubium proponitur.

An sit servanda suspensio, seu potius sit consulendum SSmo pro dispensatione, & rehabilitatione in casu &c.

Affirmative ad primam partem Negative ad secundam, & ad mentem = Mens est quod scribatur Episcopo Mantuano, ut consulat cosoientiæ suç.

Ses. 23. cap. 1. de Reform.

VISEN. APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO.

Iisdem verbis, quibus modernus Episcopus Visensis utitur, POSTULATUM vobis EE. PP. proponam quod ipse *in Relatione Status Ecclesiæ* exponit.

Ait = *Sibi innotuisse, quod quidem in Prædecessorum suorum mentem non venit, nullam umquam Missam pro Populo a Cathedralis Parochis celebratam fuisse. Ut primum defectum hunc perspectum habuit illico jussit singulis Dominicis, festisque diebus alternatim ab ipsis Parochis, unicum pro Populo expensis quoque Oratoris Sacrificium offerre. Unicum inquam. Licet enim Parœciæ Cathedralis quatuor vulgariter dicantur, quatuorque egomet illas huc usque dixissem ex eo, quod quatuor sunt Præsbiteri, qui in quadripartito* Ter-

Territorio curam exercent, attamen Missa pro Populo unica esse videtur, quia unica Ecclesia, unicumque Tabernaculum est. Insuper Curati ipsi non proprie titulares, sed revera coadjutores sunt. Adimplent enim parrochialia munia nomine Episcopi, cui Parochianorum cura immediate incumbit. Ideo ipsemet Episcopus Orator approbationem, & confirmationem enunciatæ providentiæ implorat.

Quibus, ut EE. VV. congruam dare possint responsionem, quædam in facto observanda sunt, quæ ipse Episcopus Visensis suppeditat *in Relatione Status Ecclesiæ.* Ecclesia namque Visensis inter antiquiores Lusitaniæ accensetur. Sed quo tempore, Mahomettani eas regiones tenebant, unita fuit Ecclesiæ Colimbrensi usque dum Alphonsus Henriquesius depulsis invasoribus Ecclesiam Visensem ad primævam dignitatem Episcopalem restituit. Universa nunc Diæcesis dividitur præter, Cathedralem, in quinque Archipræsbiteratus, qui curam exercent per alios *nonaginta sex* Parochos nuncupatos *annuales*, quippe quos ad nutum amovibiles, Ecclesiæ vero Cathedralis cura late patet per totam civitatem & per suburbium. Amplum hoc territorium, quod multis, dissitisque pagis constat quadripartitum est inter totidem Cappellanos Curatos non perpetuos & titulares, sed coadjutores, & amovibiles qui pro Parrochiali Ecclesia unicam Cathedralem habent. Olim hos Cappellanos Curatos præsentabat Capitulum Cathedralis. Sed antecessor Episcopus Gregorius de Attaide hanc jurisdictionem sibi vindicare cæpit instaurato opportuno judicio, quod absolutum est per onerosam transactionem authoritate Apostolica confirmatam, ex qua deinceps Episcopi Visenses Parochiam Cathedralis per quatuor Cappellanos Curatos a se nominatos exercuerunt.

Merito igitur Episcopus modernus de applicatione Missæ pro Populo in Paræcia Cathedralis sollicitus est. Dum enim illa Paræcia caret hac applicatione, destituitur illo Sagrificio, quod quisque Parochus tenetur offerre pro portione ovium sibi commissa, dum Episcopus pro universo grege Missam applicare cogitur. Sed cum unica sit Ecclesia, & unicum taberna-

cu-

culum, & cura immediate Episcopo incumbat, dum Curati nomine Episcopi patrochialia munia præstant; profecto unica videtur constituta Paræcia, licet inter Parochos quadripartitum sit territorium, quo diligentius curam obire possint. Ubi vero unica est paræcia licet plures sint Parochi unam tantum Missam pro Populo celebrandam, & applicandam esse definivit Sac. Congregatio in *Balneoregien. Missæ Parochialis, & Conventualis* 19. *Augusti* 1713. *relata in Thesaur. post annum* 1740. *pag.* 182. in qua proposito VII. Dubio = *An quatenus Missa parochialis sit celebranda in diebus festivis a Canonicis Curatis in Parochia Contradæ Rehotæ sufficiat celebratio, & applicatio unius Missæ pro Populo, seu potius ambo Canonici Curati teneantur ad applicationem supradictæ Missæ* = rescriptum fuit = *Ad septimum sufficere unicam celebrationem, & applicationem.*

Ex Tridentino vero *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* statuitur, quod = *precepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est oves suas agnoscere pro his Sacrificium offerre*, atque idcirco si Episcopus retinet Curam Paræciæ Cathedralis, ipse applicare tenetur Missam pro Populo. Neque si Episcopus tamquam totius Diæcesis Parochus pro universo grege Missam applicat ut tenent *Bonacin. quæst. ultim. punct.* 7. *in fin. Gavant. Comment. in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 12. *num.* 17. *pag.* 223. *Murga de Benef. quæst.* 2. *sect.* 2. *num.* 597. idcirco eximi poterit ab applicanda Missa pro Parochianis: Nam si ipse curam parochialem Cathedralis gerit nedum pro universo grege, sed etiam pro ovibus Paræciæ duo distincta Sacrificia offerre debet. Nam Curati, qui ejus nomine munia parrochialia exercent, cum titulares non sint, sed coadjutores ad applicationem Missæ pro Populo non tenentur ut definivit Sac. Congregatio *in Tyburtina Applicationis Missæ pro Populo* 21. *Novembris* 1801.

Id quod optime noscit vigilantissimus Episcopus, dum nil aliud postulat, quam, ut suo sumptu Missa alternatim a Parochis applicetur. Quamquam vero applicatio Missæ pro Populo ita pastoribus imposita sit, ut per se, & non per alium substitum eam implere debeant

beant, ut prescripsit S. Congregatio *in Fesulana Missæ Parrochialis 26. Januarii 1771.*; Attamen si quod subsit necessarium impedimentum, quominus per se applicare nequeant, eisdem S. Congregatio permittit, ut per alios supplere possint, ut *in Comen. Missæ Parrochialis, & Conventualis 11. Maij 1720. ad V. Dubium*. Impeditus legitime videtur Episcopus, ne applicationem pro Parrochianis præstare possit, dum id pro universo grege facere tenetur.

Probanda itaque videtur *Providentia* ab ipso suscepta usque dum alio modo consulatur exercitio Curæ Cathedralis. Id quod Episcopus secum deliberare profitetur *in Relatione Status Ecclesiæ*. Optandum quidem esset, ut tam ampla Paræcia divideretur ita, ut cura actualis Vicariis perpetuis concedatur, qui Missas pro Populo applicent, & cura habitualis penes Episcopos remaneat.

Dubium proponitur.

An unica Missa pro Populo, & a quo sit applicanda in casu &c.

Affirmative sumptibus Parochi, & ad mentem.

SUTRINA UNIONIS, ET REDUCTIONIS. Duo sunt in Cathedrali Sutrina Præbendæ Canonicales, adeo fructibus tenues, ut nemo eas consequi velit nunc, cum vacantes sint. Altera ex fundatore Jacobo Grilli nuncupata Divo Jacobo conferenda est a Capitulo vel Ecclesiæ Sacristæ, vel Clericis inservientibus, quatenus idonei comperiantur. Annuos habet reditus in scutis 29. 87., & pro obeundo alternativo servitio Chori libera supersunt Canonico scuta 5. 81. Gravatur enim in annuis scutis 24.5. in causam vectigalium, & Missarum. Harum aliæ in *num*. 63. communes sunt singulis Canonicis pro oneribus beneficiorum, quæ massæ Capitulari unita sunt aliæ sunt Conventuales, quæ inter omnes Capitulares solita vice dispertita unicuique in numero 21. quotannis obtingunt; aliæ demum propriæ sunt præbendæ, & a Fundatore impo- *Ses. 24. cap. 15. de Reform.*

si-

sitæ, ita, ut = *Canonicus obligatus sit singulis hebdomadis celebrare duas Missas unam die lunæ, alteram die Mercurii in Cappella constituenda in Ecclesia S. Francisci de Sutrio, & in Festivitatibus S. Jacobi celebrare, seu cantare facere Missam magnam in honorem dicti S. Jacobi*. Paullo redundantior est fructibus altera Præbenda, quæ ad liberam collationem Ordinarii pertinet. Nam ex annuo reditu *scutorum* 33. 15. superextant *scuta* 11. 22. immunia ab oneribus, quæ in scutis 21. 93. calculantur pro vectigalibus, & Missis propriis præbendæ in *numero* 66. ultre communes, & conventuales.

Vigilantissimus Episcopus subverens, ne ob imminutum Sacerdotum numerum, & redituum tenuitatem impossibilis aut diuturna futura sit Præbendarum vacatio deprecatus est ab hac S. Congregatione duorum Canonicatuum unionem, ex qua nullam detrimentum capere potest divinus cultus, cum tresdecim sint Canonici, qui cum Archipræsbitero choro intersunt. Ita autem unionem faciendam esse postulat, ut una constituenda præbenda alternatim ab eodem Episcopo, ejusque Successoribus, & a Capitulo conferenda sit, & pro prima vice a Dataria Apostolica; simulque, ut Missarum reductio fiat, quo congruentiores reditus Canonico assignentur. Implorat autem, ut gratia per *Rescriptum* indulgeatur, cum aliter inutilis esset per Bullas, quarum impensas nemo suppeditare posset.

Hæc omnia excerpsi *ex Informatione* ejusdem Episcopi, qui preterea observat = *Ultra onera Missarum propria cuilibet Canonico adsunt alia Sacra* 63. *ab unoquoque Canonico celebranda pro implemento onerum Beneficiorum ab immemorabili tempore unitorum Massæ Capitulari, quæque inter Canonicos fuerunt distributa. Quoties igitur horum duorum Canonicatuum unio erit peragenda, nulla earumdem Missarum reductio fieri poterit, sed quisque ex canonicis suam ratam persolvere debet, & sicuti uterque Canonicus hujusmodi onere gravabatur, ita per unionem rata unius erit dividenda æqualiter inter omnes Canonicos, quibus licet augeantur onera, augentur etiam fructus Massæ Capitularis pro deficientia unius Canonicatus, idemque ferendum*

dum erit Judicium quoad Missas Conventuales de turno. Reductio igitur locum habere debet quoad alias Missas proprias utriusque Canonicatus uniendi, illamque decernendam esse censerem in duobus Sacris quolibet mense celebrandis pro animabus Fundatorum, & Benefactorum. Auditi sunt Ministri Datariæ Apostolicæ, qui hanc unionem probarunt dummodo accederet consensus Capituli patroni alterius præbendæ. Quapropter Episcopus habitis comitiis Capitularibus die 10. *Octobris nuper elapsi* rem omnem proposuit, & Canonici secretis, plenisque suffragiis assentiti sunt = *ea conditione, ut Canonicus utriusque Præbendæ simul uniendæ futurus possessor in cunctis distributionibus tum redituum certorum, cum emolumentorum per annum obvenientium non duas, sed unam tantum partem lucrari possit, alia vero omnibus existentibus Canonicis accrescat, quemadmodum iisdem ob imminutum Capitularium numerum augetur communium onerum portio* =.

Tridentinum *sess.24. cap.15. de Reform.* cavit = *In Ecclesiis Cathedralibus &c. ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire; vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jure patronatus Laicorum sint, quarum fructus, & proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere*. Quamquam vero Præbendæ hujusmodi congruæ videri poterunt ex eo, quod a fundatione semper plene fuerint, nec Canonici qui eas possederunt, umquam onera implere recusarunt; attamen pro temporum conditione tenues judicandæ sunt, statim ac alter ex Canonicis detractis omnibus oneribus, & præcipue Missarum pro alternativo servitio chori habet *scuta* 5. 80., alter *scuta* 11. 22., quæ certe sustinendo Canonicorum

 gra-

gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiunt, ut alias definivit Sacra Congregatio *in Syracusana Reductionis Missæ Conventualis* 22. *Februarii* 1803. Dum itaque Patroni consensus accedit justa quidem subest causa, cur duo istæ Præbendæ uniantur. Quemadmodum enim divinus cultus nullum detrimentum patitur, cum uno remoto Canonico duodecim alii cum Archipræsbitero supersunt, qui servitium chori obire possunt; ita si vacuæ relinquantur Præbendæ, quas attenta paucitate Sacerdotum diu vacaturas timendum est, in reliquos Canonicos onera redundarent. In quibus terminis Sac. Congregatio unionem probavit *in Nucerina* 13. *Martii* 1784.

Modus autem, quo hæc unio facienda poscitur, Canonicis regulis consentaneus videtur, Nam si unio secumfert *extinctionem prioris status*, ut tradit *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 1. *tit*. 6. *in animadvers*, *nu*.24.; sequitur ut abrogatum esse debeat juspatronatus activum, & passivum. Repugnat id quidem voluntati Fundatoris Jacobi Grilli, qui activam nominationem Capitulo reliquit, passivam vero Sacristæ, & Clericis inservientibus. Sed quoniam res in eum statum venerit, ut voluntas Fundatoris impleri amplius non possit; sequitur, ut ex hoc justa emergat causa commutandæ voluntatis, ut statuit Sac. Congregatio *in Maceraten. Reductionis Onerum* 12. *Julii* 1794. Quare dum geminæ præbendæ uniuntur, quarum altera liberæ collationis est; altera pertinet ad præsentationem Capituli; optime consultum videtur utriusque juribus, si alternativa nominatio statuatur, dummodo pro hac prima vice relinquatur libera S. Sedi Apostolicæ. Quandoquidem hæc probent EE. PP. supplicandum erit SSmo, ut hæc fieri permittat procul ab expeditione Litterarum Apostolicarum. Nemo enim esset, qui necessarios sumptus suppeditare posset ita, ut impetrata unio effectu vacua maneret.

De *Reductione* Missarum quærendum præterea est. Nam Emus Episcopus putat, quod licet uniantur Præbendæ; Attamen nihilo plus novo Canonico ex collatis utriusque reditibus libera superessent, quam annua scuta *septemdecim*. Quare necessaria videtur re-

reductio, ut congrua portio Canonico assignetur. A qua tamen immunes esse debent Missae annuae 63., quae unicuique Canonico pertinent pro implemento onerum Beneficiorum, quae Massae Capitulari unita sunt. Missae siquidem hujusmodi, quae antea a duobus Canonicis celebrabantur, in posterum pro una portione integrae praestandae erunt à novo Canonico, & pro altera repartiendae sunt inter omnes Canonicos, quibus si uno diminuto praebendato onera augentur, fructus quoque accrescunt ex Massa distributionum. Itidem quoad Missas conventuales faciendum erit.

Reductio itaque poscitur quoad Missas proprias utriusque Praebendae. Ex fundatione Grilli duo Missae in hebdomadas singulas celebrandae sunt; ex altera annuae *sexaginta sex*. Reditus quidem impares sunt oneribus tum Missarum, tum etiam servitii chori, quod in utraque fundatione praecipuum impositum videtur. Nam facta est erectio Canonicatus, & deinde injuncta celebratio Missarum. Dum itaque graviora sunt onera quam par est; reducendae quidem sunt Missae prae servitio chori, ubi illud Testator praecipuum habuit, ut statuit S. Congregatio *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772.; & *in Urbanien.* 30. *Augusti* 1788. Ad augendas vero tenues praebendas aliquando S. Congregatio reductionem Missarum concessit *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759., & *in Nucerina Reductionis* 13. *Martii* 1784. Reductionem vero faciendam esse proponit Eminentissimus Episcopus ad geminas Missas in singulos menses.

Hinc Dubium.

An, & quomodo sit locus unioni Praebendarum, & Reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative juxta consensum Capituli, & Votum Episcopi, celebratis tamen omnibus Missis ad formam respectivarum fundationũ utriusque Canonicatus, servata passiva vocatione in nominatione Capituli facto verbo cum Sanctissimo.

Sess.7.Cap.13. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. MANUTENTIONIS SUPER BONO JURE. Ab eo tempore, cujus initii non constat memoria, inveteravit in Diæcesi Lunensi, & Sarzanensi consuetudo, ut certis anni diebus Parochi exhiberent prandia, vel cænas Clero Parochiano, qui Sacris functionibus interdiu adesset. Ab hoc usu, qui obtinebat in Paræcia *Vectiani superioris* recessit modernus Parochus Aloysius Vivaldi. Quamquam enim ei satis pinguis sit congrua in annuis scutis romanis 250., nec pluris impendi consueverat quam annua scuta *quindecim* in causam cenæ, quæ in pervigilio Nativitatis D. N. J. C., & prandii, quod in Sabato Sancto, & festo die S. Titularis parari consueverat; attamen ipse vocatis quidem Parochis Ecclesiarum filialium reliquum Clerum invitare recusavit. Hanc repulsam Clerus ferre noluit, ut proinde manutentionem, & postulaverit, & exoraverit a Vic. Generali adversus Parochum Vivaldi cui reservata fuerunt jura *in petitorio*. Sed Vivaldus appellationem ad Sanctissimum interposuit, quam postea deseruit. Nunc vero jura sibi in petitorio reservata experiri vult in hac S. Congregatione. Episcopus consuetudinem in tota Diæcesi, & præcipue in Paræcia Vectiani confirmat, & sententiam suam concludit = *censerem Præsbiteros Vectiani superioris manutenendos esse in possessione recipiendi prædicta prandia, & cænam, dumodo tamen recensitis diebus debitum, & consuetum Ecclesiæ præstent servitium, cujus intuitu etiam ab initio dicta prandia data fuisse eredendum est* =

Cum neque ex juris dispositione, neque ex Synodalibus Constitutionibus, neque ex conventione præscriptum comperiatur, quod Parochi Diæcesis Lunensis, & Sarzanensis exhibeant prandia, cænamque Parochiano Clero, qui certis anni diebus Sacris functionibus interest; tum Parochus Vivaldi contendit quod liberalitati, & voluntati eorum, qui epulas pararunt, tribuendum sit, si Clerus ad cenandum, prandendumque fuit invitatus. Quare ex actibus facultativis, nullum jus constitui posse contendit adversus eum qui dum aliquid fecit, poterat arbitratu suo non facere, ut post *Text. in L. 1., & 2. ff. uti possidet* tradit

Ro-

Rota dec. 29. num. 6. part. 6. Recen. & decis. 812. *numer. 6. coram Merlin.* Nec sibi obesse putat longævam observantiam, quæ in actibus facultativis licet centenaria sit juris præscriptionem non inducit ex solo temporis lapsu. Non enim aliter necessitas intervenisse intelligitur, nisi & Parochus coactus fuisset ad præstandas epulas, & ipse coactioni aquiesciens epulas præstaverit. Remota autem exactione, & acquiescentia, nec per mille annos actus facultativi præscribuntur, ut docuit Rota *in Terracinen. Molendini* 16. *Junii* 1747. §. 7. *cor. Vicecomite, in Camerinen. Juris Molendi* 10. *Decembris* 1755. §. 3. *cor. cl. me. Card. Paracciano in Romana Privativæ super negocio principali* 11. *Februarii* 1765. §. *fin. coram Eminentissimo de Zelada.*

Contra hæc Clerus magnopere confidit in centenaria. Hæc enim cum inmemorabili æquiparetur omnes præsumit titulos, unde actus initio facultativi, postea necessarii evadant. Interest sane multum an centenaria ad præscriptionem, vel præsumptionem afferatur. Compertum profecto apud omnes est actus facultativos ex solo temporis lapsu præscribi non posse, nisi accedat coactio, & aquiescieutia secundum authoritates superius allegatas. At centenaria præsumptionem inducit cujuscumque melioris tituli, ut censeatur Parochos, qui tanto tempore epulas præstarunt, potius id necessitate cogente, quam voluntarie fecisse, ut tradit Rota *in Avenionen.*, *seu Carpenctoraten. Bannalitatis Furni* 11. *Junii* 1784. §. 10. *coram Eminentissimo Flangini*, *in Ferentina Furnorum quoad Laicos* 3. *Julii* 1793. §. 5. *coram R. P.D. Resta. In Sabinen. Juris Privativi* 5. *Julii* 1802. §. 2. *coram R. P. D. Serlupi.*

Ex his deliberandum erit.

An, & de cujus bono jure constet ad effectum manutentionis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

SPO-

Sess.21.cap.5. de Reform.

SPOLETANA TRANSACTIONIS. Repetino morbo correptus est mense Januarii anni 1796. Franciscus Bini villicus PP. Oratorii Civitatis Spoleti, qui habitabat domum ad eosdem Patres spectantem, sed ab ædibus Congregationis intersecante publica via disjunctam. Nihilominus quod domus infirmi posita esset intra Paræciam S. Gregorii Minoris, quæ ad PP. Doctrinarios pertinet, Patres tamen Oratorii infirmo Sacramenta ministrarunt, eoque defuncto funus per publicam viam ad propriam Ecclesiam extulerunt, & emolumenta perceperunt. Ne sui juris detrimentum caperet Parochus S. Gregorii vadimonio oblato PP. Oratorii coram Vicario Generali postulavit restitutionem Cadaveris, & emolumentorum, & manutentionem in quasi possessione exercendi jura Parrochialia super domo ad eosdem Patres Oratores spectantem, simulque inhiberetur eisdem, ne per publicam viam intra limites Parecię facere possent processionem Palmarum, & associationem Cadaverum, licet defuncti essent de gremio Congregationis. Obtinuit in hoc judicio Parochus S. Gregorii, & PP. Oratorii succumbentes ad A. C. interposuerunt appellationem, quæ prosequta non est ob superventam rerum publicarum perturbationem Restituta hinc veteri disciplina de ineunda transactione actum est, & *Capitula* concinnarunt, quarum approbationem ab hac Sac. Congregatione expostulant.

Hæc vero ejusmodi sunt = I. *Per parte dei PP. della Congregazione dell'Oratorio si conviene, che cedono ad ogni Appello, che fecero in Roma dalla sentenza emanata contro di essi dal Vicario Generale di Spoleto nel primo punto della lite, per cui volevano sostenere, che alcune fabriche, e magazzini propri aggiacenti alla Casa Maggiore, ma intersecata da via publica non fossero sogette alla giurisdizione del Paroco sudetto di San Gregorio, ed in appresso le riconosceranno sempre sogette sotto le stesse vedute* II. *Per parte dei PP. Dottrinarii, e segnatamente del Parocho sudetto di S. Gregorio non più si molestino li PP. del Orotorio nella pratica da essi tenuta di girare intorno la loro casa, e chiesa con i propri cadaveri, e Processione delle Palme, e nep-*

neppur siano tenuti ad osservare in esse il rigore del subgrundio, benchè ancora in questo secondo punto di lite loro intentata dal detto Parocho di S. Gregorio Minore ne ricevessero sentenza contraria dal prelodato Vicario Generale, perchè avanti al suo Tribunale non avevano giuridicamente provato la consuetudine immemorabile, e perciò avevano appellato in Roma III. *Che i PP. Dottrinari, e respettivo sudetto Paroco nulla richieda, e ceda que' miserabili emolumenti nel funerale fatto dai sudetti PP. del Oratorio di circa 30. o 40. Paoli d'un loro domestico garzone morto nelle sudette Fabriche, e Magazzini sudetti aggiacenti alla loro Casa, ed inoltre, che soccombano alla spesa di scudi 5. della intera fatta, ed asserita da medesimi di scudi 30. fini nella lite sostenuta presso Monsignor Vescovo, e per la Scrittura dell' Avvocato in Roma* IV. *I PP. dell'Oratorio nell'atto dell'Instromento da farsi rifaccino, e paghino in mano del sudetto Paroco di S. Gregorio Minore gli residui scudi 25. de' sudetti scudi 30. fini come sopra spesi dalli sudetti PP. Dottrinari senza valutare le spese fatte dalli PP. dell'Oratorio per loro stessi.*

Emus Episcopus probandam esse putat hanc transactionem = *Sembra a me potersi loro accordare stante la rinuncia, che si fà ad ogni ulteriore litigio, ed attesa l'evidente utilità, che hinc inde ne risulta* = Transactio quidem quæ finem liti imponit. æqua hinc inde, & utilis esse debet, ut vicissim sua jura remittant, & aliquid utilitatis litigantes sibi quærant, ut *ex Text. in leg. 2. ff. de Transact.* tradit *Rota decis.* 207. *num.* 6. *coram Molines, & decis.* 47. *num.* 3. *cor. Veri*. . Patres Oratorii in judicio succubuerunt, & dum renunciarunt prætensis juribus Parochialibus super domibus sejunctis a Monasterio nihil sane amiserunt, cum jura Parochialia exercere nequeunt supra extraneas personas, & domos extra monasterium *ut ex Clem. I. de privileg. tradit. Monacell. Form. tom.* 1. *Formul.* 6. *tit.* 6. *num.* 16. PP. vero Doctrinarii licet concesserint licentiam ducendi funera defunctorum e gremio Congregationis, & Processionem Palmarum intra limites Parœciæ nullum detrimentum intulerunt propriis juribus, dum

dum id faciunt PP. Oratorii de licentia Parochi, & ex permissu in transactione concesso ut statuit Sac. Congregatio Rituum in *Hispalen.* 26. *Februarii* 1628. Expensae vero litis in transactione conveniri solent, & merito PP. Oratorii sponderunt refectionem cum judicio offenderint, ut observat *Rota decis.* 217. *num.*6. *coram Olivat.*

Dubium proponitur.

An sit probanda transactio in casu &c.

INDEX

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Causis in S. Congregatione Concilii anno 1803. propositis.

A

C

Ces-

FINIS

INDEX
CONCLUSIONUM.

Quæ adnotatæ sunt in Foliis Causarum anni 1803.

ALIENATIO.

APPLICATIO.

BENEFICIUM, BENEFICIATUS.

CANON.

CAPPELLANIA, CAPPELLANUS.

EPI

EPISCOPUS.

EMPHITHEUSIS.

EXAMINATORES SYNODALES.

EXPENSÆ.

FABRICA S. PETRI.

JUBILATIO.

IRREGULARITAS, IRREGULARIS.

JUS PATRONATUS.

Illi-

JUS QUÆSITUM.

L E G A T U M.

L E G E S.

M I S S A.

OBRE-


OBREPTIO, & SUBREPTIO,

PARÆCIA, PAROCHUS.

PATRONUS.

SO-

F I N I S.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 06 003 2